Digitized by Google

CONC. NAZ.
PROV. DIOC.
162
E
9.
BIB. NAZ. NAPOLI

BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
162
E
9
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

SYNODUS DIOECESANA

Ab Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo D. D.

SEBASTIANO POMPILIO BONAVENTURA

PATRITIO URBINATE

Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia

MONTISFALISCI, ET CORNETI EPISCOPO,


ET SS. D. N. D.

CLEMENTIS PP. XI.

PRÆLATO DOMESTICO, & PONTIF. SOLIO ASSIST.

Celebrata diebus 16. 17. *&* 18. *Junii.*

Anno Domini MDCCX.



MONTEFALISCO, Typis Seminarii. *Super. Conſenſu.* 1714.

Digitized by Google

SEBASTIANUS POMPILIUS

BONAVENTURA

DEI, ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA

EPISCOPUS MONTISFALISCI, ET CORNETI.

Dilectiſſimo utriuſque ſuæ Diœceſis Clero ſalutem in Domino.

HAbetis tandem, dilectiſſimi Fratres, Filii cariſſimi Synodales noſtras Conſtitutiones, quas Typis edi curavimus, ut in manus veſtras venirent oculis ſubjiciendæ; nec eſſet, qui ignorantiæ excuſationem prætenderet, ac ſi auribus ſemel exceptæ animo minùs inſediſſent. Ut tenues noſtræ tulerunt vires, pro paſtorali ſolicitudine, ea omnia complexi ſumus, quæ ad veſtram, & populi Nobis crediti inſtitutionem facere poſſe, exiſtimavimus. Operam fortè luſiſſe, videri poſſumus; quoniam iteratis Synodis abundè ſatis per Eminentiſſimum

Digitized by Google

noſtrum Prædeceſſorem proviſa ſunt univerſa. Sic habet. Sed præterquam quòd nullus adeò felix eſt ager, cui noxium herbarum vulgus non innaſcatur, ſi neglectum ceſſare permittimus; & nullus adeò induſtrius eſt Meſſor, cujus manum Spicæ non fallant, quas in demeſſa ſegete præteritas colligit, qui mox inſequitur; rati ſumus ſupremo Patrifamilias minùs ingratum fore fidelem ſervum, qui aliquid rerum molitur, eſto operosè nihil agat; quàm ſervum ignavum, qui cauſatus, negotium alteri curæ fuiſſe, deſidet vacuus, & ſecurus. Ad hæc: ratio ipſa, quam inivimus exigendi noſtras Sanctiones ad veteres mores, & antiqua inſtituta, ſuam, eamque non levem habet utilitatem. Cùm parum æquum videretur prodere Leges, quarum aut non poſſis, aut nolis rationem reddere præſertim docili, & diſcendi cupido: veterum Canonum, & Sanctorum Patrum auctoritate, & uſu illas munivimus, ut perſpicuè conſtaret, Nos tritâ,

&

Digitized by Google

& tutâ viâ incedere; nec tam novas condere Leges, quàm veterum obſervantiam urgere. Neque hoc ut novum, aut inſolens traduci debet; quoniam plures habemus Synodos tum veteris, tum medii ævi, quæ Patrum, & Scripturæ teſtimoniis contextæ ſunt: imò ipſæ nuperi noſtri Juris canonicæ Leges ſuo Nobis præiverunt exemplo, ubi quamplurimas eorundem Patrum, & Scripturarum auctoritates retulerunt in Canonem. Præterea cùm omnia, quæ ſancita ſunt, diſtribuere liceat in duo ea ſumma capita, quibus tota Chriſtiana Religio continetur, ita ut alia ad Fidei doctrinam, & Sacrorum cultum pertineant; alia ad Mores, & Diſciplinam referantur; conſultiſſimum viſum eſt, hîc urgere beatam catholicæ veritatis Traditionem, quam, propter potentiorem principalitatem, Romana Eccleſia illibatam cuſtodit, & à Majoribus acceptam Patres, ſuo quique ordine, ad noſtram uſque ætatem tranſmiſerunt, & poſteris ſeculis

commendarunt. Magni profectò refert in cæleſtis Fidei dogmatibus, in adminiſtrandorum Sacramentorum diſciplina, in vitæ, tum chriſtianè, tum eccleſiaſticè inſtituendæ regulis, ab antiquis etiam ritibus, & inſtitutis accerſere monumenta, quibus clarè perſpicitur, præſtari à Chriſto Domino, quæ promiſit, dum pollicitus eſt, ſe adfuturum Eccleſiæ uſque ad conſummationem ſeculi, ne deficeret. Sicubi enim pro temporum, & rerum neceſſitate, vel conditione, additum, imminutum, variatum, aut abrogatum eſt in iis, quæ mobiles præceptiones dicuntur; nunquam tamen viſa eſt connivere ad vitia; nec aliquid in Eccleſiaſticum regimen inducere minùs æquum, aut intempeſtivum, quo perturbari poſſent, quæ pietatis ſunt, & diſciplinæ. Nec ineptè aſſuta ſunt Proæmia illa, quibus quandoque videri poſſumus ſolùm præfari voluiſſe Decretis. Ibi non ſemel in vindicando aliquo Inſtituto, ejus primordia, incrementa, &

pro-

Digitized by Google

progreſſus perſequimur. Evangelicum Patrem-familias imitati, qui de Theſauro ſuo profert nova, & vetera; vetera tempora cum novis componimus, nova ad vetera exigimus, & hanc paratam habemus utilitatem, ut ſacra quoque Hiſtoria ſuas Nobis ferat ſuppetias. Inſtituti noſtri ratio, multa indicare potiùs, quàm explicare permittit: eſt tamen aliquid, vel digitum intendiſſe ad fontes, ut de puro libent latice, qui ſitiunt juſtitiam. Hæc omnia vos præmonere duximus neceſſarium, ut ipſa antiquitatis reverentia dignitatem aliquam noſtris Synodalibus Conſtitutionibus conferret: ceterùm ampliorem proculdubiò veſtri mores illis conciliabunt auctoritatem. Ut enim vocarentur in invidiam apud plebem, ſi improbè factis illas everteretis; ita novum veluti pondus obtinebunt, ſi in illis ſervandis ceteris virtutis ſpecimen eritis, & benè caſtigatum exemplar. Sacerdos, qui ſacris regulis regitur Canon eſt mutus; imò mutorum

Ca-

Canonum lingua eſt, & vita: atque adeo ne elingues ſint, & exanimes noſtræ Leges, ea ſit vita veſtra, & converſatio, ut vel tacitæ loquantur pietatem: longè expreſſiùs, & puriùs eluceant in veſtris moribus, quàm in noſtris paginis, prodeantque meliùs inſculptæ Cordibus veſtris, quàm Tabulis inſcriptæ carnalibus. Multa mihi fiducia eſt apud vos, multa mihi gloriatio pro vobis. Manu non intermittente verſate Synodum: eſtote tamen Factores verbi, non Auditores tantùm, aut Lectores fallentes voſmetipſos. Qui enim in Lege perfectè perſpicit, & factor eſt operis, is ſuas ritè implet partes, & æterna ea præmia conſequetur, quæ vobis à Domino enixè precamur. Amen.

CAPITA CONSTITUTIONUM SYNODALIUM.

In tres Libros diſtributa.

LIBER PRIMUS.

CAP. I. *De Fide, & ejus Profeſſione.*	pag. 1
CAP. II. *De Blaſphemiis.*	9
CAP. III. *De Superſtitionibus.*	14
CAP. IV. *De Doctrina Chriſtiana.*	20
CAP. V. *De Divini Verbi Prædicatione.*	33
CAP. VI. *De Lectione Sacræ Scripturæ, & Collatione Caſuum Conſcientiæ.*	48
CAP. VII. *De Sacris Reliquiis.*	56
CAP. VIII. *De Sacris Imaginibus.*	66
CAP. IX. *De Indulgentiis.*	73
CAP. X. *De Jejunio.*	78
CAP. XI. *De Obſervantia Feſtorum dierum.*	86

LIBER SECUNDUS.

CAP. I. *De Sacramentis.*	103
CAP. II. *De Baptiſmo.*	110
CAP. III. *De Confirmatione.*	120
CAP. IV. *De Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento.*	128

CAP. V.

CAP. V. *De Celebratione Miſſarum.* 145
CAP. VI. *De Pœnitentia.* 161
CAP. VII. *De Sacramento Extremæ-Unctionis.* 180
CAP. VIII. *De Ordine.* 186
CAP. IX. *De Sacramento Matrimonii.* 204

LIBER TERTIUS.

CAP. I. De *Sacro-Sanctis Eccleſiis.* 219
CAP. II. De *Bonis Eccleſiæ.* 234
CAP. III. De *Eccleſiaſtica Immunitate.* 246
CAP. IV. De *Capitulis, & Canonicis.* 254
CAP. V. De *Horis Canonicis, & Chori diſciplina.* 264
CAP. VI. De *Supplicationibus.* 279
CAP. VII. De *Parochis.* 285
CAP. VIII. De *Funeribus, & Sepulturis.* 301
CAP. IX. De *Legatis Piis.* 312
CAP. X. De *Beneficiis.* 318
CAP. XI. De *Confraternitatibus Laicorum.* 329
CAP. XII. De *Domibus Hoſpitalibus.* 337
CAP. XIII. De *Sanctimonialibus.* 342
CAP. XIV. De *Seminario.* 364
CAP. XV. De *Uſuris, & illicitis Contractibus.* 374
CAP. XVI. De *Foro Epiſcopali, & Vicariis Generalibus.* 380
CAP. XVII. De *Vicariis Foraneis.* 380
CAP. XVIII. & Ult. De *Vita, & Honeſtate Clericorum.* 392
Declarationes in Synodum. 403
Officiales Cleri. 406

In

I nomine Sanctæ, & Individuæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

NOS

EBASTIANUS POMPILIUS

BONAVENTURA

Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Epiſcopus Montisfaliſci, & Corneti,

ET SS. D. N. D.

CLEMENTIS PAPÆ XI.

Prælatus Domeſticus, & Pontificio Solio Aſſiſtens,

SEQUENTES CONSTITUTIONES, ET DECRETA

In præſenti noſtra prima Diœceſana Synodo

STATUIMUS, & PROMULGAMUS.

Digitized by Google

LIBER PRIMUS

CAPUT J.

De Fide, & ejus profeſſione.

CUm eò reſpiciant vota noſtra, & conſilia in his Synodalibus Sanctionibus, ut mores Cleri, & Populi, quorum curam Nobis Divina miſeratio commiſit, ad Chriſtianam pietatem inſtituantur; quæ ſint hominis in Deum officia primò ſtatuamus oportet. Et quoniam de Deo benè ſentire prima pars eſt Chriſtiani nominis, ordiemur Hebr. 11. ver. 1.
à Fide, quæ ſperandarum ſubſtantia rerum initium, & baſis eſt juſtitiæ, & ſalutis. Hâc in una Religionis ſocietate compoſiti Deum verâ cum pietate colimus, & ubi etiam peregrinamur à Domino, 2. Cor. 5. ver. 6. 1. Tim. 2. ver. 2.
quietam, & tranquillam vitam in conſcientia pura Actor. 2. ver. 39.
agere poſſumus, quòd credentes revelata, & fidentes iis, quæ Nobis factæ ſunt, repromiſſionibus, Tit. 2. ver. 13.
expectamus beatam ſpem, & futuram gloriam, quæ Roman. 8. ver. 18.
revelabitur in Nobis, nec contriſtamur, ſicut cæteri, qui ſpem non habent, quia ſunt Fide deſtituti. 1. Theſ. 4. verſ. [illegible]

D.Th. 2. 2. q. 2. art. 7. & 8. J. Meminerint Confeſſarii fieri non poſſe, ut ſine explicita, & diſtincta Trinitatis, & Incarnationis Fide quis placeat Deo. Hebr. 11. ver. 6. Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant Te Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum; Joan. 17. ver. 3. nec ullus eſt exceptioni locus ab hac lege: Qui non crediderit, condemnabitur. Marc. ult. ver. 16. Quare ſi in craſſæ ignorantiæ Viros incidant, Act. Eccl. Mediol. par. 4. qui prima Fidei rudimenta, & primas Chriſtianæ vitæ inſtituendæ leges non norunt, ſui illos officii probè moneant, nec abſolutionis gratiam impertiantur, niſi præmiſsâ inſtructione ea ut minimùm quoad ſubſtantiam edocuerint, quæ ad ſalutem ſunt indiſpenſabiliter neceſſaria. Quod ſi per tempus non liceat, aut aliàs moniti fuerint, & legitima ſubſit cauſa metuendi abſolutione donatos ſegniùs, & negligentiùs ſe habituros, protrahant abſolutionem, uſque dum rudem illam ignorantiam excutere commodiùs poſſint, & majorem ſuæ ſalutis curam ſuſcepiſſe deprehendantur.

IJ. Exteriùs ſe prodat neceſſe eſt Fides animo concepta, quæ utrumque officium, & cordis, & linguæ à Nobis exigit, dicente Apoſtolo: Roman. 10. v. 10. Corde creditur ad juſtitiam, ore autem fit confeſſio ad ſalutem. Cōc. Trid. ſeſſ. 25. de Reform. cap. 2. Eam Nos emiſimus, & ab omnibus, qui poſt ultimam habitam Synodum de Eccleſiaſtico Beneficio proviſi ſunt, aut Sacris Ordinibus initiati, Secretario noſtro Synodali in verba præeunte, emitti curavimus. Cōc. Trid. ſeſſ. 24. cap. 12. Concil. Mediol. par. 2. tit. de Profeſſ. Fid. In poſterum autem à proviſis de Beneficiis curam Animarum habentibus intra duos menſes à die adeptæ poſſeſſionis coram Nobis,

bis, vel Vicario noſtro Generali hanc Fidei profeſſionem, conceptis verbis ſub ea forma, quæ à F. R. Pio IV. tradita eſt, & præſcripta, edi volumus. Quam etiam emittere teneantur, iiſdem ſtatis à Jure temporibus, nedum coram Nobis, vel Vicario noſtro Generali, verùm etiam in Capitulo, quos ad Dignitates, vel Canonicatus in noſtris Cathedralibus promoveri contigerit; secùs ſciant ſibi à Conc. Trid. eam pœnam inflictam eſſe, ut fructus ſuos non faciant, vel ipsâ pacificâ poſſeſſione minimè refragante, cui legi ſub eadem pœna obnoxios etiam volumus, qui in Eccleſiis Collegiatis Canonicatus obtinuerint.

Conſtit. 89. Injunctum Nobis. In Append. num. J.

Conc. Trid. loc. ſup. cit.

III. Neminem præterea ad Eccleſiaſtica Beneficia, quæcumque illa ſint, ad audiendas confeſſiones, ad habendas ſacras conciones admittemus; nec quemquam Juventutis utcumque inſtitutionem, aut in publicis ſcholis, aut in privatis domibus ſuſcipere patiemur, ſive ſacras, ſive humanas litteras, & diſciplinas doceat, vel prima tradat pueris Grammaticæ rudimenta, niſi emiſsâ priùs hâc Fidei profeſſione. Quam legem ſub pœna amotionis à munere, quod exercent, & aliis noſtro arbitrio declarandis, imponimus etiam Notariis, & Officialibus noſtræ Curiæ, iis potiſſimùm, quorum operâ utimur in cauſis S. Inquiſitionis: Chirurgis item, & Medicis, niſi Nos certò doceant edidiſſe, ubi laureâ donati ſunt.

Ex Conſtit. Pii IV. 88. In Sacroſancta.

Pius IV. in Conſtit. ſup. cit.

IV. Et ne geſtæ rei excidat memoria, per Cancellarium noſtræ Curiæ Epiſcopalis ſervari manda-

mus probatam conſuetudinem referendi in codicem ejuſmodi actis deſtinatum nomina, cognomina, & dignitates, ſeu munera profitentium; tum tempus, locum, & occaſionem profeſſionis, adhibitis, ut ritè fiat, & ritè probetur, duobus Teſtibus, qui fidem faciant plenam, & legitimam. Præcipimus autem Parochis, & Vicariis Foraneis, ut diligenter inquirant, extent ne intra fines ſuos, qui juſſi fidem profiteri, renuant, aut negligant, eorumque nomina opportunè ad Nos deferant.

v. Quoad Medicos: ne de corpore plus æquo ſoliciti curam deponant animæ, quæ multò magis pretioſior eſt corpore, illos ad medendum in noſtra Diœceſi admitti vetamus, niſi interpoſitâ juramenti religione ſe obligent, aut in ſuſceptione gradûs ſeſe obligaſſe doceant implendæ legi editæ in Concil. Lateranen. ſub Innoc. iij. & à Pio v. innovatæ, & confirmatæ, quâ illis præcipitur, ni velint gradu excidere, ab Eccleſia arceri, & pecuniariâ pœnâ juxta Ordinarii arbitrium mulctari, ne ultra tertium diem viſitent ægrotum, qui ab ipſis admonitus de expianda per Confeſſionem conſcientia, monitis parere recuſaverit. Si quis Medicus igitur juſtam hanc legem non ſubeat, & ubi mors timetur, morbum ad mortem eſſe iniquè officioſus ita diſſimulaverit, ut ob ejus incuriam infirmus inconfeſſus decedat, præter perjurii reatum, & infamiæ notam, quam contrahit, exauctorationis, nec non excommunicationis minas illi intentamus, & trium aureorum pœnam pro qualibet vice infligimus.

Math. 6. ver. 25. & ſeq.

Cap. Cum infirmitas. De pœn. & remiſſ.

Conſt. 3. Super Gregem.

vj. Quam-

vj. Quamvis hanc Pianam Conſtitutionem Eminentiſſimus Prædeceſſor noſter quotannis in Feſto Sanctiſſimæ Aſſumptionis B. M. publicari juſſerit; nihilominùs cum illius promulgationem olim intermiſſam fuiſſe reſciverimus, eam in poſterum ſtatutâ die fieri decernimus, & jubemus, mandantes inſuper Parochis, ut mox à publicatione Nos per litteras certiores faciant, ut hæc noſtra mandata haud fuiſſe præterita intelligamus, pœnam trium aureorum ſubituri, ſi poſt quindecim dies ab eo feſto Nos de ea promulgatione minimè monuerint. Hîc autem commodè monendi veniunt Medici, ne ut vitæ proſpiciant, aut famæ, aliquid ſuadeant, vel efficiant, quod vergat in diſpendium animæ. Quod ſi, ut honoris periculo occurrant, venam incidant, vel pharmacum miſceant, vel incidi, aut miſceri curent, ut præbibatur ſterilitas, vel abigatur animatus fœtus, diro anathemate volumus innodatos effectu ſequuto. Quod ſi tentatus abortus minimè proceſſerit, vel fœtus non dum vitâ hominis vivere credatur, incidente in Caſum Nobis reſervatum. Ubi naſci quis prohibet, non refert natum eripiat animum, an naſcentem diſturbet.

2. Synod. cap. 9. In Append. n. 15.

Cap. Quod vero vi aliis 32. q. 2. In cap. ſicut de Homic. In cap. ſi aliquis eod. tit. Cap. aliquando 32. q. 2. ex D. Aug. D. Th. in 4. diſt. 31. in fin.

D. Hieron. ep. 22.

Tertull. cap. 9. Apolog.

vij. Boni Paſtores, ſi agunt quod dicuntur, non ſolùm paſcunt Oves ſibi creditas, ſed etiam inſidiantes Ovium ſaluti lupos pro viribus à Dominico Ovili arcent, & amovent. Quare cauto ſemper oculo, & intento animo quærant in eos, qui aut verbo, aut converſatione eam olent impietatem,

Ex Joan. 10. verſ. 17.

Digitized by Google

tatem, ut legitimam parùm ſinceræ Fidei ingerant ſuſpicionenem. Eos autem potiſſimùm ſibi obſervandos eſſe noverint, qui impia, & blaſphema in Deum, Virginem, & Sanctos loquuntur: qui hæreticos libros evolvunt, aut retinent: qui Juriſdictionem, Perſonas, Cenſuras Eccleſiaſticas parvipendunt: qui ritus ſacros, preces, ſuffragia mortuorum rident, aut calumniantur: qui à vetitis cibis nullo præpediti morbo, nullâ impetratâ licentiâ non abſtinent. Ubi tales, & his ſimiles inveneritis, occultare nolite: Non ſit vobis perverſa miſericordia.

Ex Edict. S. Offic. Infr. cit.

VIIJ. Ut autem omnibus perſpectum ſit, Fideles utriuſque ſexûs, ita ut deſides, & refractarii abſolvi non poſſint, detegere, & deferre juberi hos impios, legant Parochi, & evulgent quotannis edictum S. Officii Dominicâ primâ Adventûs, & Quadrageſimæ, & ſub pœna trium aureorum intra quindecim dies, ut ſupra, de promulgatione Nos moneant, ſedulòque inſtent, ne falſa ſpecies charitatis Populis imponat, ut conniveant iniquitati. Vera charitas ſalutem procurat perdito, vel invito, qui ſi ſanari detrectet, cæteris ſaltem cavet, ne cum impiis miſceantur, & expurgato etiam modico parvo fermento, à quo toti maſſæ imminet corruptio, ſimus ſemper nova conſperſio. Et quamvis procul à periculo poſiti videamur, non ideo tamen datum ſibi eſſe falsò credant, ut altùm poſſint indormire, qui in cultura hujus noſtri Dominici agri veniunt in partem labo-

In Append. num. III.

Ex Auguſt. Ep. 204. & tract. 11. in Joan.

1. Corinth. cap. 5. verſ. 6. & 7.

Digitized by Google

laboris: quoniam in omnem occaſionem imminens, & intentus inimicus homo, ubi dormitant omnes, nemo vigilat, & obſervat, ſolemne habet ſuperſeminare zizania, quæ provida manus facilè eradicaſſet in herba: at permiſſa excreſcere omnem vim vicit, & induſtriam, ita ut nec ferro, nec igne potuerit extirpari. Matth. cap. 13. verſ. 25.

IX. Sciant Fideles Chriſtianum familiaritate, & conſortio Infidelium interdici: quare ſi humanitatis gratiâ in tranſitu hoſpitio excipiatur, aut apud Cauponas divertat Hæreticus, abſtineant à nimia conſuetudine, & familiaritate: ſermones de religione non miſceant, nec eos apponant cibos, quos eâ die vetaret Eccleſia. Cum nequiſſimis verò Judæis nefas eſt convivia celebrare, & illos ad domeſtica officia admittere. Si licentiam vagandi per Diœceſim, ut ſuas diſtrahant merces, obtinuerint, caveant Parochi, & Vicarii Foranei, ne domos ſubvertant docentes, quæ non oportet, nec ultra triduum in ſuis finibus eos conſiſtere patiantur. Impia ſic eorum vota impleantur, quibus ſe in eam miſeriam obligarunt, ut effuſus juſti ſanguis ſuper eos eſſet: & Caini culpam imitati ſentiant quoque pœnam, vagi ſemper, & profugi ſuper Terram.

Joan. ep. 2. verſ. 10. & 11. Cap. ſicut ait 8. & cap. Excommunicamus 13 §. credentes de Hæreticis, & cap. Quicumque 2. eodem tit. in 6. Can. nullus, & Can. omnes 28. q. 1.

Concil. Mediol. V. Tit. de his, quæ ad dies Feſt. & ſacr. Tem. pertinent.

Ad Tit. cap. 1. verſ. 11.

Matth. cap. 27. verſ. 25.

Geneſ. cap. 4. verſ. 12.

X. Surdo faſcino animos vitiat turpis, aut impia lectio. Quare ab ea Parochi avertant, & deterreant Fideles, ne fraudi ſit perverſa curioſitas, aut vana eruditio, cùm præſtet multa ignorare, quàm ſe periculo ſubverſionis committere. Eos Ex S. Leon. ep. 15.

Leo X. in Conc. Later. ſeſſ. 10. & Conſtit. 12. Inter ſollicitud. Bull. in Cœna Dom. Pius IV. Conſt. 76. Cum pro munere. Pius V. Conſtit. 143. Romani Pontificis Greg. XIII. Ea eſt rerum. Trid. ſeſſ. 4. de edit. & uſu libr. & in Reg. ad fin. appoſ.

igitur admoneant pœnarum, quas ſacræ ſanctiones conſtituunt, & præcipuè excommunicationis, quam ferunt in eos, qui Hæreticorum libros legunt, retinent, tranſcribunt, & ſciant ſibi interdictum à lectione eorum librorum, qui in Romano indice vetantur, etiam gravioribus pœnis noſtro arbitrio decernendis. Vicarios autem noſtros Foraneos, & Parochos de novo Indice provideri volumus, quoniam cum nemini habere, aut circumferre venales libros, aut impreſſa folia per Nos liceat, niſi à Nobis, vel Vicariis noſtris impetratâ licentiâ, ſciant qui vetiti ſint; quos ubi repererint, diſcerpant, & igni tradant, quoniam in eis invenitur iniquitas.

Conc. Mediolan. III. & V. part. 1. tit. Quæ ad fidei tuend. ſtud. pert. In Reg. 7. Indic. Conc. Trid.

xj. Quia verò nedum Fidei integritas, ſed morum quoque probitas Nobis cordi eſſe debet, ab iis libris cavere volumus Fideles noſtros, qui diram luem nedum menti, verùm etiam moribus afflant, etiamſi nominatim in Indice non recenſeantur, ſi illicitos, aut turpes amores contineant. Nemini item libros, aut folia imprimere ſub pœna trium aureorum liceat ſine noſtra, aut Vicarii noſtri Generalis licentia, quæ ſcripto data editioni præfigatur.

Cap. Audivimus extra de reliq. & venerat. Sanct.
Cap. Venerabili de Teſtibus.

xij. Sibi miraculorum judicium ſervavit Apoſtolica Sedes. Vetamus igitur Tabellas, Imagines alicujus Defuncti, qui in Beatorum album nondum ſit relatus; Cereos item, aut alia hujuſmodi Anathemata ad ſepulchra apponi. Quòd ſi magna cum opinione ſanctitatis quiſpiam decederet, quo-

quoties Tabellas, Imagines, Cereos à cordatis deferantur, quibus acceptum beneficium teſtari velint, ejuſque memoriam apud ſeram quoque poſteritatem transferre, ſervent decreta Urbani VIII. quibus Eccleſiarum Præpoſitis permittitur ea ſigna divinæ potentiæ, & humanæ pietatis monumenta una cum teſtimonio deferentis, & aliorum, qui collati Beneficii conſcii fuiſſent, recipere, & in ſecreto aliquo ſeorſim ab Eccleſia loco cuſtodire, ut ſi Deus hujuſmodi virorum merita canonizationis honore vellet decorari, extent qualiacumque Sanctitatis monumenta Apoſtolicæ Sedis judicio examinanda. Confir. in Conſtit. quæ incipit, Cæleſtis Jeruſalem.

CAPUT II.

De Blaſphemiis.

SPiritu Dei, qui ſcientiam habet ſacræ vocis, agi oporteret Fideles omnes, ita ut vix hominum, ferè ſemper linguam Angelorum loquerentur: at cum queratur Dominus, jugiter nomen ſuum blaſphemari ab iis, qui ipſius nomen profitentur; dolendum ſanè eſt extare non paucos, qui linguam loquantur Diaboli, & ex Patre Diabolo eſſe ſe prodant verbis, nam & loquela manifeſtos eos facit verè de illis eſſe, qui Deum inter dira, quæ patiuntur æternùm execrantur. Ut huic teterrimo malo occurramus

Sap. 1. verſ. 1.
1. Cor. 13. ver. 1.
Iſaiæ 52. ver. 5.
Joan. 8. ver. 44.

I. Obſecramus, & quantùm poſſumus in

Domino mandamus, & obteſtamur Confeſſarios, Parochos, Concionatores, ut chriſtiano, ac divino zelo inter excipiendas confeſſiones, vel habendas ſacras conciones invehantur in Blaſphemos, ut omni conatu, & potenti perſuaſione ingerant horrorem immaniſſimi criminis, quod rectà divinam ferit majeſtatem, oſtendendo pericula, quæ inde univerſo imminent Populo, cum ſevera, extentaque divina manus in vindictam fuerit ob unius quandoque blaſphemam vocem: Quare hos delinquentes non coercere majoris auſteritatis eſt, quàm ſi ulciſcaris.

S. Ambroſ. in Pſ. 118

II. Interpellate contra illos Eccleſiam, & pro re veſtra clamate. Ne alienam portent iniquitatem faciles, & proni ſint Fideles in deferendis Blaſphematoribus, cum communis omnium cauſa agatur, ubi in hos impios ſævitur, & per paucorum pœnas cæteris omnibus proſpiciatur. A conſuetudine Blaſphemantium abhorreant, ut ſui illos pudeat: ni certum immineat periculum, monendo, & objurgando comprimant, & compeſcant procaces linguas, juxta Divina, & Pontificia decreta. At quia ea eſt vis hujus morbi, ut molli manu irritetur potiùs, quàm ſanetur; poſt objurgationes, & monita nequaquam tentata deferant, ut ſentiat punientis zelum, qui neglexit corrigentis charitatem; nec deſit cenſura, quæ increpet, ubi nihil profuit medicina, quæ ſanet. In ipſa enim veteri lege delatos habemus, qui in hoc graviſſimo crimine deprehendebantur; quam defe-

S. Auguſt. hom. 49. & 50. cap. 4. & 5.

Leo X. Conſtit. 7. quæ incipit, Supernæ diſpoſitionis. Julius III. Conſtit. 23. In multis. S. Pius V. Conſt. 5. Cum primum.

S. Cyprian. ep. 51.

Levit. 24. verſ. 33.

Digitized by Google

deferendi, ac accuſandi piè ſævientem diſciplinam, jam olim in vetuſtiſſimis etiam moribus habuit Eccleſia. Sciant igitur omnes lædi Religionem, ſi ab accuſatione abſtineant; ita ut abſolvi non poſſit, & in excommunicationem latæ ſententiæ incidat, qui monitus intra menſem aut Sanctæ Inquiſitioni, aut Nobis non deferet eum, à quo hæreticalem blaſphemiam audierit. Sicut verò ignavos diſſimulatores ſua manet pœna, ita Indulgentiarum repoſitum eſt præmium iis, qui zelo divini honoris ducti, blaſphemo ori minimè parcunt, ſed ſcelus illius retegunt Superioribus, opportunis remediis compeſcendum.

S. Baſil. Can. 71. ad Amphil. Ivo Carnot. Decret. par. 15. Antiq. Pœnit. Rom. tit. 7. cap. 2. Regino lib. 1. cap. 213. Burchard. lib. 12. c. 213.

Ex Edicto Sac. Inquiſitionis.

Leo X. in Conſtit. ſup. cit.

III. Diffiteri nemo poteſt, non ſolùm ab improbo ſilentio, aut ignava diſſimulatione audientium; verùm etiam ex immiti indulgentia Confeſſariorum hoc crimen ea incrementa ſumpſiſſe, ut ferè deplorato, ac deſperato remedio, vel incogitantibus ex pravo habitu elabantur blaſphemiæ, & in quotidiano ſermonis uſu abeant in damnatum morem. Quare ubi blaſphemiæ erunt, aut hæreticales, aut enormes ſimul, & publicæ, Nobis illarum abſolutionem reſervamus. Publicam autem eam declaramus, quæ coram quinque perſonis prolata fuerit. Et in ſimplicibus etiam, & non reſervatis caveant Confeſſarii, ne facilem, & citam veniam dent inolito vitio, nec æquo leviorem imponant pœnitentiam; ſed accuratam, & ſcrupuloſam adhibeant ſolicitudinem, ut pares ſceleri pœnas conſtituant, præcipuè certas, & ſta-

Inf. in Tab. Caſuum Reſervat.

Concil. Lateranen. ſeſſ. 9.

Conc. Trid. ſeſſ. 24. cap. 8.

ſtatas ultrò ſuſcipiendas poſt omnem linguæ lapſum. Qualem quis intulit injuriam, tale ſupplicium pendat: & hîc, ſi uſpiam aliàs, rigor ſit in laude, qui ex menſura peccati pœnam definiat.

S. Aug. lib. 19. cont. Fauſt. Manich. c. 21.

Levit. 24.

IV. Sacrâ Moyſis lege crimen erat blaſphemia morte luendum. Qui blaſphemaverit nomen Domini morte moriatur. Mitiùs nobiſcum agitur in Evangelio: at quia non ideò per Evangelium in libertatem vocati ſumus, ut libertas in licentiam degeneraret; ideò cum apud Fideles perinde eſſet obire ſupremum diem, ac ſubire dirum anathema, & hoc ageret excommunicatio, quod tùnc agebat interfectio; in Eccleſia à ſanguine abhorrente, ſanguinis vicem ſubierat in Laicis excommunicatio, in Clericis depoſitio. Ad hos antiquos Canones ſuas ferè exigunt pœnas Apoſtolicæ Conſtitutiones, ſignanter Leonis X. ac S. Pii V. quæ incipit: *Cum primùm*: quas Nos uſu recipi, & ſecundùm illas judicari, ac puniri volumus Blaſphemos in Deum, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, glorioſiſſimam Virginem, & reliquos Sanctos: præcipuè eâ parte, quâ poſt infamiæ notas, & alias adhibitas pœnas exilio mulctantur; cum juremeritò hæc hominum monſtra, & probra à communi conſortio amoveantur amandanda ad Beſtias, à quibus nec fortè excipientur, cum & illæ ſuo more Domino benedicant. Summarium item prælaudatæ Bullæ Pii V. qualibet primâ Dominicâ menſis perlegi, & ubi frequentior erit Populus identidem à Parochis ſub pœna unius aurei

Ad Galat. 5. vers. 13.

S. Greg. lib. 10. ep. 13
Concil. Tolet. IV. cap. 46. Canon. 32. Baſilian. &c.
S. Auguſtin. lib. 5. in Deuter. cap. 39.

In Can. Si quis per capillum 22. q. 1.

In relat. Conſtit.

Daniel. 3. in Cant.

ex-

explicari mandamus: & noverint omnes, quod in hac cauſa procedetur non ſolùm per accuſationem, & inquiſitionem; ſed etiam per ſimplicem, & ſecretam denunciationem juxta formam ibidem traditam.

V. Vinum, ira, jocus in exteriore foro noſtro non excipient. Quare eſto Rei magis ſint, ac duriore pœnâ plectendi, qui deſtinatâ malitiâ Deum, & Sanctos blaſphemant; attamen ſuas etiam, & pro modo culpæ graves pœnas dabunt, ſive impotens ira rapiat, ſive ebrietas, aut animi levitas linguam ſolvat in blaſphema convicia: & quia facile eſt, ut ſibi temperet lingua, ubi compoſiti ſunt animi motus, omnem iram, & indignationem unâ cum blaſphemia deponere jubet Apoſtolus.

Can. Inebriaverunt 15. q. 5.

Coloſſ. 3. verſ. 8.

VI. Ex ore Infantium perfecit Deus laudem ſuam: nihilominùs effuſa non ſemel audivimus in impias voces ipſa tenella procacia Puerorum labia, quæ initiari conveniret laudibus Creatoris. Id in cauſa eſt Parentum aut improbitas, aut incuria. Acriter igitur moneantur, ne ſint Liberis in peccando Duces; tales hi ſunt, quales illos effingunt quotidiana colloquia: unde à diris imprecandis abſtineant: non conniveant, & multò minus arrideant, aut plaudant, ſi quid minus rectè dictum, quod blaſphemiam, aut quid blaſphemiæ proximum ſonet, ab illis audiant. Suis eliminent domibus, quorum ingenium, aut linguam pronam noſcerent ad blaſphemiam, & ab co-

Pſal. 8. ver. 3.

Can. Non putes 23. q. 5. can. Error diſt. 83. Can. Facientes diſt. 88. Can. Negligere 2. q. 7. Can. Præterea 20. q. 8.

ſtorum conſuetudine, & familiaritate arceant, & abſtineant, quibus ferè ludus, & jocus eſt blaſphemare.

L. Alearum uſus C. de Religioſ. & ſumptib. ſun.

VII. Quoniam autem hoc vitium familiare eſt perditæ conſcientiæ luſoribus, quos jacturâ provocatos, ad execrationes impellit infeliciſſimus ludendi ardor, & ipſæ ſæculares leges, ubi aleâ homines interdicunt, hanc curam relinquunt Epiſcopis; ideò publicos alearum ludos, & taxillorum, præcipuè diebus feſtis, & tempore Adventûs, & Quadrageſimæ; ſicut & cæteros omnes, in quibus temeritas valet, aut caſus, ſub pœna trium aureorum, & carcerationis damnamus.

CAPUT III.

De Superſtitionibus.

D. Th. 2. 2. q. 92. art. 1.

NOn impietate minùs, quàm ſuperſtitione peccatur in Religionem, ſiquidem, ut divinam quâ dictis, quâ factis æquum eſt revereri majeſtatem; ita diabolicam expedit horrere tyrannidem, & par in utroque ſcelus eſt, ſive conviciis inceſſas, cui debes obſervantiam, ſive deferas cultum, cui debes execrationem. Superbia hoſtis antiqui aſcendit adhuc perversè æmulatura divinum Principatum. Hinc infenſus Deo, infeſtus hominibus nihil non tentat, ut à vero Dei cultu avertat, & per profanas Superſtitiones ſpontaneos in obſequium ſuæ voluntatis illiciat, quos pre-

Pſal. 73. ver. 33.

S. Leo ſerm. 2. de Nativit.

premere non poteſt impotenti dominatu: at ſemel eruti à poteſtate tenebrarum horreant Fideles omnem cum nequiſſimo hoſte inire ſocietatem, aut ſubire ſervitutem. Per Incarnationis, & Crucis Sacramentum deletum eſt chirographum mortis: videant ne nova pacta cum improbo exactore conſcribant.

1. Corinth. 10. ver.

Coloſſ. 2. ver. 14.

I. Vel cogitans quis horreſcit ad eorum impietatem, qui fœdus percutientes cum morte, & cum Inferno facientes pactum ſe devovent Dæmoni, ut ſuis illum habeant voluntatibus obſequentem: ne teterrima hujus facinoris gravitas abeat impunè, ſupremam anathematis ipſo facto incurrendi vindictam infligimus in Veneficos, Magos, Striges utriuſque ſexus, qui maleficio, ligaturis, faſcino, incantatione, ſortilegio, malo carmine utuntur, ut perdant homines, vel pecudes, aut in morbum longum conjiciant, ut mente quem dimoveant, concilient, vel demereantur affectus, excitent tempeſtates, theſauros inveniant, legitimum Matrimonii uſum impediant, vel aliud quidpiam maleficum magicarum artium exerceant; cui etiam pœnæ ſubjaceant, qui volentes, & ſcientes his operibus præſtant operam, conſilium, conſenſum, etiam effectu non ſequuto, ubi intervenit abuſus ſacrarum rerum, & in convento pacto certis ſceleratis ritibus Dæmoni ſupplicant, ſpondent obſequium, offerunt ſacrificia: Digni ſunt ſpirituali hac morte non ſolùm qui ea faciunt, ſed qui conſentiunt facientibus.

Iſaiæ 28. ver. 15.

Can. aliquanti. Can. ſi quis Epiſcopus. Can. contra. Can. auguriis &c. 26. q. 5.

Conc. IV. Rom. ſub Damaſ. ca. 4. Conc. Chartag. IV. cap. 89

Gregor. II. relat. Cap. ſi quis ariolos. Leo IV. ad Epiſcop. Britan. relat. Can. ſortes cauſ. ſup. cit. Extravag. Joann. XXII. Super illius. Nicolaus I. ad conſulta Bulgar. art. 79. Innoc. VIII. In Conſtit. Summus.

Roman. 1. in fin.

II. Uti

Digitized by Google

Pſal. 30. vér. 7.
Pſal. 39. ver. 5.

II. Uti odio ſunt Deo obſervantes vanitates ſupervacuè; ita beatus eſt ille vir, cujus Dominus ſpes ejus, nec reſpexit ad vanitates, aut inſanias falſas. Quoniam verò ſuperſtitioſa remedia in dies ſerpunt magis in incautum vulgus, vanam hanc ſanitatum obſervantiam compeſcere ſtudeant Rectores animarum: doceant eſſe Deum in Iſrael, cui fidendum eſt, non autem nequiſſimo hoſti, qui nobis infenſus, & ubi datur, etiam infeſtus nihil aliud cogitat, quàm corpus, & animam perdere: fallaces, & periculi plenas eſſe illius curationes, cum recurrant, etiam deteriùs iidem, vel noxiores morbi: quòd ſi ex voto ſuccedant, id quoque peſſimè cadere hominibus, quorum animos, in pœnam impiæ curioſitatis, his vanitatibus irretiri permittit Deus. Utantur igitur remediis, quæ probata Medicorum ars commendat, & Eccleſiæ dumtaxat ſacras probatas preces adhibeant, quibus divina favet poteſtas, ubi divina gratia imploratur: ſciantque citiùs mortem homini chriſtiano ſubeundam eſſe, quàm vitam ligaturis redimendam. Oderit animam ſuam in hoc mundo, ut in vitam æternam cuſtodiat eam.

4. Reg. 1. ver. 6.
S. Chryſoſt. hom. 39 adverſ. Judæos ca. 6. hom. 8. in cap. 3. ep. ad Coloſſ.

Can. Si per ſortiarias 33. q. 1.

D. Auguſt. tract. 51 in Jo.

Joan. 12. verſ. 25.

III. Moneant inſuper maleficium maleficio diſſolvi, aut curari non poſſe ſine gravi ſuperſtitionis crimine: quamvis nefas non ſit ſigna, quibus maleficium, aut pactum creditur alligatum, quærere, & inventa amovere, & comburere. Artes quoque, & inſidias Dæmonis retegant, oſtenden-

D. Thom. in 4. ſen. diſt. 34. q. un. art. 3. ad 3.
Ritual. Rom. tit. de Exorcizan.

dendo, quod ubi ſignis, verbis, rebus naturali ſanandi virtute deſtitutis utuntur ad extraordinarias, & præter conſtantem naturæ ordinem curationes, vel ad alia præſtanda, quæ naturæ, & artis induſtriam ſuperant, ignari licet, & pacti neſcii; eo tamen ſacramento, ſaltem tacito irretiuntur, quod cum malo Dæmone dixit, qui primus illis uſus eſt ad invitandum, & vocandum Dæmonem. D. Auguſt. lib. 2. de Doct. Chriſt. cap. 19. 20. 23. & 24.

IV. Nec refert, quòd verba divina, & ſancta ſint; ea enim commentus eſt Diabolus, ut ſpecie ſanctitatis illecti altiùs, & faciliùs illis fidant incauti, & quò fraudi jungeret contumeliam, ſanctis inferendo blaſphemiam: hinc plerumque cum profanis, & aliis nihil ſignificantibus, Diabolo tamen notis ſunt admixta, quæ in pacti ſigna pepigit. Quare ſi in verbis, aut ore prolatis, aut collo appenſis aliquid ſit ineptum, impium, vanum, aut barbarum, & minimè intellectum, aliquid ſuperſtitionis latere ſuſpicentur, & facilè credant. Tertull. lib. de Idololatr. cap. 11. D.Th. 2. 2. q. 96. ar. 4

V. Pium, & ſanctum eſt ſanctas reliquias, cereas Agni Dei effigies, Evangelium D. Joannis, aut alias pias preces collo appenſas geſtare, dummodo ſpes nôn habeatur in modo dicendi, ligandi, aut ſcribendi, in certo numero, & figura, vel in quopiam alio, quod ad divinum cultum minimè conducat: nam ipſa per ſe bona noxia fiunt moroſitate ſuperſtitioſa: & ſuperſtitione peccatur, ubi quis, cui non debet, vel eo modo, quo non debet, Divinum cultum exhibet; ita ut verus cultus Auctor Oper. imperf. in Matth. inter oper. S. Jo. Chryſoſt. hom. 43. S. Auguſt. tract. 7. in Joan. D. Thom. 2. 2. q. 92. art. 1.

falſò Numini, vel falſus cultus vero Deo deferatur. Aliis autem ligaturis, amuletis, characteribus, aut nefariis precum formulis, ſignanter ad occentanda arma, depellendos morbos, occurrendum faſcino, impium, & profanum eſt uti. Fortè nil tale præſtant, quale à talibus ſignis ſperatur, ſed meræ nugæ ſunt, & Diaboli luſus; tamen quia neque hoc nomine carent periculo ſuperſtitionis, non patiantur Parochi vafrum ſerpentem, ut illuſit primis Parentibus; ita & imponere vanæ poſteritatis credulitati. Nos autem in caſus reſervatos etiam has damnatas ſuperſtitionis vanitates referemus, quas obſervantias vocant ſanitatum.

Cyrillus Jeroſolym. Catecheſ. 1. Concil. Laodic. can. 36. Roman. ſub Gelaſ. I. Nicol. I. in reſp. ad conſult. Bulgar. art. 79. &c.

VI. Solus Deus ſcientiarum Dominus novit abſcondita cordis, & comperta habet, quæ futura ſunt, & certas non habent in natura cauſas. Nemo igitur ſit apud Nos, qui de Cœlo ſervet, aut ad Genethliacos, Augures, Ariolos, Aſtrologos, cæteroſque id genus Divinatores, declinet ut ſciſcitetur, vel prænuntiet futura, aut arcanò acta, quæ perſpicere, & prænunciare nequit humana mens. Ut quid Filii hominum diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Idoneum teſtimonium divinitatis, veritas divinationis, & Dominus ſuæ dignitatis Æmulos ad eam provocat conditionem, ut nuncient, quæ ventura ſunt, ſi Dii videri volunt: hinc nefarii ſpiritus hujus ſcientiæ famam ſemper ſummo ſtudio quæſiverunt, quò divinitatis fidem ſibi compararent; & Aſtrologiam ſæpè in magicam arripiunt ſuperſti-

1. Reg. 2. ver. 3. Pſal. 43. ver. 22.

Levit. 19. & 20. ver. 6 Deut. 18. ver. 10.

Pſal. 4. ver. 3.

Tertull. Apol. c. 20.

Iſa. 41. ver. 23.

D. Aug. de Civ. Dei.

Digitized by Google

perſtitionem. Eſto igitur naturales obſervationes, in quibus etiam ſæpè fallit conjectura, licitæ ſint; ſub graviſſimis tamen his pœnis, quibus Sixtus V. ſubjecit Aſtrologos judiciarios vetamus, per hanc artem notitiam inquirere, aut aperire eorum, quorum cognitionem ſola ſibi Divina providentia reſervavit. Antiquiſſimis tum canonicis, tum ſæcularibus legibus expelluntur Aſtrologi, ſicut Angeli eorum: Urbes, & Eccleſia interdicitur Aſtrologis, ſicut Cœlum Angelis; eadem pœna eſt Diſcipulis, & Magiſtris.

Lib.5. cap.7. de Doct. Chriſt. lib.2. c.23

Conſt. 17. Cœli, & Terræ.

Conc. Tolet. 1. c.15. Trull. can. 61. &c. Can. Illos. Can. Igitur. Can. Non liceat 26. q.2.3.5. L. Nemo. L. Etſi. Cod. de Maleſ. & Math. Leg. Mathematicos Cod. de Epiſc. Aud. Tertull. lib. de Idolol. cap.9.

VII. Parochi, & Vicarii Foranei vafrum illud hominum genus, quos Cingaros vocant, vagari non permittant, qui ex lineis, ſeu areolis manuum, vel frontis, longitudinem vitæ, vel fortuitos caſus ſolent prænunciare; & increpet curioſam vanam turbam, quæ frontem, aut manum illis præbet, ut vitæ ſeriem, & eventus doceatur. Circulatores item obſervent, & licèt ſolâ manuum celerrimâ dexteritate, & ingenioſo quodam dolo offucias faciant, & ſenſus fallant, tamen non ita facilè permittant, cum damno ignavi populi nugari, & vendere mendacia; præcipuè ubi ſcandalum imbecillis creatur, qui portentoſa ea credunt, nec aliter, quàm arte Dæmonis fieri poſſe ſibi perſuadent.

Conc. Trull. can. 61.

VIII. Nunc judicium eſt mundi, nunc Princeps hujus ſeculi ejectus eſt foras: at contra in Chriſti contemptum molitur adhuc Dæmon Gentilium ſuperſtitiones in Evangelium protra-

Joan. 12. ver. 31.

Digitized by Google

here, aut invehere, & interceptis noſtris ſacrificiis ſua veluti poſtliminio reſtituere. Unde quàm maximè conducere viſum eſt ſemper Eccleſiæ, ſi reſidua omnia gentilitatis veſtigia abolerentur: neque enim Chriſtianus dici poteſt, qui aliqua de gentilitate cuſtodit. In Paganias identidem animadvertere coacta eſt; nec tamen uſque adeò oppreſſæ ſunt, ut alicubi aliqua adhuc relicta non ſint, quæ exoleti Paganiſmi ſapiunt impietatem. Cum igitur ad Nos perlatum fuerit, quædam in noſtra Diœceſi, præcipuè apud vulgus obſervari Kal. Maii, & in nocte Epiphaniæ cum procaci quadam licentia, quibus non minus periclitatur honeſtas, quam religio; ideò ea fieri vetamus ſub pœna carcerationis, & aliis arbitrio noſtro decernendis in violatores hujus noſtræ Sanctionis, contra quos etiam per Inquiſitionem procedemus.

Con.II.Turon.c.22.

Concil. Antiſidor. can.1.Indicul.ſuperſtit. & Paganiar. in Concil. Liptinen. Conc.Cæſarauguſt. can.5.Turonen.can. 22. Trull. can.62.

CAPUT IV.

De Doctrina Chriſtiana.

CHriſtianæ Religionis privilegium eſt, ut ſint Parvulis revelata, quæ olim fuerant ſapientibus abſcondita; ubi enim evanuit in cogitationibus ſuis ſuperba curioſitas, humilis Chriſti operoſa fides eorum notitiam inſerit animis, quæ vix ſuſpicari poterat humana ſapientia: ſi turbas hominum omnis litteraturæ præſidio deſtitutas magna

Matth.11.ver.25.

Roman.1.ver.21.

gna philoſophari, & excelſa loqui audimus; id totum munus eſt Dominicæ Incarnationis, per quam factum eſt, ut miſſo Chriſto pauperibus evangelizare, ſapientia parvulis præſtaretur. Eccleſiæ igitur multùm intereſt Puerorum inſtitutio, ne quos ad vitam genuit Divina ſapientia, lacte deſtitutos, & pabulo perire ſinat incurioſa Paſtorum Animarum negligentia. At nobis ſatis gratulari non poſſumus, quòd cum habuerimus Prædeceſſorem, qui Paſtoralis officii numeros omnes implevit, ita in habenda, procuranda, & promovenda catecheſi fuit ſemper occupatiſſimus: quare ea tantùm laus nobis relicta videtur, ut premamus non leviter preſſa veſtigia, quæ exæquare non poſſumus, & intercidere non patiamur fructum, & gloriam tot, tantorumque laborum.

S. Chryſ. hom. 7. in ep. 1. ad Corinth.

Matth. 11. ver. 5. Pſal. 18. ver. 8.

Thren. 4. ver. 4.

I. Ut promptiùs & alacriùs hujus ſaluberrimi ac ſanctiſſimi operis curam ſubirent fideles, ſe ſe effudit pia ſummorum Pontificum liberalitas, uberes Indulgentias iis omnibus largiendo, qui illud qualicumque modo, ſeu ut Magiſtri docendo, ſivè ut diſcipuli diſcendo rudimenta Fidei, ſuſcepiſſent, præſertim ubi erectum eſſet Doctrinæ Chriſtianæ ſodalitium Romanę Archiconfraternitati aggregatum. Quare hoc piiſſimum, & neceſſarium opus promoturi, ut Deo adjutore nova in dies, & meliora ſemper incrementa ſuſcipiat; Parochis mandamus, ut intra trimeſtre, ſi in ſuis Eccleſiis erectum non eſt ſodalitium, Canonicè erigi, & aggregari procurent: quod ſi erectum reperiatur canonicè, ſed illius partim

Ex Conſt. S. Pii V. 137. Ex debito. Pauli V. 36. Ex Credito. Clemen. VIII. 115. Quæcumque.

partim collapſa, partim informis, ut comperimus, ſit diſciplina, reſtitui curent, & reparari: hoc eſt intra idem trimeſtre ſignificatis Indulgentiis, & meritis pii operis præſtituant diem, in quo prævia auguſtiſſimæ Euchariſtiæ perceptione inſtitutæ Confraternitati dent nomen, qui nondum dederunt; quotannis renoventur Officiales, ni aliquos confirmari cenſeat Parochus, & doctrinæ moderatorum prudentia, & in Tabella publicè exponenda deſcribantur. Hanc Officialium creationem quotannis fieri mandamus in feſto SS.Innocentium à prandio.

II. Methodus tradendæ Doctrinæ Chriſtianæ, ac diſputationibus promovendæ, quæ in noſtra Eccleſia Cathedrali Montisfaliſci, non ſine ubere fructu ſervatur, inducatur, aut inducta, quantùm fieri poteſt, cuſtodiatur in cæteris noſtrarum Diœceſium Eccleſiis. Hic autem eſt. A prandio hora pro temporum ratione congruente ære campano majoris Eccleſiæ habendæ catecheſeos ſignum editur, & præmiſſis duobus Pueris, quorum alter Crucem gerit, alter campanulam pulſat, Parochus duos ſaltem habens Comites Clericos digreditur ab Eccleſia Cathedrali, & Litanias B. Virginis concinens, inſtructo veluti proceſſionis ordine per communes, & frequentiores vias diſcurrit; ubi præmaturi Viri, quos Piſcatores vocant, ad colligendos vicatim pueros deſtinati eos deducunt, & id curæ habent, ut non turmatim, & tumultuariè, ſed bini, & bini procedant.

cedant. Ubi perducti ſunt ad Eccleſiam Pueri, iterum præmiſſo Clerico, qui deferat Crucifixi imaginem, iidem, aut alii ab Eccleſia prodeunt Piſcatores ad convocandos Adultos, quos ut colligat in Foro, Clericus noſtri Seminarii in Sacris conſtitutus brevem, ſed concitatam habet concionem ab illius diei Evangelio ſumpto argumento, qua populus ad audiendam Catecheſim invitatur. Ubi Pueri ad Eccleſiam convenerunt, pro uniuſcujuſque intelligentiæ modo in varias diſtribuuntur Claſſes, ut incipientes faciliora, provectiores altiora doceantur. Suus cuique Claſſi deputatus eſt Magiſter, qui Diſcipulorum nomina deſcripta habet in Tabella, eamque præ manibus habens notat abſentes Præſidi, aut ſupremo Catechiſtæ relaturus. Et quia ut aſſolet Adulti cum Pueris convenire erubeſcunt, ne malo pudore ſuffuſi abſtineant, ſeorſim à Pueris per provectæ ætatis Sacerdotes ſine interrogationibus erudiuntur. Per campanulæ ſignum privatis inſtitutionibus impoſito fine confluunt omnes ad mediam Eccleſiam ex duplici latere ſeparati, & Præſes ab invocatione Spiritûs Sancti, & à ducto Crucis ſigno auſpicatus actionem concinentibus Clericis modò unum, modò alterum ex præcipuis Doctrinæ Chriſtianæ capitibus altâ voce recitat, Univerſis qui adſunt eadem verba, quibus præiverat repetentibus. Inde diſputatio ab eminentiore loco inter Pueros inſtituitur, & qui majoris profectûs præbuit ſpecimina honoris notâ diſtinguitur, vel mu-

munuſculo donatur. Demum qui præcipuus eſt eſt in Catechiſtæ munere, uberem habet ad populum explicationem, & laudibus B.Virg., piâ cantiunculâ, & gratiarum actione abſolvitur opus, & ſtatim Veſperæ inchoantur.

Bellarm. de Notis Eccl. III. Veræ Fidei teſſera unitas eſt, certum erroris argumentum ſibi diſſimilis, ſemperque al-
Theodor. Orat. 1. de Provid. ternans doctrina; varium ſiquidem eſt mendacium, ſimplex verò Veritatis gratia, & labii unius eſt Eccleſia, ſicut unius illius animæ, & ſpiritûs,
Joann. 14. ver. 17. qui ſpiritus eſt veritatis. Quamobrem, ut omnes
1. Cor. 1. ver. 10. re, & voce conſentientes, perfecti ſint in eodem ſenſu, & in eadem ſententia, tradendo fidei myſteria eam ineant rationem, quam in duplici libello
Ex Conſt. Urb. VIII. 120. Ex debito. §6. Clementis VIII. juſſu edito, aut compendiariâ viâ, aut fuſiore explicatione Cardinalis Bellarminus perſecutus eſt. Ubi verò ille, qui munus obit primi Catechiſtæ, in hanc rem incumbit, ut mores plebis per Catecheſim informet, ſi par
D. Auguſt. de Catechiz. rudib. cap. 1. erit muneri, eamque habeat, & doctrinam Fidei, & ſuavitatem ſermonis, quam in ſuo Catechiſta exigit Auguſtinus, pulcherrimam eam rationem, & viam erudiendi Fideles ineat, quam Sanctiſſimus Pater in peregregio libro de Catechizandis rudibus præſcribit, & quæ iniri ſolet in noſtra Cathedrali: ediſſerat ſcilicet omnes ſummatim tum veteris, tum novi teſtamenti Scripturas, & quomodo uni
Ibid. cap. 3. & 4. de Doct. Chriſt. lib. 3. cap. 10. Chriſto, aut promittendo, aut repræſentando, atque uni fovendæ Charitati ſerviant, oſtendat: in omnibus item myſteriis ædificare ſtudeat charitatem,

Digitized by Google

tatem, ut conſcientiam bonam, & fidem non-ſictam doceat Auditores. 1. Tim. ver. 5.

IV. Subditæ plebis ad veritatis paſcua deducendæ cura, Parochis in primis commiſſa eſt, Conc. Trid. ſeſſ. 22. cap. 8. & ex ore illorum legem Dei potiſſimùm oportet Malach. 2. ver. 7. exquirere; quare ſub Divini judicii obteſtatione, ſingulis ſaltem Dominicis diebus, Fideles Pueros, & Adultos ad Eccleſiam convocatos Fidei rudimentis imbuant, & vitam Evangelicis inſtitutis doceant componere. Cathedram habet in Cœlo D. Aug. tract. 3. in Ep. 1. Jo. qui corda docet, oſtendens veritatem, & donans ſimul intelligentiam, dum aperit cor intendere Actor. 16. verſ. 14. his, quæ dicuntur. At quia in rem hanc multùm pro ſuo modo conferre poteſt recta docentis methodus; ideò ſimplici ac facili dicendi formâ ad rudem audientium captum ſeſe accommodent Catechiſtæ. Omnibus eadem debetur Charitas, D. Aug. lib. de Catech. rudib. cap. 15. ſed hæc non eadem ſemper eſt omnibus: ad alios ſe inclinat, ad alios ſe erigit: aliis blanda, aliis ſevera, nulli tamen inimica, omnibus Mater, lac potum dare conſuevit iis, qui nondum eſcam 1. Cor. 3. ver. 1. ferre poſſunt. Non ſolùm verba memoriæ, ſed quantùm patitur tenera ætas, vel hebes ingenium, ſenſum menti imprimi curent; nec frigidâ tantùm adhortatione, ſed opportunè, importunè arguendo, 2. Timot. 4. ver. 2. obſecrando in omni charitate, & patientia inſiſtant, ne fame verbi Divini pereant, quos ſuæ curæ habent commendatos. Sæpè ſignificent, & per Concionatores ſignificari curent Indulgentias, quas Summi Pontifices largiti ſunt iis, qui huic

operi vacant, ſive doceant, ſive diſcant. Nec unquam à factitanda Catecheſi ceſſetur, etiam tempore Adventûs, & Quadrageſimæ, cùm potiùs per hos dies in officiis pietatis Fideles deceat occupari. Nulla unquam erit excuſatio, quæ Parochos deſides à Supremi Judicis ultione, & noſtrâ eximat cenſurâ. Si igitur indictis his temporibus Catecheſes prætermittent, mulctam luent pro qualibet vice juliorum trium. Quod ſi negligentes nimiùm erunt, & contumaces, per alias graviores pœnas, per fructuum ſubtractionem, & ſi neceſſum fuerit, per Eccleſiaſticas quoque Cenſuras, ſtricto jure cum illis agemus, ut de ſuo munere ſint ſoliciti.

Conc. Trid. ſeſſ. 24. de Reform. cap. 4.

Pſal. 134. ver. 16.

Actor. 20. ver. 27.

Cap. Ut quiſque. De Vit. & Honeſt. Cleric.

V. Ne in noſtro Clero ſint, qui os habent, & non loquuntur, nemo ſubterfugiat, quominùs annunciet conſilia Dei. Sacerdotes igitur omnes enixè hortamur, cæteris verò minorum, ac majorum ordinum Clericis diſtrictè præcipimus, ut in re tam ſalutari ſubſidiariam operam præſtent Parochis. Caveant, ne de hoc exercitio minùs dignè ſentiant; unà enim cum neceſſitate dignitatem maximam habet adjunctam ea myſteria explicare, & audire, quæ Chriſtus in diebus ſuis docuit, & implevit. Summi Viri catechizandi provinciam ſuſceperunt, & ipſe Chriſtus Dominus, qui quotidie erat in templo, ad ſe erudiendos Parvulos venire juſſit. Ubi examen pro promotione ad ordines inſtituetur, deſperet ſe ad ſacra promoveri poſſe, qui à Parocho teſtimoniales juratas litteras

Apud Euſeb. lib. 6. cap. 3. & 6. Hieron. de Script. Eccleſ.

Matth. 19. ver. 14. Luc. 18. ver. 16. Marc. 10. ver. 14.

non

Digitized by Google

non habuerit, quibus in tradendis Fidei rudimentis, ipſum in verbo, & doctrina laboraſſe ſignificetur. Ubi verò pro Beneficiorum conſecutione, aut dandæ erunt litteræ teſtimoniales, aut habendus concurſus, id primùm penſabitur, quantam quis in hoc munere adhibuerit diligentiam. Vicariis autem Foraneis totis viſceribus hoc commendamus negotium: primi adſint in Eccleſia, ſæpè certiores Nos faciant, quo profectu, & frequentiâ hoc opus adminiſtretur. Parochorum, & aliorum Eccleſiaſticorum ſolertiam, aut incuriam ſtudiosè obſervent, & Nobis candidè, & integrè ſignificent unicuique, prout benè, vel malè ſe geſſerit, repenſuris. 1. Timot. 5. ver. 17.

VI. Parochi indicem conficiant, & quotannis tempore, quo ſtatus animarum deſcribi ſolet, augeatur, aut minuatur, prout ratio poſtulaverit, in quo puerorum, & puellarum nomina à quarto uſque ad decimum-ſextum annum deſcribant, notatis itidem Parentum nominibus, ut quoties ad Doctrinam Chriſtianam non convenerint, notari, eorumque Parentes, vel Propinqui amicè moneri, vel ſi nimia foret negligentia acriter poſſint urgeri. Alium itidem Catalogum inſtituant rudium, & agreſtium Adultorum, eorum præſertim, qui in agris verſantur: in iſtorum inſtructionem inſtent acriùs, & attentiùs. Ingenioſa Charitas omnes removet obices, & in variis adinventionibus exercetur: Evangelici igitur Paſtoris imitatores, qui reliquit nonaginta novem Pſal. 76. verſ. 13. Luc. 15. ver. 4.

oves, ut errantem unam quæreret, eos adeant, ad ſe vocent privatim inſtituendos, pudori conſulentes, quem tamen dediſcant oportet; quoniam qui Deum, & ejus ſcientiam erubuerit, hunc Filius hominis erubeſcet, dum venerit in majeſtate ſua. Huic operi non ſolùm in dilectione; ſed etiam in omni patientia vacandum eſt: quamobrem ſi conceptas formulas iiſdem verbis, quibus exceperunt, referre non poterunt, ſat erit, ſi quæ ſcitu neceſſaria ſunt calleant quoad ſubſtantiam, &, ut poſſunt, exprimant. Non diffidant imperiti, quando humilitas ingenii ad Dei ſapientiam non jam obex eſt, ſed gradus: & hoc in primis admiratione dignum eſt, quod utilis ſimul, & ſuſceptu facilis eſt noſtra Fides, ita ut rudis etiam, & Infans intelligat, ſi plus amet credere, quàm ſcire.

Luc. 9. vér. 26.

Ad Tit. 2. ver. 2.

D. Chryſ. hom. 2. in ep. ad Rom.

VII. Cum diſperſi à prandio ruſtici ægrè colligantur; Parochi ſuburbani, & rurales per integram horam, eâdem, quæ ſupra, indictâ pœnâ, ante, vel intra Miſſam Parochialem, ut commodum magis erit Populo, cui debent conſulere, Catecheſim habebunt; & ut ſemel, & iterum repetita craſſioribus etiam ingeniis hæreant, clarâ, & diſtinctâ voce genuflexi ante Altare, præmiſſo ſigno Crucis præcipua Fidei noſtræ capita, ſcilicet Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apoſtolicum, Præcepta Decalogi, & Eccleſiæ, numerum, & vim Sacramentorum, primaria Religionis noſtræ Myſteria recitabunt, populo

Conc. Trid. ſup. cit.

Digitized by Google

pulo lentè, & devotè eadem verba repetente. Nec paucitatem confluentium ad Parochiam cauſentur; hoc enim titulo ab habendæ Catecheſeos onere abſolutos nolumus, cum multis, & paucis, imò vel uni ſine diſcrimine, & excluſa omni perſonarum acceptatione ſuam operam debeant, & diſpenſationem myſteriorum Dei. Benedicet tandem Deus laboribus eorum, & fructum referent in patientia. Luc. 8. ver. 15.

VIII. Altè hærent animo, quæ à primis annis inſeruntur; quare in Chriſtiana Republica, maximè curandum eſt, ut Fideles jam inde à tenera ætate initio cognoſcant de divinis teſtimoniis, quæ in omnem ætatem fundentur in eis. Hîc præcipuè valet Parentum ſtudium, & opera: ideoque Parentes, Propinquos, Tutores, Magiſtros monebunt Parochi, ſecum hanc curam, & miniſterium partiantur. Pro addiſcendis Fidei myſteriis ſtatutis diebus ad Eccleſiam ſibi commiſſos Pueros mittant, ſeu potius ducant, & præeant exemplo, cum fruſtra ſit imperantis opera, ubi præcipit, quæ non facit. De neglectis alioquin animabus rationem Deo reddent; ipſis enim divinitùs mandatum eſt narrare filiis ſuis legem Domini. Heri item monendi ſunt, ne Servos, & Ancillas detineant, & occupent, ſed aliquid vacui temporis relinquant, quò poſſint ſtatis his horis ad Eccleſiam convenire animo meditantes, quòd juxta Apoſtolum, qui ſuorum præcipuè domeſticorum curam non habet, fidem negavit, & eſt Infideli dete-

Pſal. 118. ver. 152. Ambroſ. hic

Can. Non putes 23. quæſt. 5.

D. Aug. tr. 5. in Jo. Chryſoſt. hom. 5. in 2. ad Theſſalon. & lib. 3. cont. Vituperat. Vit. Monaſt. c. 4.

Exod. 13. ver. 18.

1. Tim. 5. ver. 8.

deterior. Eos autem, qui parum hanc religioſam curam gerunt de æterna Filiorum, & domeſticorum ſalute, ſi pluries moniti non reſipuerint, arceant à Sacramentis, donec ſibi ab iis tutò meliora promittere poſſint Confeſſarii. In Ludi quoque Magiſtris fidei, & pietatis inſtillandæ ſua, eaque maxima, poſita ſpes eſt. Meminerint igitur, ipſis etiam à Conc. Lateran. Decreto graviſſimam illam impoſitam obligationem, ut ſingulis hebdomadis Fidei rudimenta ſuos doceant Diſcipulos; ſed fas eſſet, ut nullum abire ſinerent diem, quin aliquid de Catecheſi memoriter à pueris reddendum curarent, & ubi in Eccleſiam conveniunt, aſtarent & ipſi, ut illi ſua ſe ſtatione faciliùs continerent.

Act. Eccl. Mediolan. par. 4.

Seſſ. 9. can. 7. Sub Leone X. & in Conſtit. 7. Superna.

IX. Conveniant Confeſſarii omnes in ſervanda ea lege, quam §. 1. cap. 1. præſcripſimus de denegando, aut differendo abſolutionis beneficio iis, qui ignorant Chriſtianæ Religionis elementa, ſumma ſcilicet, & eſſentialia credendi, & agendi capita, quæ ad obtinendam ſalutem ſunt neceſſaria: & quoniam miſerum eſt, eum Magiſtrum fieri, qui nunquam diſcipulus fuit, ad Patrini officium, tàm in Baptiſmatis, quàm in Confirmationis Sacramento non admittantur, imò ne ſacris quidem ſodalitatibus adſcribantur, qui in hac rudi, & craſſa ignorantia rerum, quæ ad Religionem pertinent, verſantur. Sponſos antequam matrimonium contrahant, de Fidei rudimentis interrogent, ut ſuæ eos pudeat ignaviæ, & ſaltem ſub-

Can. Miſerum eſt. diſt. 61.

Conc. Pariſ. 6. lib. 1. cap. 54. S. Carol. Act. par. 2. & in Inſtruct. Baptiſ. Can. Vos ante omnia. de Conſecr. diſt. 4. Can. Ita diligere 30. q. 1. Conc. Mediol. 5. tit. Quæ ad Matrim.

ſubeundi examinis timore, ne repulſam patiantur, diſcant quæ inculpatè ignorare non poſſunt; alioquin nuptiis interdicantur: incommodant enim Eccleſiæ ea connubia, per quæ nihil præter ignorantiam in ſubnaſcentes Filios derivatur, & propagatur; dum Parentibus ſuis Filii, non magis in patrimonia, quàm in vitia ſuccedunt: nec magis facultates paternas ſumunt, quàm pravitates. Salvian. lib. 1. ad Eccl. Cath.

X. Neceſſariis inſtitui præceptis debent etiam præcipuo ſtudio Mulieres, *quarum cura magni eſt momenti in inſtituendis Filiis: Filii quippe maternorum morum admodùm ſunt ſequaces, & grandior ætas ea facilè ſervat præcepta, quibus finxit in infantia mollem animum Matrum educatio. Id officii olim jam commiſerat Eminentiſſimus Prædeceſſor piiſſimis quibuſdam Virginibus, inſtitutis Scholis Puellarum pro Doctrina Chriſtiana, quas etiam ſcripſit hæredes. Porrò quia morte nimiùm maturâ præventus eſt, & non ea reperta eſt hæreditas, quæ illis alendis ſufficeret, lubenti animo ultrò hoc onus ſuſcepimus, ne rerum neceſſariarum temporalia ſubſidia deeſſent illis, quæ ſumma alacritate, & labore ſpirituali Puellarum diſciplinæ vacabant: nec ſine Dei conſilio factum eſt, ut ſicut erat in veteri more, haberet in ſuo Canone noſtra Eccleſia nomina Virginum, quas aleret, ne Sponſæ Regis Regum inopiâ, aut inediâ laborarent, quæ in ipſa Virginitate, vel theſaurum incomparabilem ſpectant paupertatem. Ut conſummemus incœptum opus, in

Ex Euſeb. lib. 6. c. 43. Socrat. lib. 1. cap. 13. Sozom. lib. 5. cap. 5. Chryſoſt. in Matth. hom. 67.

in hoc verſantur noſtra conſilia, ne irrita cedant vota Eminentiſſimi Prædeceſſoris noſtri: At ſi per mortem, aut per vires non liceret: illi, qui in Epiſcopatu ſuccedet, hoc opus ad maturitatem promovendum vehementer commendamus, unde non exigua derivant in Diœceſim ſpiritualia adjumenta. A pio, & docto Viro ſcribi curabimus eas leges, quas tradititias, & traditione ſervatas habent. Interim tum temporali, tum ſpirituali Scholarum curæ præficimus, & deputamus duas primas dignitates noſtræ Cathedralis, & tum Parochis, tum Vicariis Foraneis mandamus, ut eas tueantur, & curent. Nulli tamen Viro, cujuſcunque ſit conditionis, ad eas pateat aditus. In ſeceſſu, in ſilentio, in aſſiduitate orandi ſuas habeant Magiſtræ delicias, & quamvis nullis ſeptæ ſint clauſtris, ament tamen latere ab omni vana converſatione ſemotæ. Ut exteriore etiam cultu Mundi contemptum præſeferant, fuſcas, & modeſtas induant veſtes. Ad hoc miniſterium non niſi Virgines admittantur, & quæ priùs in Schola Montisfaliſci aliquod poſuerint veluti tyrocinium. Quamvis ex inſtituto illis potiſſimùm commiſſum ſit munus docendi Doctrinam Chriſtianam, docebunt etiam operari manibus ſuis, dummodò tamen iis tantùm laboribus manuum aſſueſcant, quę nec ineptias, nec vanitates ſęculi redoleant, quas in Baptiſmate ejurarunt.

Ex Hieron. ad Euſtoch. de Cuſt. Virg.

Id. àd Marcell. dé laud. Aſellæ. Ad Gaud. de Pacat. educat.

XI. Non ſolùm privatim, ſed etiam publicè ſeorſim à Pueris Puellę inſtituantur. Ubi una

una tantùm erit Parochialis Eccleſia ſaltem loco diſtinguantur in ſuas Claſſes: è re tamen erit, ut ubi ſunt plures Eccleſiæ habendis Catecheſibus aptæ, ad Parochialem conveniant Pueri, ad alteram Puellæ, quibus edocendis ſub præmaturæ ætatis Sacerdotis directione eæ præſint, quæ in Scholis Puellarum conſtitutæ ſunt Magiſtræ; ſi autem opus fuerit, addantur etiam adjutrices Mulieres provectæ ætatis, probatæ vitæ, & quæ in rebus Fidei ſunt magis inſtructæ, eâ reſpectivè ſervata methodo, & formâ, quam de inſtitutione Puerorum præſcripſimus. De hoc argumento Paſtoralem epiſtolam dedimus ad dilectiſſimum noſtrum Clerum, & Populum, quibus ea, quę ibi ſcripſimus, hîc iterum commendamus. Append. num. IV.

CAPUT V.
De Divini Verbi Prædicatione.

TAnti momenti, ac ponderis eſt in Eccleſia prædicatio Verbi Divini, ut inter præcipua Sacerdotalis officii munera recenſeatur. Cum enim omnia aſſequendæ ſalutis adjumenta pendeant à Fide, & Fides ab auditu, & auditus fiat per verbum Dei; dubio procul erit, Fideles credere non poſſe niſi audiant, nec audire ſine prædicante. Verbum ipſum, & Sapientia ſempiterna Patris, ubi noſtræ mortalitatis exuvias induit, Evangelizare Pauperibus miſſa eſt; huc totum illius vitæ inſtitutum ſpectavit, hoc unum redivivus

Rom. 10. ver. 17.

Luc. 4. ver. 18.

vivus à mortuis officium indixit Apoſtolis, ut irent per univerſum mundum, docerent omnes gentes, & prædicarent Evangelium omni Creaturæ: his item, qui ex primis his Patribus nati ſunt, Filiis cœleſtis ſeminis injuncta eſt diſpenſatio. Væ ſi non ſparſerint, væ ſi tacuerint. Ne igitur ubi Mundus Sacerdotibus plenus eſt, in vaſta, & opulenta meſſe Domini rarus valdè inveniatur Operator, quia officium quidem Sacerdotale ſuſcipitur, ſed opus officii non impletur: ideo

Matth. 28. ver. 19.

Can. Diſpenſatio diſt. 43.

S.Gregor.in Evang. hom. 17.

I. Meminerint Parochi ſibi potiſſimùm commiſſum eſſe ſalutis populorum depoſitum, ipſiſque dictum præcipuè: Prædica Verbum, inſta opportunè, importunè: hoc illud eſt, quod habent docendi, ac paſcendi gregis officium, ni in Væ, ac in maledictionem incidere velint à Propheta interminatam illis, qui improbi exactores lactis, & lanæ, at non erogatores ſeduli, & fideles verbi, commendatas ſibi oves paſcere negligunt. Lac comedebatis, & lanis operiebamini, quod craſſum erat occidebatis, gregem autem meum non paſcebatis. Qui Parochus igitur hoc munus non impleverit, ſaltem diebus Dominicis, aliiſque de præcepto feſtivis diebus, præter acrem, & ſeveram Divini judicii ultionem, quam certò ſubibit, unius aurei pœnam pro ſingulis vicibus dabit, applicandam pauperibus arbitrio Vicariorum Foraneorum. Speramus tamen, & in Domino confidimus, Parochos noſtros non coactivâ pœnarum vi, ſed voluntario ſui muneris affectu, in id impensè

S. Hier. lib. 2. in ep. ad Epheſ. S. Amb. l. 1. de off. c. 1. S. Greg. in Paſt. p. 2. c. 4. S. Th. 2. 2. q. 2. art. 6.

2. Tim. 4. ver. 2.

1. Petr. 5. ver. 2.

Ezech. 34. ver. 3.

Conc. Trid. ſeſſ. 22. de Sacr. Miſſæ cap. 8. ſeſſ. 24. de Ref. c. 7.

penſè ſtudium omne collaturos, ut noſtris votis ſatisfaciant.

II. At quia inexorabilem hanc concionandi neceſſitatem impoſitam volumus animarum Rectoribus; Vicarii Foranei, quorum conſcientias hîc oneramus, ſedulò excubent, & invigilent, ut hanc primariam ſui muneris partem exactè impleant Parochi, & ad dictæ pœnæ executionem in deſides, & ignavos procedant, ut vocales tandem fiant, qui fuerint Canes muti. Nos ſingulis ſaltem ſemeſtribus, ſub pœna amotionis ab officio, monitos faciant de eorum ſilentio, aut deſidia, nam ubi per trimeſtre, aut diutiùs contumaces extiterint, ſemel & iterùm monitis, & caſtigatis, graviores indicemus pœnas; imo ſi Nobis expedire videbitur, alium etiam ſubſtituemus eorum impenſis alendum huic muneri parem, & idoneum. Bovi ineptè trituranti obturandum quandoque os eſt; nec expedit, ut integra merces ſolvatur cuſtodi ſuper gregem minimè vigilanti. Ut experiamur autem, quâ diligentiâ plebes ſibi commiſſas pro ſua, & earum capacitate paſcant, & ſano-ne cœleſtis eloquii pabulo nutriant, ter in anno unum aliquem ad Nos mittant eorum ſermonum, quos habuerint ad populum.

Iſaiæ 56. ver. 10.

Conc. Trid. ſeſſ. 5. cap. 2.

1. Corinth. 9. ver. 9.

III. Ne autem animo deſpondeant, qui ad concionandum à natura minimè comparati videntur, ſciant uſu, & zelo, & infatigatâ animi conſtantiâ omnes obices ſuperari. Sibi laborem non fingant in præcepto; neque enim elaboratas, & com-

Pſal. 93. ver. 20.

comptas à Parochis exigimus orationes; nec ad concionandum urgemus ſolemni formâ: Sat erit ſi non de ſuggeſtu, ſed ex ipſis Altaris gradibus, ut priſcos etiam Patres feciſſe legimus, proximè poſt Evangelii recitationem, ſibi commiſſam plebem doceant per humiles, & familiares exhortationes, quæ plerumque quò pompæ minùs, & ſtrepitus, plùs habent utilitatis. Si ſuo ex penu promere non poſſunt, à docto aliquo Viro, aut probato Scriptore ſumant, & recitent: quod ſi hebeſcente memoriâ perdiſcere non poſſint, legant ſaltem. Et quamvis hoc poſtremum minùs placeat, quòd ad animarum inſtructionem magis conferat vivus ſermo Domini de ore Paſtoris; tamen ſi alia non ſuppetit via, ipſâ lecturâ contenti erimus, dummodò tamen librum Nobis priùs indicaverint, ut videamus ſit ne probati Authoris, & ſanæ doctrinæ. Non deſunt profectò etiam in veteri Eccleſia exempla Sanctiſſimorum Virorum qui devexâ ætate, & effœtâ valetudine de codice ad populum ſuas, & aliorum recitabant conciones.

Ex SS. Chryſol. ſer. 173. Greg. Nyſſen. orat. de S.Bapt. Cypri. Diacon. in Vit. S. Cæſar. cap. 18.

D.Greg. hom. 21. ex lib. XL. hom. Joan. Diac. in ipſius Vit. lib. 2. cap. 18. Gennad. de illuſtr. Eccl. Script. cap. 57. & 67.

IV. In poſterum autem, in amplioribus præſertim Eccleſiis noſtræ Diœceſis, regendis animabus non præficiemus, niſi illos, quos noverimus potentes exhortari in doctrina ſana. Et ne Domus Domini, quę eſt Eccleſia, ſine lucerna Verbi Divini remaneat, Clericos, qui in Seminario inſtituuntur, per Rectores, & Magiſtros præcipuè ad conciones formari volumus; & ne temerè, aut incurioſè huic ſacro muneri operentur, curent ut illius

Tit. 1. ver. 9.

Conc. Melden. can. 30.

illius probè obeundi religioſa cura animos tangat, & vexet. In lege Domini meditentur die, ac nocte: pietatis, & rectæ religionis eloquia, intelligentias, & judicia veritatis colligant à Scriptura, & Patribus, Scripturę legitimis Interpretibus, à cujus ſenſu, imò vel à modo loquendi, quantùm fieri poteſt, non recedant; ſed ſententiis, & ipſo dicendi charactere quàm proximè Patres ſtudeant aſſequi, & imitari. Pſal. 1. ver. 2. Synod. Trull. can. 19

V. Quia opus Evangeliſtæ fit quandoque ſine animarum proventu, & vacuum redit Verbum Domini, ex pravitate, aut imperitia proferentis; Concionatores omnes ſub Divinæ ultionis, pœnarumque, pro modo culpę, interminatione monemus, ut in prædicatione Evangelii verbum ſanum, & irreprehenſibile, in oſtenſione ſpiritûs, & virtutis loquantur. Sancta ſemper, & ſevera ſint Concionum argumenta, quę eò tendant, ut mores forment, mentem inſtruant, & ſtudium pietatis promoveant. Inter præcipuas Concionatoris dotes numeramus prudentiam, quâ dicat debentia dici: locis, & perſonis ſe accommodet, non alta, non ſublimia loquatur coram multitudine, abſtruſas, & reconditas ex Theologia quæſtiones omittat conſultò, ubi vel minimè neceſſariæ ſunt ad ædificationem Populorum, aut ad vulgi captum non poſſunt accommodari: caveant ne eorum culpâ in eam maledictionem innocens plebs incurrat, ut audientes non audiant, & aure audientes mente non percipiant. Iſai. 55. ver. 11. Tit. 2. ver. 8. 1. Corinth. 2. ver. 2. Can. Oportet 8. q. 1. Iſaiæ 9. ver. 6. Matth. 13. ver. 13.

VI. Chri-

VI. Chriſtus dat Verbo ſuo vocem virtutis, nec indiget profano ambitioſæ eloquentiæ apparatu illorum, qui ſe ipſos potius, quàm Evangelium prædicare videntur. Inſonet cordibus, non pruriat auribus Divina eloquentia, cui non à novitate, ſeu vanitate; ſed à rerum pondere ſuum eſt pretium. Nihil novi Concionatores loquantur, quod magnis Authoribus tueri non poſſint, & inconcuſſis Scripturæ, & Traditionis monumentis fulcire: à jocis, & ſcurrilitate, ab abſurdis, & ridiculis argumentis abhorreant, quibus Divini verbi religio & Sanctorum laudes impiâ temeritate profanantur. Deteſtamur autem in primis, qui adulterantes Verbum Dei, & authoritatem, & vigorem Scripturarum enervantes conſuunt pulvillos ſub omni cubito manûs, & faciunt cervicalia ſub capite univerſæ ætatis ad capiendas animas. Exaltent in fortitudine vocem ſuam, qui vigiles ſunt in Iſrael, & evangelizant in Jeruſalem. Fideles non ſolùm ad ſervanda præcepta moveant, ſed etiam ad amplectenda Evangelica conſilia hortentur. Nimiùm tamen clamoſos non amamus; maximis enim clamoribus quandoque nihil promovent rabioſè declamitantes, & in odium abit veritas ab inviſo Concionatore, qui ſua aſperitate deterret potius à virtute, quàm invitet ad Chriſtum.

Joan. 7. ver. 18. & Corinth. 4. verſ. 1.

Ex Lit. Sac. Congr. Conc. de mandato Innoc. XI. 6. Julii 1680.

2. Corinth. 2. ver. 17.

Ezech. 13. ver. 18.

Iſaiæ 40. ver. 9.

VII. Inquirant à Parochis, aut aliis probatæ vitæ hominibus quæ vitia, aut pravi mores graviùs ſerpant, & inoleſcant, & in eos ſæpiùs per-

perorent, donec aliquis appareat fructus, & in pravas illas invehantur conſuetudines, quæ aut per ſe malæ ſunt, aut mali ſpeciem præſeferunt, & occaſionem peccandi ſuggerunt. Vitia tamen notent, non homines, neque ita apertè, aut graphicè deſcribant, ut perſonas denotaſſe, ac ſugillaſſe videantur; præcipuè ſi laicâ, aut eccleſiaſticâ fulgeant dignitate; nec adeo probroſâ, & mordaci cenſurâ mores carpant, & perſtringant, ut concio degeneret in ſatyram, aptam potius exaſperare, quam corrigere. Cordi illis potiſſimùm ſit unitatem ſervare; quare neminem de proximo ſuo, & præcipuè de Parochis obloquentem admittant, aut audiant, multoque minus conniveant, aut aſſentiantur; ſed ſi quid opus remedio fuerit, ad Nos deferant in ſpiritu charitatis. Si verò, quod Deus avertat, Prædicator veſtem inconſutilem Chriſti abſcinderet, & labiis non lacte, ſed felle draconis conſperſis ſereret diſſidia, ſcandala diſſeminaret, ubi fovere deberet charitatem; in illum, ſervatis tamen prudentiæ, & charitatis legibus, informationes ſumant Vicarii, & ſtatim ad Nos tranſmittant, ut vel interdicto à concione, vel aliâ pœnâ, prout magis expedire videbitur, procedamus.

Ex Act. Eccl. Med. par. 4 Inſtruct. Præd.

Conc. Trid. ſeſſ. 5. de Ref. cap. 2.

Ex ſuprà citat. Lit. Sac. Congr. Conc.

VIII. Accedat caſto ſermoni vita innocens; uti enim miniſtro Verbi divini conciliat gratiam, & aſſerit fidem exemplum, quo ad virtutem prælucet; ita plus non raro offenſionis, quàm documenti afferunt verba, cui mores non reſpondent, &

fru-

Pſal. 49. ver. 16. fruſtra enarrat juſtitias Dei, qui illius odit diſciplinam. Hinc Paulus timens nè dum aliis prædicaret reprobus efficeretur, corpus caſtigabat, ac in ſervitutem redigebat. Delicatus ſanè Magiſter eſt, qui pleno, ac benè paſto ventre diſputat de jejuniis. In victûs igitur potiſſimùm, & potûs moderatione oſtendant Concionatores religioſam mentem, & in externo convictu, & converſatione mores ſemper habeant ad modeſtiæ leges compoſitos, non in riſus, jocos, fabulas, detractiones, minùs caſta colloquia effuſos. Nec verbo, nec facto ſeculum oleant, ſed à ſeculari, quantum fieri poterit, converſatione ſint alieni; quoniam inter quæſitas familiaritates verbo, aut facto labi proclive eſt, quo fit ut non immeritò quandoque Populi offendantur, & contemnant: Ædificent cunctos tam fidei ſcientiâ, quàm operum diſciplinâ.

1. Cor. 9. ver. 27.

Hieron. epiſt. 2. ad Nepot.

Can. Ignorantia diſt. 38.

IX. Verbum Dei nullo pretio ſatis æſtimari poteſt, non vendi, non emi, & qualis debeat eſſe qui evangelizat, præceptis Evangelicis deſignatur, ut ſcilicet ſit ſine virga, ſine calceamentis, ſine pera, ſine pecunia, hoc eſt, ſubſidii ſecularis adminicula non requirens, ſolicitus de illo dumtaxat æterno præmio, quod in hac vita in ſpe Dominicæ promiſſionis certus expectat. At quia æquum eſt, ut qui Evangelium prædicat de Evangelio vivat, ſecundùm Apoſtolum, & qui gregem paſcit ex lacte comedat: ideo illi, qui obligati ſunt, vel ad pręſtanda alimenta, vel ad exolvenda ſtatuta

Luc. 10. ver. 4.

1. Cor. 9. ver. 7. & 14.

tuta jam olim ſubſidia exactiſſimè ea tribuant, nec ullo quæſito prætextu, aut denegent, aut differant, domum parent, neceſſaria ſuggerant, incommoda omnia ſubtrahant; quorum omnium curam etiam Parochis, & Vicariis Foraneis enixè commendamus, à quibus etiam majore qua poterunt humanitate, & obſequio excipi, & tractari volumus. Evangelici tamen Concionatores ab ingenio, & vitio ſordidi quæſtûs abhorrentes caveant, ne de aliquo conquerantur, aut aliquid dicant, quod ad privatam eorum ſpectet utilitatem, ita ut ſua potiùs, quàm quæ ſunt Jesu Christi quærere videantur. A bonis Prædicatoribus non causâ victûs prædicatio impenditur, ſed causâ prædicationis accipitur victus: unde vivatur neceſſitatis eſt accipere, charitatis eſt præbere, non tanquam venale ſit Evangelium: accipiant igitur ſuſtentationem neceſſitatis à Populo, mercedem diſpenſationis à Deo.

Sac. Congr. in Tyburtina 3. Julii 1693

D. Greg. lib. 19. in Job cap. 10.

X. Inter concionandum jam à primis Eccleſiæ ſeculis publicè, ac communes collectarum dies denunciari ſolebant, & indici; & nos quoque id Concionatoribus commendamus, ut de pauperibus per Fidelium eleemoſynas juvandis ſępè cogitent, & loquantur; monentes populum, ut intelligant ſuper egenum, & pauperem, quidquid ſibi de temporalibus ſubſtantiis dempſerint, id multiplicatum in æterna retributione ſumpturi. At privatas, & ſingulares eleemoſynas, quas item antiquitùs inter concionem indictas habemus, & colle-

Ex S. Leon. in Serm. de Collect.

Pſal. 40. ver. 2.

S. Leo ſer. 2. de Collect.

Ex D. Aug. ſerm. 5. & 40. de Verb. Dom. ep. 215. D. Chryſoſt. in ſerm. de Eleem. & Collat.

Decr. Sacr. Congr. Epiſc. 20. Julii 1619 in Placentina.

2. Machab. 17. verſ. 43.

Infr. Cap. de Legat. Piis.

S. Greg. Moral. lib. 16. cap. 8.

collectas, pro Quæſtuariis, aliiſque privatis perſonis, aut locis non commendent, niſi de noſtro, vel Vicarii Generalis conſenſu explicito in Civitate; & Vicariorum Foraneorum, aut ſaltem Parochorum in Diœceſi. Piè, & religiosè de reſurrectione cogitantes excitent Fideles ad conferendas ſtipes, & preces in opem, & auxilium earum animarum, quę licet cum pietate dormitionem acceperint, & optimam habeant repoſitam gratiam, adhuc tamen, quò Divinę ſatisfaciant juſtitiæ, temporarias in Purgatorio pœnas explent. In hanc rem Quadrageſimali tempore, die aliquo Dominico concionem habeant vehementem, & gravem de pœnis Purgatorii, qua occaſione etiam invehantur in eos, qui Legatis piis aut ſegniter, aut nullatenus ſatisfaciunt, oſtendantque pœnas, quæ illis à Deo, & à Conciliis imminent. Pręcipua tamen Parochorum cura tunc erit, inde collectas eleemoſynas diſtribuere in ſuffragium Defunctorum, ut quantò citiùs per Miſſarum celebrationem à peccatis integrè ſolvantur.

XI. Formis exterioribus ad interiora facilè perducimur. Hinc magna quandoque vis eſt in externis ſignis, & rebus oculorum ſenſibus ſubjectis ad multitudinis potiſſimùm animos ſolicitandos, & commovendos. At quia id raró admodùm appoſitè fit, & prudenter; & multa occurrunt, quę potiùs riſum excitant, quàm eliciant dolorem; ideo ſinceram in omnibus non ad ſpectaculum factam pietatem cordi habeant Concionatores,

natores, nec unquam ut altiùs tremat Populus ludicra terriculamenta obtrudant. Externa ſigna, fictas perſonas, ſuppliciorum inſtrumenta, aliaſque hujus generis corporeas imagines (unâ excepta Cruce, & Crucifixi Icone) in auditorum conſpectum producere; item malleos audiri, vel ictus, qui veluti in rem præſentem revocent animum, etiam ubi habetur concio de venerandis Dei cruciatibus, improbamus. Hanc autem concionem fieri permittimus horâ quidem ſerotina feria V. majoris hebdomadæ, ſed competenti; eſto enim ſolemne olim fuerit vigilias noctis cuſtodire ad audiendum Verbum Domini, attamen antiqua vigiliarum devotio exoleſcit in dies, quòd nocturnis cœtibus etiam obtentu pietatis initis, in hac ſeneſcentis ſeculi fęce, meritò parum fidat Eccleſia.

Ex Tert. Apol. 2. Euſeb. lib. 3. cap. 35.

Conc. Antiſſiodoren Can. 5.

XII. A veteri conſuetudine profectum eſt, ut loci diſcrimine Mares à Fœminis in Chriſtianorum Eccleſiis ſecernerentur. Ne igitur ſtudium ſalutis ſit perditionis occaſio, ſaluberrimum hunc morem ad præſcriptum litterarum Sacræ Congregationis à piiſſimo Prædeceſſore noſtro inductum, quo ſuis ſeptis, & ſipariis, inter Divini Verbi Prædicationem, certo limite, Mulieres à Viris dirimuntur ſervari, & nunquam intermitti diſtrictè præcipimus. Quoties autem Prædicatores ad concionandum Monialibus à Nobis deſtinabuntur, exteri, & ſeculares non admittantur: gravitatem ſervent, & modeſtiam: tractent argumenta, quæ Regulari inſtituto, obſervantiæ, & perfectioni congrua

Cyrill. Hieroſol. in Præf. Catech. Amalar. lib. 3. de Eccleſ. Offic. cap. 2.

Lib. 2. cap. 57. Apoſt. Conſtit.

Sac.Congreg.Conc. in Bergomen. 21. Maii 1678.

grua ſunt : ſciant ſibi interdictam omnem tùm privatam, tùm publicam cum illis collocutionem; nec tempus prætereant aut locum, quem in facultate à Nobis obtenta deſignatum habebunt.

Joan. 8. verſ. 47.

Jerem. 13. ver. 10.

Tit. 2. ver. 12.

Luc. 12. ver. 31.

Luc. 2. verſ. 49.

XIII. Qui ex Deo eſt, verba Dei audit, & peſſimum per Jeremiam Prophetam eum populum vocat Dominus, qui ipſius verba audire detrectat, & ambulat in pravitate cordis ſui; Quare Fideles omnes utriuſque ſexus noſtræ curæ concreditos enixè hortamur, ut præſertim diebus acceptabilibus Quadrageſimæ, & ſalutaris Adventûs, in Eccleſiam ad audiendum Verbum Dei conveniant, per quę tempora occludi volumus Apothecas, dum concio habetur, ut depoſitis omnibus ſecularibus negotiis, & curis ſaltem per breve illud ſpatium ſuę vacent ſaluti, memores primùm quærendum eſſe Regnum Dei, & juſtitiam ejus, dein omnia fore adjicienda. Quia verò æquum eſt, Clericos ad pietatis opera cœteris prælucere, ideo Eccleſiaſticos omnes, cujuſcunque gradus ſint, & conditionis ſeriò monemus, ut concionibus, ubi legitimo non detinentur impedimento, ſemper interſint; præcipuè verò mandamus Canonicis, ne à Choro diſcedant, niſi dimiſsâ concione; ſed habitu & loco debito adſtantes, in iis quæ Cęleſtis Patris ſunt, ſicut decet Sanctos, ipſi ſint primi. Curent tamen, qui ſacrum hoc prædicationis munus exercent, ne animos audientium inani prolixitate, & proprio vitio fatigent, & obruant; ita impertiant Divini Verbi alimentum, ne tædium,

aut

aut faſtidium creet, ſed potius famem acuat avidiùs.

XIV. Ad Epiſcopos, quibus ſpecialiùs demandata eſt poteſtas, & cura ſalutaris animarum, ſpectat Prædicatores populis mittere, & deſignare; nihilominùs tamen, ubi invaluit uſus, ut Communitates alant eos, aut certo ſublevent ſtipendio, & ſimul nominent, hanc illis conſuetudinem permittimus, & indulgemus ſine præjudicio alterius magis laudabilis, magiſque probati moris, per quem alicubi nos deſignamus, & deſtinamus, & illæ ſolvunt ſtipendia. At quia ubi prima viget à Nobis indulta conſuetudo, datâ poſtulandi, vel nominandi poteſtate non contenti Laici homines, ex Poſtulatoribus electores fieri ambiunt; ideo Parochi, & Vicarii Foranei, ubi ad propria revertentur, quam primùm commodè poterunt Magiſtratus amicè commonefaciant, ut ſuis ſe poſtulandi, & nominandi limitibus contineant, nec ſacra invadant jura. Quod ſi abduci non poterunt ab hoc more, jam olim à zelantiſſimo Prędeceſſore noſtro damnato in prima ſua Synodo, inhærendo iis, quæ ibi præſcribuntur, repulſam à nobis certò patientur, qui à Magiſtratibus Laicis offerent litteras, iis verbis conceptas, quę electionem ſonent. Item quia par eſt certum tempus illis deſigere, intra quod Verbi Divini Miniſtrum, & quidem dignum, Nobis præſentare teneantur, ſalutarem ejuſdem Synodi cautionem de proponendis, & poſtulandis Concionatoribus confirmantes, declaramus expreſſè,

Cap. Inter cætera de Off. Jud. Ordin. Can. Epiſcopus nullum diſt. 88.

Sac. Congreg. Conc. in Oſtunen. 15. Novembris 1692. & in Boven. 20. Junii 1693.

Cap. 3. de Verb. Dei Prædic. n. 2.

Sac. Congreg. Conc. in Sutrina 8. Maii 1688. & in Urlinacen. 7 Junii 1698. & 10. Januar. 1699.

Loc. ſup. cit.

sè,quod ſi anteEpiphaniam pro Quadrageſima,ante Feſtum Omnium SS. pro tempore Adventûs non fuerit Nobis, aut Vicario noſtro Generali propoſitus Concionator, non admittetur; ſed vel idem ipſe, aut alius à Nobis deſtinabitur, cui, etiam ſub pœna interdicti,ſi opus fuerit,pręſtari volumus per Communitates conſuetam eleemoſynam; nec admittemus nominationem illorum, quorum vita, & doctrina non reſpondet muneri illis demandando.

Conc. Trid. ſeſſ. 5. cap.2. ſeſſ.24. cap.4. Can. Epiſc. diſt. 43. Can. Porro 7. q. 1.

XV. Hæc poteſtas à Chriſto facta eſt Apoſtolis, & Epiſcopis, qui miſſione gaudent, & ſucceſſione Apoſtolorum, ut Verbo Divino oves paſcant, vel aliis paſcendas committant; quare ſi Concionatores non fuerint Parochi, quibus hoc munus in propria Parochia exercere convenit ex officio, quamvis Regulares, & exempti fuerint, non audeant in Eccleſiis noſtræ Diœceſis prædicare ſine noſtra facultate; ſi autem Regulares in Eccleſiis ſui ordinis prædicare voluerint, adhuc tamen à Nobis benedictionem petant. Nos ſine juſta, & rationabili cauſa nunquam contradicemus, ſed de additis his Operariis, qui in ſalute animarum procuranda Nobis collaborare ſtudent, ſemper in Domino gaudebimus; attamen ſciant, quod etiam in propriis Eccleſiis petendæ benedictionis impoſitam habent obligationem.

Leo X. in Conc. Lateranen. ſeſſ. 11. Conc. Trid. loc. cit. Greg.XV.Conſt.Inſcrutabili. Clem.X. Conſtitut. Supernâ. Cap. Excommunicamus §. Quia verò de Hæret.

XVI. Quicunque igitur munus prædicationis ſuſceperit, antequam illud aggrediatur, in locis noſtræ juriſdictioni ſubjectis, coram Nobis, vel Vicario noſtro Generali perſonaliter ſe ſiſtat

acce-

accepturus benedictionem. Si è Clero ſeculari fuerit, à ſuo Epiſcopo, ſi Regularis, ſaltem à Superiore locali litteras teſtimoniales in forma probante producat, & exhibeat de vita, moribus, & converſatione. Si de illius ſufficientia Nobis legitima ſuberit dubitatio, examen ſubibit, & ubi repertus idoneus certæ Eccleſiæ deſtinabitur, ſervet exactè, quæ in Encyclica littera Sacrę Congregationis ex mandato Innocent. XI. & in noſtro hoc Synodi capite præſcribuntur, quę illis à Parochis, & Vicariis Foraneis legenda dabuntur. Cum primùm concionandi tempus effluxerit, ad nos deferant quæcumque noſtra animadverſione indigere judicaverint: niſi fortè periculum, quod eſſet in mora, præſentiùs remedium poſtularet, quia tunc præproperè moneri rogamus.

Clemens X. in Conſtit. ſup. cit. §. 3.

XVII. Parochi nulli Seculari, ſive Regulari quomodolibet exempto in ſuisEccleſiis conciones habere permittant, niſi oſtendat facultatem à Nobis, vel à Vicario noſtro Generali in ſcriptis obtentam; & ut omnia ſervari poſſint, quę hîc præſcribuntur, antequam prædicare aggrediatur, legendum proponant hoc caput, & ob oculos ponant Encyclicas litteras à Sacra Congregatione de mandato Innoc. XI. emanatas, cujus exemplar habent in Appendice. Tum diligenter unâ cum Vicario Foraneo attendant ad Concionatoris verba, & facta, & immediatè poſt Paſcha, aut oretenus, aut ſecretâ litterâ uterque illorum candidè, & ingenuè nos moneat, num ſedulò, piè, fideliter-

Append. num. V.

que,

que, nec non eo, quo convenit, zelo, ſui muneris partes impleverit. Imo ſi in aliquo delinqueret, cui maturare oporteret remedium, illud ad Nos feſtinatò perſcribant, ut malis opportunè poſſimus occurrere. Quod ſi negligentes fuerint, vel infideles, Vicarius Foraneus amovebitur ab officio, Parochus arbitrariâ pœnâ pro modo culpę punietur.

CAPUT VI.

De lectione Sac. Scripturæ, & collatione Caſuum Conſcientiæ.

AD pietatis officia maximè conferunt ſcientiæ
ſubſidia, illius tamen ſcientiæ, quæ per cu-
1. Corinth. 8. ver. 1. rioſam rerum humanarum indaginem non inflat
vanitatem, ſed per ſolidam cęleſtium contempla-
D. Auguſt. lib. 3. de tionem ædificat charitatem; uni autem charitati
Doct. Chriſt. cap. 7. commendandæ ſerviunt Scripturæ, quas ille inſpi-
ravit Spiritus, qui Charitas eſt. Sapientiam igitur
Eccleſiaſt. 39. ver. 1. exquirant Sacerdotes, ſed noſtrorum antiquorum
1. Mach. 12. ver. 9. in Prophetis vacando, & Evangeliis, habentes ſo-
latio Sanctos libros, qui ſunt in manibus noſtris.
Roman. 15. ver. 4. Quęcumque ſcripta ſunt ad noſtram doctrinam
ſcripta ſunt, & hanc dotem, inter cœteras, Ec-
cleſiæ ſuæ teſtamento conſignavit Chriſtus, quan-
do aſcenſurus in Cęlum aperuit Apoſtolis ſen-
Luc. 24. ver. 45. ſum, ut intelligerent Scripturas, & ipſi ſuos eas
doce-

Digitized by Google

docerent Diſcipulos, & ad Poſteros continuâ, & per manus acceptâ derivatione producerent. Quare ne Sacrum hoc depoſitum, ac cæleſtis librorum theſaurus, aut omninò depereat, aut jaceat neglectus; ſed ſemper in noſtra Eccleſia ſint, qui attendant lectioni, & exhortationi, & doctrinæ, potentes nedum exhortari fideles, ſed eos etiam, qui contradicunt, arguere, quoniam mille clypei pendent ex ea, & omnis armatura fortium; ideo

Seſſ. 5. cap. 1. de Ref.

I. Ut Eccleſiæ noſtræ Cathedrales juxta formam à Concilio Tridentino præſcriptam non conductitium, ſed Canonicum haberent Theologum, qui Sacerdotes, & alios in ſacra pagina doceret, & in his præſertim informaret, quæ ad curam animarum ſpectare noſcuntur, conſtituta eſt Præbenda Theologalis. Qui igitur de ea proviſi fuerint, ſtatis diebus, poſt Veſperas in Sacrario ſuper aliquo ex Canonicis libris lectionem habebunt. Quod ſi pro ea Scripturæ lectione, ex re magis eſſe videbitur de morum doctrina diſſerere, fiet: Nobis tamen relinquimus, quod maluerimus ex Scriptura, vel Morali argumentum deſignare. Ab hac lectione tribus æſtivis menſibus Julio, Auguſto, & Septembri Theologos relevamus: & ſicut ubi huic muneri ſatisfacere neglexerint, ſubtractione fructuum præbendæ, aliiſque pœnis noſtro arbitrio compellemus; ita quando lectionem habebunt, etiamſi Choro non adſint, præſentes tamen cenſebuntur, nec ullâ diſtributionum parte poterunt fraudari; cum denario frau-

Conc. Trid. ſeſſ. 5. cap. 1.

Conc. Lateran. ſub Innoc. III. can. 11. relat. cap. Quoniam de Magiſtris.

Sac. Congr. Conc. in Urbinat. 10. Martii 1663. in Ripan. 12. Januar. 1692. Ead. Sac. Congreg. in Anagnin. 16. Dec. 1645.

Ead. Sac. Cong. in Oriolen. 5. Auguſt. 1616. & in Faven. 2. Aug. 1624. &c.

Honor. III. relat. cap. Super ſpecula de Magiſtris.

1. Tim. 5. ver. 17. dari non debeant, qui in vinea Domini maximè in verbo, & doctrina, laborant.

II. Quamvis Vitæ, & Diſciplinæ, non autem ſtudiorum ratio hîc præſcribenda veniat; tamen quia ad Vitam, & Diſciplinam inſtituendam multùm confert Scripturæ, ac Morum ſtudia rectè tractari; Theologos noſtros pro Epiſcopali, quo fungimur, munere monemus, ut bene inſtructi, & probè comparati Scripturarum adeant interpretationem. Verba, quæ ibi loquitur Dominus, Spiritus, & Vita ſunt: quo ſpiritu factæ ſunt, eo ſpiritu legi deſiderant, & explicari; quapropter nunquam ingredientur in ſenſum, donec ſpiritum earum ebiberint uſu bonæ intentionis, & ſtudio aſſiduæ meditationis. Omnis Scriptura divinitùs inſpirata utilis ad docendum, ad arguendum, ad erudiendum ne unum quidem apicem habet vacuum ſapientiâ Dei; ſed in ſermonis humilitate ingentia, & plena profundæ venerationis myſteria claudit: detrahant velum, ut norunt, à facie Moyſis, ac ſtultas, & ſine diſciplina quæſtiones devitantes, obducta ea myſteria ad promovendam charitatem, ad ædificandam Eccleſiam eruant. At ne illi, a quibus expetimus debitum, culpam temeritatis incurrant, in tractandis divinis literis meminerint Apoſtolicæ regulæ: Quod omnis prophetia Scripturæ propriâ interpretatione non fit. Traditionem igitur Patrum ſecuti, nec conjecturis mentis ſuæ fidant, nec unquam à ſenſu Eccleſiæ recedant, quæ columna eſt, & fundamentum veri-

Joan. 6. ver. 64.
S. Bernard. de Vit. Solit. cap. 10. in fin.
2. Tim. 3. ver. 6.
Origen. Hom. 2. in Jerem.
2. Tim. 1. ver. 25.
Ferrand. in ep. ad Sever.
2. Petr. 1. ver. 20.
Can. Relatū diſt. 37. Can. Vino. ib. Can. Hæreſis 24. q. 3.
Conc. Trid. ſeſſ. 13. cap. 1.
1. Timot 3. ver. 16.

veritatis: graviſſimas alioquin pœnas luent à jure ſtatutas, ſi in rebus fidei, & morum, ad ædificationem Doctrinæ Chriſtianæ pertinentium Sacram Scripturam, contra eum ſenſum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Eccleſia, aut etiam contra unanimem ſenſum Patrum auſi fuerint interpretari. Leo X. in Conc. Lateranen. ſeſſ. 11. Conc. Trid. ſeſſ. 4. in Decr. de edit. & uſu Sacr. libr.

III. Ubi autem habebitur lectio de morum doctrina, recolent eam eſſe nobiliſſimam Theologiæ partem, quæ promovendo divino cultui, regendis vita, ac Religionis officiis eſt deſtinata: quare miſſis inutilibus quæſtionibus amplectantur eum, qui ſecundum Deum eſt, fidelem ſermonem. Doctrinis variis, & peregrinis ſe abduci non ſinant: nec ſuæ innitantur prudentiæ, quam Patrum Decretis præponant. Sobrietatem cum primis, & modum ſervent tantopere ab Apoſtolo commendatum, ita ut nec ſoluta nimis, nec multùm dura, ſed recta ſequantur conſilia. Timorem Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam, qui ſtatuunt duriora præcepta, quæ non poſſit humana conditio ſuſtinere; caveant tamen, ne dum compatiuntur naturæ, fræna laxent cupiditati: dolendum ſiquidem foret, quod cum invaleſcentibus vitiis tempus eſſet agendi, ut nimis mandata Dei cuſtodirentur, quoniam cæteroqui lex Domini diſſipatur; contra potiùs diminuerentur veritates a Filiis hominum, & vana unuſquiſque ad proximum ſuum loqueretur. Ad Tit. 1. verſ. 9. Hebr. 13. ver. 9. Cap. Ne innitaris, de Conſtitution. Rom. 12. ver. 3. Ambroſ. in Pſal. 118 ſerm. 5. Pſal. 118. ver. 126 Pſal. 11. ver. 2.

IV. Huic explicationi aſſiduos eſſe volu-

Sac. Congr. in Fundan. ann. 1618. in Urbinat. 10. Maii 1663.

mus Canonicos omnes, cæteros Eccleſiæ Cathedralis Beneficiatos, item Parochos, & Confeſſarios tum Seculares, tum Regulares, imò Sacerdotes, & Clericos omnes. Quos obligare poſſumus, cogemus. Si renuant, eiſdem pœnis, quas infra, infligimus in illos, qui Collationibus Caſuum conſcientiæ non aderunt: quos autem obligare non poſſumus, enixè hortamur, & invitamus. Multa ſunt facienda non jubente lege, ſed libera voluntate: & ea ſunt in noſtris officiis gratiora, quæ cum liceret nobis non impendere, tamen causâ dilectionis impendimus, ut tanto intelligantur eſſe gratiora, quantò magis oſtenduntur indebita. Abſentes item tum à lectione Scripturæ, tum à Collationibus Caſuum notari curabimus: ubi enim de promotione ad ordines, vel de Beneficiorum collatione, aut Eccleſiaſticorum officiorum proviſione agetur, ignorabitur, qui ignorat: & hac ſocordiâ, aut contumaciâ, & inobedientiâ fiet, ut ad Eccleſiaſtica munia minùs idonei à Nobis cenſeantur. At contra potiſſima ratio habebitur meritorum in iis, qui, delato legitimo teſtimonio, ſe noſtris paruiſſe decretis oſtendent.

D. Auguſt. de Adulterin. conjug. c. 14.

Canon. Ignorantia diſt. 38.

V. Summo ſtudio cavit ſemper Eccleſia, ne ſacra invaderent imperiti, & ignorantia mater cunctorum errorum, maximè in Sacerdotibus Dei, vitaretur, qui docendi officium in populis ſuſceperunt. In hanc potiſſimum rem inſtitutæ ſunt ſacræ Collationes, quarum non ita ſerò cognita

eſt

eſt utilitas, ut paſſim etiam prioribus ſeculis, licèt ſub alio nomine, in frequenti uſu habitæ non fuerint. Illas pro decidendis Caſibus Conſcientiæ in hac Diœceſi inſtituit, aut reſtituit Eminentiſſimus noſter Prædeceſſor; at quia vel protrahi, vel negligi, aut defunctoriè exerceri jam olim cœperunt; iterùm vocamus cœtum, ſenes congregamus, præcipientes noſtrarum Diœceſeon Eccleſiaſticis, ut ſingulis menſibus ad Caſuum Conſcientiæ deciſionem conveniant. His conventibus intereſſe monemus, & reſpectivè præcipimus eos omnes, de quibus ſupra meminimus, ubi de Sacra Scripturæ lectione egimus. Qui curam gerunt animarum, pœnam juliorum quinque, qui de Clero ſæculari excipiunt Confeſſiones pœnam juliorum trium dabunt pro qualibet vice, ſi abfuerint; quam tamen pro modo culpæ, & inobedientiæ augebimus, ſi pertinaciùs contempſerint, vel deſides parere neglexerint: quod ſi legitimo impedimento fuerint detenti, intra triduum legitimam abſentiæ excuſationem Nobis, vel Vicario noſtro Generali, aut Foraneo afferant ad Nos tranſmittendam, nihil alioquin eâ excuſatione juvabuntur.

Capit. Atton. cap. 19

Joel. 2. verſ. 14.

VI. In noſtris Civitatibus coram Nobis in Epiſcopali Palatio, ubi aderimus, vel coram noſtro Vicario Generali habebitur congregatio, & Theologorum noſtrorum partes erunt propoſita dubia reſolvere: & novis item caſibus propoſitis conventum dimittere. Foranei autem Conventus

in

in ſingulis reſpectivè locis, ubi quatuor ſalt
erunt Sacerdotes, eâ methodo, & formâ ha
mandamus, quæ ab Eminentiſſimo Prædeceſ
Cap. 32. noſtro in prima Synodo præſcripta eſt, cor
mantes ea omnia, quæ ibi de Præſide, de Se
tario, aut Cancellario Congregationis, de m
proponendi, ac reſolvendi caſus, de indican
proximè futura Congregationis die ſtabilita ſu
idque potiſſimùm repetitâ Sanctione jubemus,
nemo de memoria dicat, ſed quilibet ſcri
exaret reſolutiones legendas, ubi ſors tulerit.
Append. num. VI. ſacra hæc exercitamenta iterum fœdè corrua
ſed fructus uberes, & qui maneant inde noſt
Eccleſia percipiat, Edictum promulgavim
cujus leges examuſſim ſervari volumus, & m
damus.

VII. Qui conſtitutus erit Secretarius, nc
bit ex Catalogo omnes abſentes, & notas ad
nus noſtras pervenire curabit, unà cum foliis,
quibus propriam pro ſuo quiſque modo ſent
tiam ſubſcripto nomine expoſuerit, ut hac ra
ne ſingulorum attentionis, & ſtudii habear
Act. Eccl. Mediol. par. 4. argumenta. Quia hi Clericales, ac Sacerdot
Conventus Scholæ quædam eſſe debent, non ſol
ſtudiorum, ſed etiam officiorum Eccleſiaſticor
in quibus tum animarum Curatores, tum cæ
Clericalis Ordinis homines verſantur, ideo
illis, non ſolùm puncta moralis Theologiæ di
tiantur prius debito tempore propoſita, ſed
creta noſtra, ſi quæ de novo emanaverint, ev

gen

gentur. Duo aut tria hujus noſtræ Synodi capita perlegantur, ut frequenti lectione altiùs animo eorum inſculpatur memoria. Si quæ inter Eccleſiaſticos Viros ſubortæ eſſent offenſiones, ſimultates, aut lites, ab iis, qui magis idonei erunt omni ſtudio componantur, ut mutuo charitatis vinculo colligati verè ſe Chriſti Diſcipulos prodant noſtri Clerici, quòd dilectionem habent ad invicem. Si frater adversùs fratrem habet negotium, in dedecus cederet noſtrorum Sacerdotum, ſi in eorum cœtu non eſſet ſapiens quiſquam, & idoneus, per quem, ſi quid parum convenit, tranſigatur, cum Chriſtianus animus facilè noxas remittere debeat, & negotia componere. Et quoniam Nobis in omnem gubernandæ Eccleſiæ rationem excubantibus præſidio eſſe debent iſtæ collationes, zelo charitatis moti ſeriò conferant etiam de iis, quæ ad ſalutem animarum conducere poſſent; & ſi quem in moribus, aut in diſciplina abuſum irrepere, aut ſerpere deprehendant, imo vel ſolum inſtare, & imminere periculum, à levibus initiis creſcere non ſinant, Nobis per Vicarios Foraneos innoteſcere procurent; ut nocituris prævere, & providere poſſimus, ne in ſeram curationem differantur remedia.

1. Cor. 6. ver. 1. & ſeq.

Joan. 13. ver. 31.

CA-

CAPUT VII.

De Sacris Reliquiis.

D. Chryſ. hom. 47. in S. Julian.

NObiſcum veluti partitus eſt Sanctos De
cum animas ſibi ſumpſit, corpora n
largitus eſt, ut perpetuæ virtutis monumen
ſancta hæc oſſa teneamus. Fidelis item in on

Hebr. 10. ver. 24.

bus operibus ſuis non minus mirificè, quàm
ſericorditer impleri voluit factas promiſſior

Pſal. 115. vèr. 15.

ubi ob præſtita ſibi obſequia defunctis Sancto
corporibus, quorum pretioſa mors extitit, r
gioſos honores, etiam in hac vita, tribui voluit
pro contemptu injuſtè illato, & pro infamia
tum, & pro morte defluente æternam vitam re
ſuit. Cuſtodit Deus oſſa eorum: unum ex

D. Ambr. ſer. 14. de SS. Nazar. & Celſ.

non conteretur, & honorari vult in carne ma
ris exceptas pro Chriſto cicatrices, & in cineri

2. Tim. 2. ver. 11.

ſemina æternitatis. In benè compoſita Dei q
Patris-familias domo, ut impiorum Cadavera
contumeliam poſita ſunt, ita Sanctorum corp
velut vaſa in honorem ſunt conſtituta: Ea ig
maximo in honore haberi par eſt, ac ſedulo cu
dire. Ne autem hic cultus aut incurioſo ne
gatur animo, aut improvido deferatur

I. Parochi præcipuè ubi recurrit memor
Sanctorum, quorum reliquias in ſuis cuſtodi
Eccleſiis, aut eorum translationis anniverſar
recolitur ſolemnitas, captata inde occaſione
cc

Digitized by Google

ceant quo in pretio eſſe debeant, & quo cultu adorandæ. Sanctorum Reliquiis delatum cultum Scripturæ commemorant, & commendant; perpetua, ac conſtans probat Traditio per Concilia, & Patres ad nos uſque producta. Nefas erat ipſas Sacras Ædes ſine Reliquiis conſecrare, & ſub ara Dei componebantur corpora occiſorum propter Verbum Dei, & teſtimonium Jeſu Chriſti, ut quos cumChriſto unius paſſionis cauſa devinxerat, u ius etiam loci religio copularet. Optatos in Patronos, ad eorum tumulos donaria appenſa, accenſa luminaria, feſtos dies indictos, & ſacrificia in eorum honorem Deo oblata: ſacras illorum exuvias ad avertenda mala, ad procuranda etiam hujus vitæ commoda in publicis ſupplicationibus circumlatas: ſuper altare, vel ex edito loco fidelibus ſpectandas, oſculandas, adorandas propoſitas, alioſque id generis religioſi cultûs apparatus, & modos, qui in laudabilibus noſtris uſibus adhuc retinentur; non apud rudem, & imbecillam plebem invaluiſſe, ſed in Eccleſiæ moribus ab omni ævo fuiſſe receptos, à viris eximiæ tum ſanctitatis, tum doctrinæ ſemper accepimus. Hanc Chriſtianorum fidem,& diſciplinam ſibi benè acceptam oſtendit Deus miris, ac multis editis miraculis, nec temerè creditis, nec falsò promulgatis. Ob tributum cultum repenſa ſunt divinitùs ingentia beneficia, ut mirum ſit negari ab impiis hominibus Sanctorum merita, quorum opera ipſi Spiritus immundi profitentur, dum ſignorum, vir-

Eccl.49.IV Reg.13. Iſaiæ 2. Act.5.& 19.

Ap. Bell. Contr.7. lib.2. cap.3. Con.Carth.5 cap.14 Sext.Syn.can.7. S.Greg. lib.9. ep.71. Apoc. cap.6. verſ.9.

S. Aug. ſerm. 11. de Sanct. S. Baſil. hom. in 40. Mart.S.Chryſ.hom. in Mart. Ægyp. Prud Hymn 11. περι- στε. Evagr.lib.6.c.20. Niceph.lib.17 c.17. Theod.lib.4 cap.36. S.Greg. lib.3. Dial. c.24.Spond. de Cæmet.Sac.p.3.l.3.c.20. S. Auguſt. ſer.13. & 14 de diver.& lib.5. cont. Fauſtum c.21. S. Gregor. Nyſſen. orat. in Theodor. Baron.ad ann.55.

S.Hieron. con.Vigilan..S.Aug. de Civ. lib.22. cap.8.S.Ambroſ. epiſt. 54.

S. Hilar. lib. 11. de Trin. S. Hier. ep.17. ad Marcell. S.Joan. Damaſc. lib. 4 Orthod. Fid. cap. 16.

H tutum-

tutumque præſentiam Dæmonum reſonat mugitus. Cuncti Martyres, ac Sancti devotiſſimè percolendi ſunt; ſed ſpecialiter ii venerandi ſunt a Nobis, quorum Reliquias poſſidemus. Fortes armati cuſtodiunt atrium ſuum, & quamvis pietatis curam in populum Dei ubique protendant; magis opem ſuam illis dignantur impendere, apud quos in ſacro dormitionis thoro carne requieſcunt: Nec refert, quod diviſa ſit in oſſibus, aut cineribus portio, quia manet integra in virtutibus plenitudo.

S. Maxim. Taur. homil. de Natal. Taur. Mart.

Luc. 11. ver. 21.

S. Leo ſer. 2. de SS. Apoſt. Petr. & Paul.

D. Ambr. ſer. 14. de SS. Nazar. & Celſ.

II. Veram item, ac ſinceram hujus catholici dogmatis profeſſionem exponant Parochi, oſtendantque nihil ab Orthodoxis adorari ut Numen, quod factum ſit: & religioſos illos honores, quos Sacris Reliquiis deferimus longè diſtare ab eo, qui ſoli Deo debetur. Ubi ad ſacra hæc pignora vota emittimus, preces offerimus, aut quid aliud chriſtiani officii dependimus, ultra id, quod in ſenſus cadit, noſtra ſe porrigit pietas; non enim illis adhæret fides, aut ſpes, ſed ad Deum, ad Chriſtum, ad Sanctos ipſos cum Chriſto regnantes in Cælo, noſtræ transferuntur cogitationes, & vota, ut quos fortes in ſua confeſſione cognovimus, pios apud Deum in noſtra interceſſione ſentiamus. Honoramus Reliquias Martyrum, ut eum, cujus ſunt Martyres, adoremus: honoramus ſervos, ut honor ſervorum redundet ad Dominum, qui ait: Qui vos ſuſcipit me ſuſcipit. Sua tamen honoris portio, propter tot annorum

S. Auguſt. ep. 44. ad Maxim. Gramm. - S. Hieron. adver. Vigilan. S. Ambroſ. ſerm. 11. in Feſt. SS. Petr. & Paul.

S. Hieron. ep. 53. ad Ripar. de error. Vigilan.

rum

rum inhoſpitatas animas juſtas, cedere debet ipſis quoque Corporibus, quibus tamquam organis, & vaſis ad omnia bona opera uſus eſt Spiritus Sanctus: & quia fuerunt virtutum Miniſtri, erunt quondam conſortes gloriæ. Inſiſtant demum, ut orthodoxa doctrina pietati, & virtuti adjumento ſit: idcirco ſignificent nos hîc tacitas habere virtutum exhortationes; Deus enim, quâ eſt in humanum genus benignitate, inter alias, quas infinitas nobis ſalutis noſtræ occaſiones dedit, hancquoque viam nobis a ſe munitam eſſe voluit, relictis Reliquiis ad virtutum earumdem æmulationem excitandam.

S. Cyril. Hieroſol. catech. 18.

S. Auguſt. de Civ. lib. 1. cap. 13.

Jo. ſer. 3. de SS. Mart.

S. Chryſoſt. orat. de S. Babyla.

III. Ne ſubeat error, neve per improbam fraudem, aut minùs cautam pietatem inanibus perſuaſionibus, & anilibus fabulis, & impoſturis, quas Catholica Eccleſia ſemper eſt averſata, præbeatur occaſio; Sacrorum Antiſtitum eſt habere accuratum delectum Reliquiarum, & nonniſi certas, & bene exploratas publicè colendas exhibere: cujus providæ cautionis, ne ſuppoſitiæ pro legitimis obtrudantur, habemus æquè vetuſtiſſimas ſanctiones, ac clariſſima exempla. Nemini igitur, quantumvis exempto, liceat novas Reliquias in publicum cultum efferre ſine legitimis authenticis a Nobis, vel Vicario noſtro Generali recognoſcendis, & approbandis; quam authenticam teſtificationem gratis Regeſto Cancellariæ inſeri volumus, ne veniat in oblivionem. Intra duos menſes item à promulgatione hujus Synodi om-

Can. Placuit de Conſecr. diſt. 1. Cap. Cum ex eo de Reliq. & Vener. Sanctor.

S. Greg. lib. ult. ep. ad 11. Auguſt. inter. cap. 9.

Optat. Millev. lib. 1. con. Parmen. S. Auguſt. de Oper. Monac. c. 28. Sulpic. Sever. in Vit. S. Mart. cap. 8.

Conc. Trid. ſeſſ. 25.

nes Eccleſiarum Præpoſiti, etiam exempti, ad Nos deferant indicem Reliquiarum unà cum authenticis, quorum exemplaria Cancellariæ tradi præcipimus, ut faciliùs publica hæc documenta ſerventur, & cuſtodiantur, idque ſit loco Relatorii, ſeu Commemoratorii, de quo Patres noſtri non ſemel meminerunt.

Optat. Millev. loc. cit. S. Auguſt. lib. 3. con Creſc. S. Greg. lib. 6. ep. 201.

IV. Fas eſt, & jus dignitatem, ac fidem authenticarum teſtificationum ad aſſequendam veritatem excutere: cæterum quia interrogare jubemur generationem priſtinam, & inveſtigare Patrum memoriam; etiamſi aliquæ authenticis carerent, dummodo conſtans fama, & diuturna traditio ferat, jam olim fuiſſe ſervatas, & cultas, coli item publicè permittemus, cum æquam pariat diuturnus cultus præſumptionem: & ea fuerit temporum iniquitas, & rerum incuria, ut vix ulla ſit Eccleſia, quæ ſacros ſuos hos theſauros traditione tueri non cogatur. Maximam quoque fidem facient Patrii Annales, & Viſitationum Epiſcopalium Commentaria, ex quibus appareat ſemel, & iterum fuiſſe recognitas, & quæ ad eorum cultum, & cuſtodiam pertinent fuiſſe ſtabilita. Si verò omnibus his legitimis documentis deſtitutæ, incertæ erunt fidei, in mundo vaſe, decenter quidem, & ſuo cum pietatis ſenſu, ſed privatim, & ſeorſim ab aliis cuſtodiantur. Antiquorum monumentorum jacturam altùm dolet Eccleſia, cujus quamplurimi ſacri Faſti, & Acta Sanctorum, quamvis ſumma curâ, & ſolicitudine

Job. cap. 8. ver. 8.

Baron in Prolog. ad Not. Martyr. cap. 4 & Idib. Maii, & 16. Kal. Auguſt. &c.

Conc. Mediolan. IV.

Baron. in Prolog. ubi ſupra cap. 3. & ad ann. 98.

Digitized by Google

dine cuſtodita, temporum iniquitatem, & rabiem perſecutorum effugere non potuerunt: iccircò multùm intereſt, ne intercidant, ſi quæ in Archiviis noſtrarum Eccleſiarum ſupereſſent venerandæ antiquitatis tabulæ, quæ ſacras noſtrorum Sanctorum memorias ſpectarent: & ſi quis in illis colligendis, ac illuſtrandis ſtudium conferret, hujus certè operam pergratam haberemus.

V. Quorum corpora in pace ſepulta ſunt, eorum nomina par eſt vivere in æternum, & appoſitè ne interirent, aut confunderentur, pervetus fuit conſuetudo, Sanctorum Memoriis, & Reliquiis titulos, epigraphas, ſchedulas adſcribere. Singulæ igitur Reliquiæ ſuam additam habeant inſcriptionem, quâ Sancti nomen ſignetur. Quamvis olim, & à primis ſeculis in Eccleſiæ diſciplina receptum fuerit incertas, & ignotas reliquias certis nominibus inſignire, ut in Adaucto, Quatuor Coronatis, Theophilo, Victore, & centenis aliis factum eſſe Sacri teſtantur Annales, & hunc morem ſervet adhuc Romana Eccleſia, ubi à ſacris ſpecubus oſſa eruuntur, aut cineres Sanctorum, qui de nomine ignoti ſunt; attamen non ineſt cuilibet hæc cura, & facultas: unde reliquiis illis Sanctorum, quorum nomina ſcripta ſunt in Cælis, ſed ignorantur in Terra, addatur hæc Epigraphe: Reliquiæ Sanctorum, quorum nomina ignota sunt. Earum item Catalogum in decenti Tabella deſcriptum in conſpicua aliqua Templi parte juxta priſcum morem pendere volumus

Eccl. 44. ver. 14.

Pruden. Him. 11. περὶ στεφ.

Sigiber. Chron. ad ann. 767.

Breviar. & Martyrolog. Rom.

Conc. Mediolan. IV.

Ex Baron. in not. ad Mart.

mus

mus publicè ſpectandum, & legendum; ut norint Fideles populi, quos ſingulares habent apud Deum ſuæ ſalutis Deprecatores: & in opportunitatibus, & in tribulatione fuſis precibus, ad eos impenſiùs confugiant, quorum videmur nobis quoddam, corporis pignore, patrocinium vendicare.

Pſal. 9. ver. 10.

D. Ambroſ. lib. de Viduis.

VI. Ad cuſtodiendas Beatorum Corporum Reliquias prudentiâ, ac pietate ſingulari Patres noſtri Cuſtodes inſtituerunt: & cautam ſemper egerunt curam Fideles, ne piâ, impiâve fortè rapinâ aliquid illis de cæleſti Theſauro ſubtraheretur. Tuto igitur ac decenti loco, humido aeri minimè obnoxio ſacra Reliquiarum Conditoria conſtruantur: intus ſerico panno circumveſtiantur, nec ibi aliquid præter reliquias, etiamſi ſacrum fuerit, aſſervetur. Objecto portæ repagulo, effractu difficillimo, ſolerter communita, firmiter obſerentur duplici ſaltem clave diverſi operis, quarum una in Civitate ſemper apud Nos, in aliis Diœceſis locis apud Parochos; altera apud eum, qui a Nobis deſtinabitur, ſervetur; niſi mos obtinuerit, ut Magiſtratui Seculari ſervanda permittatur. Ut ſuus ſacris Reliquiis ſit honos, in thecis, ſeu vaſculis, & loculis priùs benedictis, quantùm fieri poterit nobilis materiæ, & eruditi operis incluſæ recondantur, interpoſito integro, & pellucido vitro, ne ore, aut manu poſſint attrectari. Si alicubi verò parum decorè eſſent compoſitæ, fidelium pietatem, & maximè Communi-

Teod. lib. 3. Hiſtor. cap. 6. Conc. Calch. Act. 4. Lib. Pontif. in Vit. Sylveſt.

Sacr. Congr. Epiſc. in Civit. Caſt. 6. April. 1696.

munitatum excitari curent, qui in hanc rem ſtrenuè incumbere debent Parochi, cæterique Sacerdotes, ut quamprimùm piâ liberalitate decori provideatur, monentes coſtantem ſemper, & religioſam eam curam fuiſſe Catholicorum, ut ad has thecas ſplendidiſſimè ornandas nullis parcerent ſumptibus, eòque piam liberalitatem evaſiſſe, ut non ſecus ac noſtrâ ætate, invidiam creaverit Hæreticis.

Theodor. lib. 8. de Curat. Græc. aff. & S.Hieron. adver. Vigil.

VII. A conſpectu, a contactu, ab oſculo ſacrarum Reliquiarum tacitus quidam, & intimus horror concipitur, & pietatis, ac religionis ſenſus ille augetur, quo Domino, ac Sanctis ejus exultamus cum timore: ne quid illi decedat, præcipimus, ut quoties populo viſendæ, venerandæ, vel oſculandæ exponuntur, Parochus, vel alius Sacerdos, cui id muneris committitur, ſit pluviali, vel ſaltem ſuperpelliceo cum ſtola indutus, & quam maximo poteſt religionis cultu, & luminum apparatu prævia thurificatione fiat expòſitio: Ob curioſitatem, & levi de cauſa non oſtendantur, nec umquam eximantur à vaſculis, aut non interpoſito criſtallo deoſculandæ præbeantur: & ubi recluduntur ſemper antiphona, verſus, & oratio congruens recitentur. Quia Sancta Sanctis tractanda ſunt, nemini Laico illas liceat contrectare, ſed ne ipſis quidem Clericis, niſi aliqua urgeat neceſſitas; quâ urgente fiet ſemper à Sacerdote privatim, & ſecularibus non adſtantibus. Nemo item ſub quocumque prætextu Nobis, vel Vica-

S.Chryſ.de S.Babyl. & de SS Juvent. & Max.S.Paulin. Nat. 6.S.Felic.

Pſal.2. ver.11.

Conc. Lateran. ſub Innoc III. cap 62. Relat. Can Cum ex eo, De rel q & Venerat.SS.

Vicario noſtro Generali inſciis, & inconſultis eas ad Infirmos deferre, ad privatas domos, vel ad Sanctimonialium monaſteria aſportare audeat ſub pœna arbitrio noſtro: & ubi alicujus proceſſionis, aut ſolemnitatis occaſione circumferri contingat, ſex ſaltem præluceant intorticia. Ante Reliquias, precipuè inſignes, juxta pium, ac Eccleſiæ legibus commendatum uſum, lampadem continuò ardere par eſſet: quòd ſi vires Eccleſiæ id non ferant, diebus certè feſtivis ſaltem ſolemnioribus ad minùs luceat.

Theodor. in Hiſtor. lib. 4. cap. 36. Hieron. ad Ripar. ſup. cit. Greg. Turon. de Glor. Confeſſ. S. Paulin. in Nat. 3. S. Felic.

VIII. Incidunt in crimen læſæ Religionis, qui res quaſcumque religioni deſtinatas, quinimò religionis effectas, ſcientes emere, & diſtrahere non dubitant; at imminutæ divinæ Majeſtatis rei magis adhuc ſunt, qui Sanctorum reliquias, nullo pretio æſtimabiles, venales exponunt. Ne autem hi Sacri Theſauri ſacrilegè diſtrahantur, imò ne deordinatè diſpenſentur; nulli, ne ipſi quidem Capitulo, vel minimum quid, ſine noſtra expreſſa licentia, Sacrarum Reliquiarum, vel ſibi ſubtrahere, vel alteri perſonæ, cujuſvis dignitatis, tradere liceat. Quòd ſi ſacrilegus animus, aut execrabilis avaritia, vel impietas improbum quem impelleret, ut aliquid ex illis furto ſurriperet, in ſacrilegum Expilatoris caput excommunicationis fulmen intorquemus, neque antea Eccleſiæ ſacris reſtituetur, quàm ſublata ſacra pignora fideliter repoſuerit, & congruenti obitâ pœnitentia fuerit expiatus.

L. 1. Cod. de Sepulchr. Viol. Cap. Quiſquis 17. q. 4.

L. 3. Cod. de Sacroſ. Eccl. D. Auguſt. de Oper. Monach. ſup. cit. Can. Cum ex eo ſup. cit.

IX. Ne

IX. Ne Reliquiarum Sacrarum exhibitionem, quæ ad promovendam pietatem deſtinata eſt, ad quæſtum obtrudi ora dicant loquentium iniqua; in hac ſacra functione omnem quæſtûs ſuſpicionem procul eſſe mandamus. Quamvis igitur, quæ à religioſis, ac piis Fidelibus dantur, aut offeruntur, recipi permittamus; tamen ne ſtipes hoc obtentu excipi videantur, ab Altari, alioque loco, in quo Reliquiæ cuſtodiuntur, aut exponuntur, quævis capſula ad excipiendas eleemoſynas removeatur: & ſpontè oblata à Fidelibus, nec Parocho, nec alteri Sacerdoti applicentur; ſed cedant in majorem earundem Reliquiarum ornatum. Ad eas in obſequentis, & grati animi ſignificationem offerri donaria commendamus, uti etiam anathemata appendi, ut qui illorum ope, & deprecatione ex morbo convaluerunt, vel impendens aliquod periculum, aut ingruentem calamitatem declinarunt, gratos ſe, ac beneficii memores oſtendant, nec divinarum ſigna virtutum multorum notitiæ depereant. Advertant tamen Parochi, ne in votivis Tabellis, tùm ad Sanctorum Reliquias, tùm ad Sacras Imagines appenſis indecentes actus repræſententur: Nihil ſit ineptum, aut indecorum, ſed omnia modeſtiæ ſerviant, & religioni.

Pſal. 62. ver. 12.
Trid. ſeſſ. 25. de Invocat. SS.
Theodoret. Orat. 8. adverſ. Græc.
D. Auguſt. de Civit. lib. 22. cap. 8.

X. Etiam poſt obitum ſigna ſequuntur eos, qui benè crediderunt, & per Sanctorum Reliquias ab ipſo Chriſtiani nominis exordio multa, & inſignia edita ſunt miracula, quæ ex Chriſti promiſ-

Marc. 16. verſ. 17.
Actor. 5. & 19.

I ſis

Digitized by Google

ſis in omnem futuram ætatem; ſibi certò ſpondet Eccleſia. Cum ergo nec effœta ſit Sacrorum Cinerum virtus, nec abbreviata noſtris temporibus manus Domini, ſi nova miracula per Sanctorum Reliquias edi Divinâ miſeratione contingat, Parochi, Vicarii Foranei, cæterique Eccleſiarum Rectores, illa diligenter notent, ſed à promulgatione abſtineant, donec ad Nos detulerint, qui ubi legitimis probata fuerint, & idoneis documentis ad amplificandam Dei gloriam, ad augendam erga Sacras Exuvias venerationem in publicum edi concedemus. Diſpenſatores item verborum Dei nec vetera quidem ſpargant in vulgus, quæ ſatis certò, & magnis Auctoribus tueri non poſſint: ne qui ex adverſo eſt, habeat aliquid dicere de nobis; tot enim certa habemus, & rata, ut quærere non indigeat veritas à fraude, etiam pia, præſidium.

Trident. ſup. cit. Urbanus VIII. Conſt. 134. Cæleſtis Jeruſalem.

Tit. 2. ver. 8.

CAPUT VIII.

De Sacris Imaginibus.

QUi nobis exprobrant, quòd Dei, ac Sanctorum imagines adoramus, audiant: à principio creavit Deus hominem ad imaginem ſuam: ſi magnificentiſſimum Dei Templum univerſus eſt Mundus; hoc templum vix condidit Deus, quòd in illud ſui induxit imaginem; eſt enim homo ipſe, ſi rectè exiſtimes, Dei ſimulacrum. Antiquis Patribus Deus formam hominis non ſemel

S. Damaſc. de Fid. Orthod. lib. 4. c. 17.

Gen. 1. verſ. 27.

Felix in Octav.

S. Chriſolog. ſer. 131.

mel demonſtravit, & magnitudinem ſuam tantam, brevem noſtri operis collegit in figuram, in iis proinde ſignis, & figuris adoratus, quibus ſe præbuit conſpiciendum. Iſraeliticus Populus, quia in Idololatriam propenſus, omni imagine, & ſimilitudine interdicebatur; nihilominus ea lex tantæ non fuit ſeveritatis, ut ſuam non haberet exceptionem; habuit ſiquidem inter cætera vetus Teſtamentum Cherubim obumbrantia Propitiatorium, ſicut nos habemus Iconas obumbrantes altare. Antiquiſſimum quoque naſcentis Eccleſiæ inſtitutum fuit uſus, & cultus Imaginum, quod in ipſo afflictiſſimo rerum chriſtianarum ſtatu, ob Gentilium offenſionem, parciùs ſervatum, ſervatum tamen, maximum, adeptâ libertate, ſumpſit incrementum. Antiquiſſimum igitur hunc morem conſtanter ſervari, & ſanctè cuſtodiri mandamus.

S. Damaſc. orat. 3. de Imag.

Exodi 20.

Juſtin.in Triphon.

II. Synod. Nicæn. Act. IV.

Ead. Synod. Act. V.

Bellarm. de Sacr. Imag.

I. Quod auribus oratio eſt, idem eſt oculis imago: & quod legentibus ſcriptura, hoc idiotis pictura præſtat cernentibus: ut igitur Fideles ſpectatores religioſis imaginibus in fide, & pietate erudiantur, & confirmentur, ea cura ſubeſſe debet, ne hac in parte detur pictoribus quodlibet audendi poteſtas, neve ſuâ nimiùm abuſi licentiâ ad arbitrium fabuloſa, inepta, profana comminiſcantur, proindeque ſit ſcandali, aut periculoſi erroris occaſio, quod tacitum eſſe debet virtutis, ac veritatis magiſterium. Religioni ducant videri abominationes depictas in pariete, idcircò ſacræ Imagines nunquam nudæ pingantur, neque cum

S. Damaſc. Orat. 2. de SS. Imag.

D.Greg. lib.9. ep 9. ad Seren.

D. Auguſt. lib. 10. Confeſſ. cap 24.

Trid.ſeſſ.25. ſup.cit.

Ezech. c. 8. verſ. 10.

eo habitu, aut cultu, qui procacem venuſtatem præſeferat, cui adverſatur ea, quæ decet domum Dei ſanctitudo. Novâ non induantur formâ, contra quam Eccleſia conſuevit, ſed omnia modeſtiæ ſerviant, & veritati, omnia Sacræ Scripturæ, Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, veteri, & receptæ Eccleſiæ traditioni ſint conſona. Nunquam permittant Parochi ex nativo viventium perſonarum vultu Sanctorum imagines delineari. Imagines item Viri, qui nondum ab Eccleſia in album Sanctorum relatus ſit, quantumvis cum ſanctitatis fama dormierit in Domino, cum laureolis, radiis, aut aliâ formâ, quæ cultum indicet, exprimi in quocumque loco, tùm privato, tùm publico, etiam exempto, inhibemus. Si quæ autem ex jam expoſitis Imaginibus reperiatur ineptè, parum piè, vel contra quam hîc ſtatuitur depicta, quamprimùm emendetur, & corrigatur; quod ſi minimè fieri poſſit, Nobis priùs conſultis, deleatur penitus, & amoveatur. Ne autem hujuſmodi in poſterum irrepant abuſus, quos faciliùs arceas, quam ſubmoveas, nemo audeat imaginem ullam in Eccleſia quantumvis exempta exponere, niſi à Nobis, vel Vicario noſtro Generali recognita, & approbata, & Eccleſiaſtico ritu benedicta fuerit.

Pſal. 92. ver. 5.

Urbanus VIII. Conſtit. Cœleſtis Jeruſalem, & Conſt. Sanctiſſimus 39.

Trid. ſup. cit.

Ritual. Rom. de Bened Imag.

II. In loco dominationis gloriæ Domini, quid ſordidum, profanum, aut impium nefas eſt apparere: quare nedum in interiore, ſed ne in exteriore quidem Eccleſiarum apparatu, aut ubi viæ inſtruuntur, per quas venerabile Chriſti Corpus, Icon

Pſal. 102. ver. 22.

Icon B.V. vel Reliquiæ deferuntur, adhiberi volumus Ethnicorum, & profanorum hominum effigies. Quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate? quæ conventio Chriſti ad Belial? aut conſenſus Templo Dei cum Idolis? Parvulas item Imagunculas ab Altaribus amoveri mandamus eâ formâ, & ornatu concinnatas, quæ potiùs puerilem vanitatem exhibeant, quàm excitent devotionem. Ut profana ſacris, ſic etiam ſacra profanis miſceri vetamus: Caveant igitur Fideles, ne in diverſoriis, & officinis pro inſignibus ſacras effigies apponant, alioquin graviſſimis pœnis hanc irrogatam Sanctis, quos repræſentant, iniuriam ulciſcemur. Ut à contemptu vindicentur, nunquam Sacræ Imagines, & præcipuè Signum Salvatoris Chriſti, in infimo pariete, in imo ſolo, in ſordido, aut minus decenti loco pingantur, & ſicubi jam pictæ exiſtant, amoveantur, ſi fieri poſſit, in honeſtiore loco collocandæ; alioquin eradantur, & deleantur: & quoties in publicis parietibus extra Eccleſiam ſacra imago pingenda erit, aut ſculpta ſtatuenda, ab imo ſoli ſaltem octo, vel novem palmis diſtet, iſque ſit locus, quem non refugiat honor, qui illis debetur. Omnibus item Eccleſiæ Rectoribus mandamus, ut ſacrarum imaginum gerant curam, & diligenti ſtudio illas à pulvere, ſordibus, & humiditate ſervent immunes: quæ nimia vetuſtate, carie, aut ſitu collapſæ, detritæ, deletæ, aut conſumptæ ſunt, nunquam ad profanos uſus convertantur, ſed expoliri,

2. Cor. 6. ver. 15.

L. Unic. Cod. Nemin. licer. Sign. Salvat.

Conc. Mediolan. III. tit. Quæ ad Sacramental.
Congregat. Epiſ. in Veneta 22. Maii 1596.

poliri, & innovari, vel comburi, & cineres i
Sacrarium immitti præcipimus.

Pſal. 61. ver. 8.
Trid. ſeſſ. 25. de Invoc. SS.

III. Spes noſtra in Deo eſt: hoc tamen n
prohibet quominùs ſanctè, & religiosè ad ex
randa divina beneficia, ſuffragia Sanctorum, &
primis Deiparæ Virginis adhibeamus. Hinc ort
ad ſacras quaſdam imagines ob perpetrata mi
cula, & obtenta, & collata dona, perantiquus,
religioſus concurſus: illum non modò non repi
bamus, ſed commendamus quammaximè, du
modò omnis abſit tumultus, & vanus clamc
Quia tamen non omne, quod miratur vulgu
miraculum eſt, Parochos, cæteroſque Eccleſ
rum Præpoſitos monemus, ut ubi reſciverint, i
crebreſcente novi miraculi rumore, ad ſacram a
quam imaginem frequentiorem populum co
fluere, nihil ex plebejo rumore ſtatuant, ſed
ſupra cap. VIII. n. 10. præſcripſimus, rem ad n
ſtatim deferant, ſciantque nulli etiam Regula
& exempto, Nobis nondum monitis, licere recc
miraculum proclamare. Si ibi tumultus fiat, c
alia via occurri non poſſit, occludatur aditus
Eccleſiam, vel Sacellum, donec quid fieri opc
teat à Nobis reſciverint, qui ſimul atque de
compertum aliquid habebimus, adhibitis in co
ſilium doctis, ac piis viris, ea ſtatuemus, quæ p
tati, & religioni expedire judicabimus.

Can. Placuit de Conſc. diſt. 1.
Trident. 16. Urban. VIII. in ſup. citat. Conſt. S. Congreg. Concil. in Aprut. 21. Decembr. 1596.

Sap. 14. ver. 12.

IV. Initium fornicationis fuit profec
exquiſitio idolorum, & inventio illorum cor
ptio vitæ, cum turpitudines illæ, quam præſefe
b

bant Idola, per oculos in animum facilè irreperent. Indignum eſt igitur Chriſtiano viro, cui in primis honeſtas commendatur, hæc libidinum irritamenta in obſcœnis picturis retinere. Et Nos fideles omnes noſtræ curæ commiſſos monemus, & in Domino obteſtamur, ne ſuas ædes impudicis tabellis ornari, aut veriùs dehoneſtari permittant. Si quid habent minus verecundè pictum nullâ habitâ pretii, aut artis ratione, diſcerpant, & comburant; præſtat enim ardere tabellam, quam animam; & ſatius eſt perire infamem laborem, quam Corpus, & Animam perdere in gehennam. Si quis Clericus has imagines retinere præſumpſerit, pœnam luet arbitrariam, ubi monitus pietatis offendicula de medio domus ſuæ auferre renueret. Pictores autem, & Sculptores, qui indecora, & turpia effingunt, & ſculpunt, ut bonis moribus adverſos, in noſtra Diœceſi certò non patiemur. Habeantur cum in Clericorum, tum in Laicorum Ædibus, Chriſti Salvatoris, Beatæ Virginis, & Sanctorum imagines: coram quibus Fideles, ubi vel manè ſurgunt, vel dormitum ſe conferunt, pias effundant preces, & ſui ipſius examen, & judicium inſtituentes quotidiè ſpectatam vitam corrigant, & emendent. Memores item nihil eſſe opertum, quod non revelabitur, nihil fieri in occulto, quod non ſcietur, moliri non audeant, quod erubeſcerent, ſi Deus, & Sancti ſe videri ſinerent: & in oculis omnia videntis Domini conſtituti, Sanctis teſtibus, Deo ſpectatore, olim Judice, & Vindice, horreant peccare.

Iſaiæ 57. ver. 14.

Matth. 10. ver. 26.

V. De

Bellarm. ſup. cit.

V. De vero, ac legitimo Imaginum uſu inſtruant populos Parochi, doceantque non in hiſtoricum tantum, aut civile officium, ſed etiam in religioſum cultum, jam tum ab exordio Chriſtiani nominis, adorationis causâ, fuiſſe ab Eccleſia inductas, & receptas: neque enim ad ornatum, vel doctrinam, honeſtandis templis, vel docendis imperitis; ſed etiam venerandæ Fidelibus proponuntur. Hæc tamen veneratio, nec ſtupida, nec cæca eſt, ac ſi imaginibus ipſis divini quid, & juvandi, vel nocendi poteſtatem ineſſe crederemus: Cultus, & adoratio non in figura ipſa picta, vel ſculpta ſiſtit, & hæret, nec unquam opera manuum hominis adoramus; ſed reſpicit animus ad prototypum, cui imago dedicata eſt: ita ut per imagines, quas oſculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Chriſtum adoremus, & Sanctos, quorum illæ ſimilitudines gerunt, veneremur. Ubi recèns ab Idololatria emerſerant Fideles, ne paganis falſæ criminationis, & infirmioribus fratribus erroris præberet occaſionem, non minori religionis, quam prudentiæ laude parciùs, & cautiùs ſacras figuras adhiberi voluit Eccleſia: at ſublato noſtris temporibus omni Idololatriæ periculo, & ad Chriſtianam fidem obfirmatis animis, inanibus ſcrupulis, & vanis timoribus turbari, ac commoveri non amat eos, qui in hac adoratione ambulant ſimpliciter, & confidenter.

Evagr. lib. 4. cap. 26. Euſeb. lib. 1. hiſt. c. 14 Tertull. lib. de pudic. VII. Synod. act. 5.

Triden. loc. cit. VII. Synodus. Act. 7. D. Gregor. lib. 7. ep. 53. ad Secund.

Clemens Alexandr. Strom. lib. 5. Origen. Con. Celſ. lib. 7. Juſtin. Apolog. 2.

Prover. 10. ver. 9.

CAPUT IX.

De Indulgentiis.

A Poteſtate ſolvendi, ac remittendi quæcumque, quam Chriſtus Apoſtolis, Petro potiſſimum, dedit, & in Eccleſia reliquit, profecta eſt Indulgendi authoritas: hâc uſus legitur Apoſtolus, quando in perſona Chriſti pœnis exemit, veniâ donavit, ne abundantiori triſtitia abſorberetu r, inceſtuoſum Corinthium, quem tradiderat in interitum carnis, hoc eſt in officium pœnitentiæ damnaverat. Vigente in criminum ultionem ſeveriſſimâ Canonum lege, ad preces, & commendationes Martyrum minuebantur, & relaxabantur duriſſimæ illæ multorum annorum pœnæ; ut jam inde recepta appareat Indulgentiarum conſuetudo. Conferuntur in Theſaurum Eccleſiæ merita Sanctorum, & cum primis Chriſti, de cujus abundantia gratiæ, donationis, & juſtitiæ ita omnes accipimus, ut validius factum ſit donum libertatis, quàm debitum ſervitutis, & quantumvis magna ſit noſtra iniquitas, major ſit ſemper copioſa illius redemptio. Hunc, propter infinita merita Chriſti, ſine defectione theſaurum, non in ſudario repoſitum, non in agro abſconditum voluit Deus, ſed per Beatum Petrum Cæli clavigerum, ejuſque Succeſſores, ſuos in Terris Vicarios commiſit fidelibus diſpenſandum. Ut verè, &

Matth. 18. verſ. 18. lib. 16. ver. 19.

2. Cor. 2. ver. 7.

Tertul. lib. de pudic. cap. 13. S. Ambroſ. de pœn. lib. 6. ca. ult. Pacian. lib. 3. cont. Novat.

Cypr. ep. 13. & ſeq. & in Tract. de Lapſ.

Roman. 5. ver. 17.

S. Leo ſer. 12. de paſſ. S. Aug. ſer. 122. de temp.

Pſal. 129. ver. 7.

Eccleſiaſt. 30. ver. 13

Extravag. Unigenitus. De Pœnit. & remiſſ. Cap. Cum ex eo. hoc tit.

Joh. 4. ver. 38

&legitimè in Sanctorum labores intro..e po..
mus, & Christi abundantia sit noſtræ inopiæ ſu

2. Cor. 8. ver. 14.

plementum, norint fideles noſtri populi, quòd

I. Quamvis ipſo aureo Apoſtolorum ..
culo fuerint falſi Fratres, qui, Paulo ingemiſcen
exiſtimabant quæſtum eſſe pietatem; ab eo tam

1. Timot. 6. verſ. 5.

ſemper abhorruit Eccleſia, eoſque execrata e..
qui donum Dei pecuniâ poſſideri poſſe exiſtin

Actor. 8. verſ. 20.

bant: Quare ut cæleſtes hos Theſauros, non
turpe lucrum, ſed ad veram pietatem exerc..
omnes intelligant, ubi promulgantur Indulgenti
ea omnia aboleantur, quæ illud malè oler
videntur; ita ut nequidem ſuſpicio hujus lal
ſuboriri poſſit. Caveant igitur tunc temporis, q
præſunt Eccleſiis ab eleemoſynarum improbis ex
ctionibus, & ubi diplomata, vel ſummaria I
dulgentiarum exponenda erunt, nunquam il
capſula apponatur ad eleemoſynas colligenda

Conc. Trid. ſeſſ. 21. de Reform. cap. 9. & ſeſs. 25. S. Pius V. Conſt. Et ſi Domi-..ci 30. & 99. Quam plenum.

Videant inimici noſtri abſque argento, & abſq
ulla commutatione concedi, nec unquam in te..
porale commodum deſtinari eam poteſtatem, qua
Deus in ſanctificationem Animarum conceſſit E
cleſiæ. Si quæ ſponte, & piè dantur à Fidelibu..
accipi non vetamus: deteſtatur enim exaction
Eccleſia, munera non reſpuit; ſed ea nunquan
in Sacerdotum commodum cedant, ſed piis uſib
deſtinentur. Ne improbi piæ illudant credulita..
etiam ſub graviſſima pœna carceris compeſcant
vagi, & vafri homines, qui Indulgentias num
matibus, imaginibus, oratiunculis, aliiſqu..

Isaiæ 55. ver. 1

Trident. ſeſs. 21. c. 9.

pi

pietatis ſignis adnexas jactant, & venditant. Ut Indulgentiarum munus piè, ſanctè, & incorruptè diſpenſetur, nemo ſive Secularis ſit, ſive Regularis, ſub quovis privilegii prætextu, promulgare audeat Indulgentias, niſi priùs à Nobis, vel Vicario noſtro Generali viſæ, & recognitæ fuerint, necnon ſcripto promulgandi licentiam obtinuerit. Poſt recognitionem deſcribantur à noſtro Cancellario in Codice ad id deputato, & exemplaria ſerventur in Archivio illius Eccleſiæ, cui conceſſæ fuerint. Trid. uor ſup. Sacr. Congr. Immunit. in Firmane 11 Junii 1705.

II. Infinitus Theſaurus ſunt Indulgentiæ, quo, qui benè uſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ Dei: Quare doceant Parochi, quibus diſpoſitionibus eos inſtructos eſſe oporteat, qui hoc beneficio potiri cupiunt. Abſtruſas, ac inutiles quæſtiones coram imperita multitudine non vertant, ſolùmque oſtendant Indulgentiarum uſum Chriſtiano populo maximè eſſe ſalutarem. Non abs re foret exponere, quâ pietate, quâ formâ, quo ordine, prioribus Eccleſiæ ſeculis, ad lucrandas Indulgentias celebrarentur Stationes, ut quantùm patitur noſtrorum temporum infirmitas, ad eorum leges noſtros mores componeremus. Sed illud in primis moneant, Indulgentias minimè iis prodeſſe, qui in lethali ſunt culpa: quare cum ſolemne ſit in Indulgentiarum diplomatibus aliqua juberi, eaque potiſſimùm, quæ Deo magis placitura exiſtimantur, puta Preces, Eleemoſynas, Jejunium, Confeſſionem, Euchariſtiam; injun- Sap. 1. ver. 14. Trid. ut. loc. cit. Tertull. lib. de Jejunio cap. 10. D. Th. in addit. 3. p. q. 27. art. 1. Bellar. de Indulgent. cap. 13.

D.Th. in 4. diſt. 20. quæſt. 1. art. 5.

cta hæc opera benè, ac plenè, animo verè pœnitenti, & ab affectu lethalis culpæ alieno, perag tur; ita ut ſaltem cum ultimum mandatum o perficitur, quo perfecto recipitur Indulgenti ſint in ſtatu gratiæ: neque enim per indulgent tollitur culpa, ſed ea temporalis pœna remitti quæ, deletâ culpâ, adhuc ſubeunda foret. Li omni tempore velit Eccleſia filios ſuos bo rum operum ſectatores, tunc maximè cùm Ind gentias concedit, eò reſpicit amantiſſima, & p vida Mater, ut ſtudia pietatis excitet, & fruc dignos faciamus pœnitentiæ ad redimenda pec ta, ad ſalvandas animas.

Cap. Cum ex eo. Extravag. Unigenitus cit.

Tit. 2. verſ. 14.

Luc. 3. ver. 8.

III. Indulgentiæ alteri etiam ſeculo p ſunt, & poſt exceſſum è vita, ſunt refrigeria q ſcentium, & remedia defunctorum: quate quod defunctorum negligentiâ minus factum fide viventium impletur: neque enim pioru animæ Defunctorum ab Eccleſia ſeparantur, eſt Regnum Chriſti. Excitentur igitur Fidel ut ſacras veluti ſuppetias ferant Animabus Purgatorio exiſtentibus, quando ad illas, per r dum ſuffragii, Indulgentias produci poſſe permi Eccleſia, quatenus ex ſacro Theſauro à l timo Diſpenſatore Summo Pontifice tantum fertur, quantum ſatis eſt, ut debita earum A marum eluantur apud Deum, qui dives eſt miſerationibus. Quia per diverſas orbis pa Indulgentiæ quædam circumferebantur aut fal aut apocryphæ, aut revocatæ; Sacra Congrega

Ser. 2. in Cath. S. Petri Ap. Auguſt.

Auguſt. de Civ. Dei lib. 20. cap. 9.

Cajet. & Bellarm. in tract. de Indulg. & de Purgat.

Epheſ. 2. ver. 4.

Digitized by Google

ne harum rerum minus periti fallerentur; animarum profectui, & Indulgentiarum dignitati conſulens, illas ſingulari diligentiâ colligi, & in eum indicem referri curavit, quem Nos damus in Appendice: eum conſulant Parochi, Confeſſarii, cœterique Divini Verbi tractatores, ut veras, & legitimas à ſuppoſititiis ſecernant. Append. num. VII.

IV. Ubi annus advenerit Jubilæi, annus certè remiſſionis, ac veniæ, tempus acceptabile, & dies ſalutis, deſtinatus ab Eccleſia, ut medeatur contritis corde, prædicet captivis Indulgentiam, clauſis aperitionem, & annum placabilem Domino: doceant quantùm eluceat tunc temporis Eccleſię beneficentia, cùm, aperto ſpirituali ærario, divitiæ meritorum Chriſti, & Sanctorum plenâ, & effusâ manu per Summum Pontificem diſpenſantur. Ut benè parati ſint fideles ad percipiendos ſalutares, & uberrimos illius ſolemnis Indulgentiæ fructus, moneant præ cæteris, quâ pietate viſenda ſint ſacra Apoſtolorum, & Martyrum monumenta, ad quæ conveniunt Gentes ex omni natione, quæ ſub Cœlo eſt: quanto poterunt ſtudio enitantur, ut ſacram peregrinationem religiosè ſuſcipiant, ſuſceptam obeant devotè, & poſtquam in ſpiritu exultationis, & lætitiæ ingreſſi fuerint portas Domini, & cum gaudio hauſerint aquas ſalientes in vitam æternam de fontibus Salvatoris, cum ſpirituali item exultatione revertantur ad propria. Ab Angelo nedum inviſibili, ſed etiam viſibili ducantur in ſemitis juſtitiæ; quapro-

Leuit. 25. Num. 36. 2. Cor. 6. ver. 2. Iſaiæ 61. ver. 1. Actor. 2. ver. 5. Pſal. 99. Cant. Iſaiæ ver. 4. Pſal. 22. ver. 3.

propter ad regenda Confraternitatum itinera,
Pſal. 90. ver. 11. que in officio continenda, ne quis offendat ad pidem pedem ſuum, neve bonorum ſtudia imp borum licentiâ impediantur; vir Eccleſiaſti probatæ vitæ deſtinetur Præſes, & Cuſtos, qui cœtum verba ſalutis identidem habeat: & Præf deputentur, qui cæteris ætate, & conſilio præſt
Pſal. 118. ver. 1. tes ambulent ipſi in lege Domini, & cæteros d gant in viam ſalutis, & pacis: illudque in pri curent, ut ubi in Xenodochiis excipiuntur hoſ tio. Fœminæ à Maribus divertant.

CAPUT X.

De Jejunio.

Rom. 14. ver. 17. REgnum Dei non eſt eſca, aut potus, ſe
Matth. 11. ver. 12. diebus Joannis Baptiſtæ Jejunatoris, & V ginis vim patitur, & violenti rapiunt illud, no
2. Cor. 6. ver. 5. tantùm in laboribus, ac vigiliis, ſed in jejur multis. Princeps humani generis Adam quan
Auguſt. ſerm. 65. de temp. jejunavit, in Paradiſo fuit; ubi verò comedit, e ctus eſt de Paradiſo; ejecit ergo nos de Parad cibus, reducat eſuries. Et ſanè propitiando ir Numini opportunum, ac præſens præſidium fi
3. Reg. 21. ver. 9. Judith. 4. ver. 8. Jerem. 36. ver. 9. Jonæ 3. verſ. 5. jejunium, quod non ſemel indictum videmus i ſcriptura, ut quæ Fidelium cervicibus imminel Dei indignatio, averteretur. Jam tum à ſuæ pr
Matth. 4. ver. 2. dicationis exordio, ipſum Authorem Fidei, & Co ſumatorem Jeſum jejunantem aſpicimus, ut d

D

Diabolo triumpharet. Illius igitur imitatores ſimus, & ſicut oportet jejunia ſervemus: Quare

I. Parochi, ne ignorata jejunia negligantur, inter Miſſarum celebrationem, ſingulis Dominicis diebus, imminentium per hebdomadam vigiliarum, & eſurialium dierum, nec non recurrentium per annum Quatuor Temporum, & Quadrageſimæ, ſub pœna unius aurei, Populos monebunt. Quod etiam Cappellanis Ruralibus mandamus, & in hanc rem Indici Feſtorum, etiam Vigiliarum Catalogum adnectere duximus opportunum. Doceant, qui cibi vetiti ſint, nec ſolùm certa ciborum genera eſſe præſcripta, ſed qui eſcam carnium ſibi ſubtrahunt, unâ tantùm refectione contentos eſſe debere; huic ſtatam jam eſſe meridianam horam, eamque notabili ante meridiem ſpatio, citra culpam, maturari non poſſe. In parvula illa cœna, quæ ſenſim ſine ſenſu, Eccleſiâ non reclamante, inducta eſt, benignę Matris indulgentiâ non abutantur; ſed adeo modicum ſit, quod ſumitur, ut ſine unius perceptæ refectionis diſpendio adhibitum videatur.

Can. Pronunciandum 1. de Conſecr. diſt. 3. diſt. 76. per tot. Can. Quadrageſima & ſeq. de Conſ. diſt. 5.

Cap. ſeq.

Conc. Toletan. IV. Can. 10. Trull. can. 16.

S. Th. 2. 2. quęſt. 147. & in 4. Sent. diſt. 15. q. 3. art. 4.

Gonzal. in Cap. Ex parte de Obſervant. Jejun.

II. Quamvis à jejunii lege eximat ætas effœta in ſenibus, tenera in Adoleſcentibus; tamen illi ut confidentes ſiſtere ſe poſſint ante Tribunal Dei; hi dum adhuc ſolidæ vires ſuo ſtant robore, jejunent. Ne incipiens frangatur ætas, ante expletum vigeſimum primum annum jejunii lege non tenentur pueri, quamvis à carnibus debeant abſtinere, ubi primùm doli ſunt capaces. Inducendi

S. Antonin. 2. p. tit. 6. cap. 2. § 5.

S. Thom. 2. 2. q. 147. art. 4. ad 2.

Digitized by Google

cendi tamen ſunt & ipſi Juvenes, ut ad cohibendam ætatis licentiam, jejunent aliquando, & abſtinentiæ aſſueſcant, ne illis durum deindè ſit, & difficile quotidie adigi ad jejunium, ubi mox, expleto tertio ſeptennio, hâc lege obligantur. Non quilibet labor excuſat à jejunio, ſed qui neceſſarius eſt; & corporis vires notabiliter aggravat, & fatigat; ubi dubium occurrit, ſibi non blandiantur, nec facilè credant, ſed conſulant pios, ac doctos Viros, qui perſpectis circumſtantiis, videant, an ſit in eorum cenſu labor, qui eximat à jejunio. Si dixeris: vires non ſuppetunt: qui inſpector eſt cordis, ipſe intelligit, & ſervatorem animæ tuæ nihil fallit. Profligatæ, dubiæ ſanitatis homines, qui recèns revaluerunt; ubi ſanitati timetur, abſolvuntur à jejunio: ſed, & hìc ſæpiùs monendi ſunt, ut bonâ agant fide. Quamvis indicendo jejunium, potûs abſtinentiam non indixerit Eccleſia; tamen ſi finis jejunii ſpectetur, qui is eſt, ut compeſcatur caro, & appetitus ſpiritui, & ſpiritus Deo ſubdatur; lex eſurialis eo tempore, quo parciùs uti debemus cibis, & potibus, eam profectò non indulget veniam combibonibus, ut hilareſcant largiore vino, in quo eſt luxuria.

Propoſ. 30. damnata ab Alex. VII. die 18. Martii 1666.

Conc. Tolet. VIII. can. 9.

Prov. 24. ver. 12.

Can. Apoſtol. 68. Cap. Conſilium de Obſervant. Jejun.

D. Th. 2. 2. q. 3. art. 1.

Hymn. ad Matut. in Quadrag.

Epheſ. 5. ver. 8.

III. Inter ſacra jejunia Chriſtianis legibus imperata, ut nihil antiquius, ita nihil ſanctius habet Eccleſia illo maximè ſolemni, & antepaſchali, cui à dierum numero Quadrageſimæ nomen eſt inditum, omnium gentium conſenſione, & longo ſeculorum uſu celebratum. Malis artibus tamen, non

S. Hieronym. ep. 14. ad Marcell. S. Aug. lib. 4. de Bapt. cont. donat. c. 24. S. Athan. in Ep. ad Orthodox. Cyrill. Hieroſ. Catech. 1. &c.

non ſine Chriſtiani nominis injuria illud invadere ſtudet Dæmon, ubi ſacro eo inſtante tempore, ante initia Quadrageſimæ, effuſis in omne genus licentiæ hominibus, improba Gentilium Bacchanalia inſtaurantur. Longè aliter olim Chriſtiana pietas hoc triduum egit, ut eſurialibus diebus aſſueſceret, nec ſatis unquam eorum conſuetudo commendabitur, qui advenientes Quadrageſimæ dies jejunio, & abſtinentiâ præveniunt: beatiſſimi ſiquidem Diſcipuli veritatis hoc divinitùs inſpiratâ commendavere doctrinâ, ut quoties cæcitas paganorum in ſuperſtitionibus ſuis eſſet intentior, tunc præcipuè populus Dei orationibus, & operibus pietatis inſtaret. Omni igitur, quâ valent, induſtriâ Parochi, & Vicarii, ſive Generales, ſive Foranei, à vanitatibus, & inſaniis falſis avertant Fideles, & eis memorent ſolemnes illas, quas Satanæ, & Mundo emiſerunt in Baptiſmo ejurationes. Non eſt per temulentiam aditus ad jejunium, nec per malitiam ad virtutem: Jejunator præparatur ad jejunandum temperantiâ; ne ſit veluti ulciſcens jejunii dies. Ut ſaltem diebus feſtivis furorem ponat plebs inſulſa, his diebus ſub pœna, nedum pecuniaria noſtro arbitrio taxanda, ſed etiam carceris, Larvas, aliaque id genus ſpectacula inſaniæ, & impudentiæ plena vetamus. Toto eo triduo celebri pompâ, ac ſolemni ritu Dominicum Corpus publicæ venerationi exponatur, & ſicuti datâ operâ provida Mater Eccleſia Chriſti paſſionem recolit in Evangelio;

Conc. Bracar. II. can. 9.

S. Leo ſerm. 3. de Collect.

Pſal. 39. verſ. 5.

Baſ. hom. 1. de Jejun.

Sac. Cong. Epiſcop. & Regular. in Viterbien. ſeu Aquipend. 16. Jan. 1693.

Dom. in Quinq. ex cap. 18. Luc.

ita pia adhortatione Fideles ad pietatem excitari vehementer cupimus, ut de medio Babylonis converſi ad Dominum, Chriſtum ſpectent, & carnem cum vitiis, & concupiſcentiis ſuis crucifigentes, digni habeantur, qui ſuo Capiti conformentur.

Ad Galat. 5. ver. 24.

IV. Ante mediam noctem, quæ Feriam quartam Cinerum præcedit, à Cathedralibus, Collegiatis, & Parochialibus Eccleſiis ære campano per dimidium horæ detur ſignum, quo moneantur Fideles inſtare ſolemne jejunium ſummâ obſervatione colendum: intelligantque eo finito, jejunii, ac à vetitis cibis abſtinentiæ legem jam obligare cœpiſſe, quoniam à media nocte ad mediam noctem Chriſtiana jejunia cenſentur. Si qui verò, eo finito, carnium eſum longiùs protrahere, aut aliis carnes comedendas præbere, ſive in publicis tabernis, ſive in privatis domibus deprehendentur, tanquam impii Quadrageſimalis jejunii violatores punientur. Et quoniam, qui Eccleſiam non audit, eſſe debet tanquam Ethnicus, & Publicanus, & Heterodoxi hominis eſt abſtinentiam à carnibus, ac delectum ciborum in jejuniis improbare; procedemus tanquam in contemptores Eccleſiaſticæ legis, & Catholicæ Religionis, hæreſis ſuſpicionem ingerentes in eos, qui abſque legitima cauſa, nullâ obtentâ licentiâ, Quadrageſimali tempore, & aliis jejuniorum, & abſtinentiæ temporibus, cum cibi vetantur aliqui, vetitis illis utuntur cibis.

Can. Quadrag. de Conſ. diſt. 5.

Matth. 18. ver. 17.

V. Jejuniorum temporibus, & præſertim Quadrageſimæ, etiam ad ægrotantium uſum carnes vena-

venales non exponantur, & ii, quibus vendendi datur facultas, nemini tribuant, qui licentiam noſtram, vel Vicarii noſtri Generalis in ſcriptis non exhibeat: nec publicè, ac patentibus januis vendendas proponant; ſed privatim, & clanculùm, & eas tantùm, quæ ægrotantium curæ ſunt accommodatæ. Qui ſecus egerit, pœnam dabit ſcutorum quinque piis uſibus applicandorum. Jubemus præterea Cauponibus, Tabernariis, & Diverſoriorum Conductoribus, cæteriſque, qui Peregrinos Viatores hoſpitio excipiunt, eiſque cibos miniſtrant, ne ullo quæſito colore carnes, vel cibos vetitos coquant, aut comedendos apponant, nec àb illis coqui, vel comedi domi ſuæ patiantur; ubi legitimam facultatem non exhibent, & certum eſt, & perſpectum nullâ neceſſitate, aut Eccleſiæ diſpenſatione, abſtinentiæ lege eſſe abſolutos. Contra delinquentes pœnam aureorum decem ſtatuimus, & per inquiſitionem procedi poſſe declaramus.

Conc. Med. V. Tit. de his quæ ad dies Feſt. & Sacr. Temp. pertinent.

VI. Non ſubjacet legi neceſſitas, & piiſſima Eccleſia in ſuos Matrem agens, non Novercam, iis tantùm jejunium imperat, & abſtinentiam, quibus facultas, & vires ſuppetunt. Illi verò, quos aut ætas incurvat, aut languor extenuat, aut neceſſitas arctat, quamvis legitimam habeant hujus legis ſolvendæ cauſam, adhuc tamen non ante prohibita violare præſumant, quàm permiſſum accipiant; de ea igitur cauſa priùs à Medico obtineant teſtimonium, deinde in Civitatibus Vica-

Cap. Conſilium: De obſervat. Jejun.

Conc. Tolet. VIII. can. 9.

S.Thom. 2. 2. q. 144. art. 4. Conc. Mediol. 7. par. 2. tit. de Jejun.

rium Generalem, alibi Foraneum adeant, qui ſubſcribat, & facultatem impertiat: ubi non erit Medici, & Chirurgi copia, ſola Parochi, & Vicarii Foranei ſubſcriptio ſufficiat. Caveant, ne incommoda, & ægritudines mentiantur, ut edendarum carnium licentiam extorqueant potiùs, quàm obtineant: Deus enim non irridetur. Cibis dumtaxat ad ſanitatem tuendam commodis, & neceſſariis, non item aliis ad voluptatem utantur. Ne eſca Fratrem ſcandalizet, non publicè, & cum domeſticis, ſed ſeparatim, & ſoli carnes comedant. Exorbitantem illam à jure diſpenſationem reſtringere oportet, non dilatare: idcircò ab abſtinentiæ lege ad iteratas refectiones extendi non debet; ita ut, ſi cui indultus eſt uſus carnium, illi præcipiatur adhuc unica comeſtio, niſi fortè etiam inedia ſaluti incommodaret. Interim advertant Medici, ne officioſâ nimium conſcientiâ, nullo habito perſonarum, aut ægritudinum examine, improbis omnium promiſcuè votis annuant, & plus æquo indulgentiores ſint cum hujuſmodi hominibus, qui in labore hominum non ſunt, & ideò operti ſunt iniquitate. Si lacticinia ad valetudinem ſufficiunt, uſum carnium non permittant; & qui jejunium ex infirmitate ferre non poſſunt, illud redimant aliis pietatis officiis.

Ad Gal. 6. ver. 7.

1. Corinth. 8. ver. 13. ſer. 62. de temp. ap. Auguſt.

Edict. Card. Carpin. Edit. Romæ Anno 1704. 15. Feb.

Pſal. 72. ver. 6.

S. Chryſoſt. hom. 10. in Gen.

VII. Quadrageſimam, aliaque jejunia ſicut oportet convenit celebrare. Doceant igitur Parochi Populos datâ occaſione ſanctificare jejunium: ſanctum autem eſt, quod cum proximi dile-

Joel. 2. ver. 14.

dilectione agitur, cum pietate conditur; & magnum, ac perfectum jejunium habetur, abſtinere ab iniquitate. Quare per ea tempora, potiſſimùm Quadrageſimæ, duriùs tractando corpus, fructus faciant dignos pœnitentiæ, ac edendi libertas ita moderetur, ut etiam aliæ cupiditates eâdem lege refrænentur. Nihil refert ſi quis à cibis abſtineat, & dein peccatorum ſaginâ pingueſcat: Tale jejunium certè non elegit Dominus. Simultates omnes, & rixas deponant: pretioſas, & vanas veſtes, mulieres præcipuè, non induant, ſed humiles, & demiſſas, quæ religioſo congruant tempori. Conſulant tantùm neceſſitati naturæ, nec in ipſo Quadrageſimalium ciborum uſu copiam quærant, & voluptatem; quoniam à Chriſtianis menſis abigendæ ſunt deliciæ, ac vitanda ingluvies. In ipſa quantitate ſumendi, menſuram moderatæ refectionis non excedant, & jejunium non implent, ſed eludunt, qui, mutatâ tantùm ciborum ſpecie, exquirentes novas ſuavitates, magis quàm veteres concupiſcentias caſtigantes jejunant, non ut ſolitam temperando minuant edacitatem, ſed ut immoderatam differendo augeant aviditatem. At quia bona eſt Oratio, cum Eleemoſina, & Jejunio, quæ Deus conjunxit, homo non ſeparet, ut omnes ſuos numeros habeat Chriſtianum jejunium addatur oratio, & eleemoſina: Fiat abſtinentia Fidelium cibus pauperum, & quod quiſque ſubtrahit ſibi proficiat indigenti. Sæpiùs item confiteantur, nec expiationem peccatorum ad

S.Greg. hom. 16. in Evang.
Can. Jejunium de Conſecr. diſt. 5.
Luc. 3. ver. 8.
S.Leo ſerm. 4. de Quadrag.
Serm. 172. de temp. ap. Auguſt.
Iſaiæ 58. ver. 5.
S. Baſil. hom. 1. de Jejun.
Can. Quinque modis de Conſecr. diſt. 5
Conc. Cabilon. II. can. 30.
D. Auguſt. ſerm. 74. de diverſ.
Tob. 12. ver. 8.
S.Leo ſer. 9. de Jejun. Decim. Menſ.

po-

Digitized by Google

poſtremos Quadrageſimæ dies remittant. I
etiam foret quandoque Fidelibus ſignifica
quantùm de antiquo rigore in jejuniorum uſ
miſerit Eccleſia, & animadvertere, quàm l
à primævo fervore delapſi ſumus, ut ſi in ſi
larem eam pietatem recaleſcere non poſſunt
tem per hæc tempora pœnitentiæ deſtinata t
dia relegent, & choreas, quas ſub eiſdem p
cap. ſeq. num. VI. inflictis diſtrictè prohiber
Quantò jejunii tempore arctiùs eſt divinis cul
inſiſtendum, tantò eſt à cunctis mundi no
oblectamentis longiùs recedendum: non en
lamenta cum jocis benè conveniunt.

Nicol. I. ad Conſul. Bulgar. cap. 44. & 47.
Conc. Mediol. V. part. 1. ſup. cit.

CAPUT XI.

De Obſervantia Feſtorum Dierum.

NObis, qui in Chriſtum credimus reſurgen
jugis, & æterna feſtivitas eſt; at quan
omne tempus ſit diei feſti Chriſtianis, & ned
tempora omnia, ſed ſingula vitæ momenta
poteſtate Patris poſita ſint: aliquos tamen
dies reſervavit Deus à cæteris diſtinctos, ſ
cretos, quos ſingulari præcepto ſuo cultui
obſequio deſtinavit. Ex quo ſeptimâ die req
vit ab univerſo opere, quod patrarat, ſe
cœperunt ex naturæ præſcripto: & ubi in v

S. Hieron. in ep. ad Galat. cap. 4.
S. Chryſoſt. hom. 15. in 1. ad Corinth.
Actor. 1. ver. 6.
Gen. 2. ver. 2.

Digitized by Google

teſtamento religioſi cultûs argumenta, & ſuorum beneficiorum memoriam revocavit, ne in poſterum elaberetur recordatio, aut negligeretur præceptum, id ipſum animis altiùs impreſſurus indixit: Memento, ut diem Sabbathi ſanctifices. Hunc diem Apoſtoli in Dominicum converterunt, & omnem gloriam Judaici Sabbathiſmi in illum tranſtulerunt, ut quod ipſi in figura, nos celebremus in veritate eâ die, quæ tantis divinarum diſpoſitionum Myſteriis eſt conſecrata, ut quidquid eſt à Domino inſigniùs conſtitutum in hujus diei dignitate ſit geſtum. Præter Dominicum alios item feſtos dies quotannis recurrentes conſtituit Eccleſia, ut etiam in Sanctis coleretur Deus. Non ipſi, ſed Deus eorum nobis eſt Deus, Deoque accedit honos, quem Deiparæ, & Sanctis exhibemus. Ne autem Inimici noſtri derideant Sabbatha noſtra, & ſicut olim in Synagoga, ſic etiam in Eccleſia Feſta averſetur Deus, ita celebrari mandamus.

Exod. 20. ver. 8.
Apocal. 1. Actor. 20. 1. Corinth. 16.
Ser. 251. de Temp.
S. Leo ep. 11.
D. Aug. de Civit. lib. 8. cap. 27.
Thren. 1. ver. 7.
Iſaiæ 1. ver. 13.

I. In Miſſa Parochiali, quam non intempeſtivè maturabunt, ſed ſtatâ horâ, ut magis commodum erit Populo, celebrabunt, dies feſtos ex præcepto ſervandos, jejunia item, indulgentias, ſtationes, quæ per hebdomadam occurrent, Parochi nunciabunt, quod ſi neglexerint pro qualibet vice pœnâ unius aurei mulctabuntur. Oſtendent legem hanc ſpiritualem nobis eſſe, & non tantùm carnalem: dicitur ſiquidem nobis, ut ſpiritualiter Feſta obſervemus, non quomodo Judæi obſer-

Can. Pronunciandū de Conſecr. diſt. 3.
Roman. 7. ver. 14.
S. Auguſt. lib. de Decem Chord. c. 3. & Conc. 1. in Pſ. 32.

obſervant carnali otio, quo abutuntur ad ne
tiam. Occupanda igitur ſunt, juxta ductan
Apoſtolorum temporibus conſuetudinem,in p
bus ad Deum fuſis, in lectione Sacra, in aud
do Verbo Dei, aliiſque piis religionis ſtudiis
officiis, quæ fidem, ſpem, charitatem alant, &
citent. Inter cætera pietatis officia hoc ma:
Can.Omnes Fideles, & Can. Miſsas de Conſecr. diſt. 1. eſt in præcepto, ut Sacroſancto Miſſæ Sacri
attentè, ac devotè interſint Fideles, à quo ci
lethale flagitium abeſſe non poſſunt, niſi legit
detineantur impedimento, & jam olim in v
ſtiſſimis moribus erat Feſtis diebus ad Domini
convenire.Sciant tamen ubi Miſſam audierint,
nihil præterea deberetur, datum non eſſe otic
multo minùs ebrietatibus, & comeſſationibu
care, & partito veluti die inter aliqualem Dei
tum, & opera Diaboli, ita ſe gerere, ut reli
tantùm cogitationum, ideſt minimæ cogit
Pſal.75. ver. 11. num particulæ, Feſtum agant Domino. Par
imitari primæva inſtituta, ubi qui credid
perſeverantes erant in doctrina Apoſtolorum
Actor. 2. ver.42. Communicatione fractionis panis, & orationi
Sacroſanctæ Tridentinæ Synodi votis prob
Seſs.22.cap.6. tisfacerent, ſi expiatis per Confeſſionem pec
Miſſæ adſtantes, nedum ſpirituali affectu, v
etiam Sacramentali Euchariſtiæ perceptione
municarent, quò ad eos Sanctiſſimi Sacrificii
D. Aug. de Civit. lib.10.cap.27. ctus uberior proveniret. Beneficiorum Dei
moriam ſolennitatibus, ac feſtis diebus conſ
mus, ne volumine temporum ingrata ſub

Digitized by Google

oblivio; nec ullus Sanctis gratior eſt cultus, & magis accepta religio, quàm ſi illorum virtutes exprimere laboremus; quare maximo ſtudio, & vigilantiâ in id incumbant Eccleſiarum Præſides, ut citra omnem inanem ſollicitudinem religioſo cultu, & chriſtianâ pietate celebrentur. Vacantes à ſecularibus curis, & deſideriis feſtinemus ingredi in eam requiem, in qua perpetuum eſt feſtum, ut ex veritate perfruamur in patria, quod de umbra gaudii meditamur in via.

Roman. 8. ver. 11.

S. Gregor. hom. 16. in Evang.

II. Populum in ſua Parochia, ſaltem diebus Dominicis, & majoribus feſtis frequentem eſſe convenit: hoc autem obtinebunt Parochi monendo potiùs, & docendo, quàm jubendo, & minando. Æquum eſt, ut vultum pecoris ſui cognoſcat Paſtor pro illo rationem redditurus, & faciliùs inſtruet, & obſervabit in ſpiritu charitatis unitum, quàm hâc, illâc diſperſum; Altare tamen contra Altare amaro zelo, & deteſtando ſchiſmate, erigi non debet. Tales eſſe ſtudeant, ut vel qui ex adverſo ſunt nihil habeant, quod dicant; præbeant ſe operarios inconfuſibiles, rectè tractantes verbum Domini, & antiquum laudabilem morem facilè reſument populi, convenientes ad ea loca, ubi ad novam vitam per Baptiſma ſunt geniti, ſi ibi roborari ſe ſentiant in virum perfectum. Quia ſtultè agunt Paſtores, & Dominum non quærunt, greges diſperguntur. Cæterum benè præſint Presbyteri: omnia religiosè, & ſecundum ordinem fiant in Parochia: ſuæ celebrentur

Conc. Trid. ſeſs. 22. de Sacr. Miſs in Decr. de Obſerv. &c.
Cap. In Dominicis de Parochiis.

Prov. 27. ver. 27.

Hebr. 13. ver. 17.

Tit. 2. ver. 8.

2. Tim. 2. ver. 15.

Jerem. 10. ver. 21.

1. Tim. 5. verſ. 17.

1. Cor. 14. ver. 10.

pietatis exercitationes: ſtatis horis, non intempeſtivis fiant ſacra: parochialia omnia munia expleantur ſolicitè: habeatur indiſpenſabiliter Concio, & Catecheſis, dociles ut plurimùm oves, ſi audiant vocem boni Paſtoris, illum certò ſequentur, nec dimittent.

Jo. 10. ver. 4.

III. Ejus inſtituti origo, quo factum eſt, ut Dominico die ceſſarent judicia, ab illo repetitur, qui primus venerandâ Chriſtianorum fide munivit Imperium; memor ſcilicet imperati à Deo otii die Sabbathi, cui Dominicus dies ſucceſſit, indignum ratus eſt, altercantibus jurgiis hanc diem occupari. Quare cum Religio Dominici diei ſacræ quieti deſtinata lites, jurgia, ſtrepitum contentioſæ juriſdictionis averſetur; ut fidelibus omnibus liberum ſit curas deponere, & datis veluti induciis à controverſiis reſpirare, juſtitium indicimus, acta omnia contentioſæ juriſdictionis vetamus, & facta reſcindimus. Hanc autem immunitatem à Dominica etiam ad reliquos feſtos dies volumus propagari, quorum Catalogum infra ponemus, quos ab omni judiciario proceſſu, forenſi ſtrepitu, legis actione, hominum pœna, & juramento præſtando liberos eſſe volumus, niſi neceſſitas urgeat, vel pietas ſecus ſuadeat, ut in cauſa alimentorum, mercedum, miſerabilium perſonarum, & excarcerationis contingit, pro quibus feriarum ratio non habeatur:

Euſeb. de Vit. Conſtan. cap. 18.

L. 1. Cod. Theod. de Feriis. L. ult. Cod. hoc tit.

Cap. Omnes Dies de Feriis.

Cap. Conqueſtus eod. tit.

IV. Non ſunt rerum gerendarum, ac negotiorum tempora feſti dies: quoniam vero aut ſecu-

S. Gregor. Nazianz. Orat. 6.

ſeculari privilegio, aut longâ conſuetudine jam uſus obtinuit, ut ob majorem populi commoditatem, & concurſum publicæ nundinæ, jure alioquin vetitæ, feſtis diebus habeantur; tolerare debemus, quod emendare non poſſumus. Privatos tamen mercatus fieri prohibemus, & ſi in diem feſtum incidant, in præcedentem, aut ſubſequentem transferantur. Victualia, quæ in quotidiano ſunt uſu, in foro vendi permittimus, dummodò tamen ubi habetur concio, & Catecheſis, ſuſpendatur venditio: & ad fores, circa ambitum, vel ante faciem Eccleſiæ nihil proſtet, aut venale exponatur. Vetamus item quarumvis rerum exportationes, & vecturas, ac ne jumenta clitellis, & mercibus onuſta agantur, niſi fortè iter proſequendo, quod die profeſto inchoatum fuerit: Si quæ urgens neceſſitas ab hac lege cogat diſpenſare, adeant Vicarium, qui in ſcriptis, & gratis licentiam dabit. Officinæ omnes, præcipuè dum Divina celebrantur officia, clauſæ habeantur. Quòd ſi neceſſitas cogat venalia fieri ea, quæ humano uſui ſunt neceſſaria, non in publico, & aperto, ſed fiat Apothecis clauſis, aut ſaltem tota non pandatur porta; ſed parvulo tantùm oſtiolo reſerato, diſtrahantur. Violatores harum legum, præter rerum amiſſionem, animalium, & mercium, aliaſque pœnas arbitrio noſtro, etiam corporis afflictivas, & maximè carcerationis, tribus aureis mulctabuntur.

Conc. Mogun. IV. cap. 98. Aurelian. III can. 11. Can. Omnes dies ſup. cit.

S. Pius V. In Conſt. Cum primum §. 7.

V. Celebres, ac lætæ Martyrum ſolemnita-

Ex Euſeb.lib.4.c.15. Hiſt. Eccl.

Theodor. Orat. 8. S. Gregor. Nazianz. Orat. 4.

S. Hieron. ep. 9. ad Euſtoch.

tes cæterique feſti dies, ex vetere Chriſtianorum more, agi conſueverunt; at quia publicum gaudium, per publicum dedecus malè exprimitur, Sanctiſſimi noſtri Patres ſummâ pietate, id maximè ſtuduerunt, ut amotâ omni licentiâ, & ebrietate emendarentur abuſus, qui, præſertim in epulis, & conviviis irrepebant, ſolicitè providentes, quò ſolemnes dies non tam ciborum abundantiâ, quàm ſpiritûs exultatione celebrarentur. Idcircò qui in privatis domibus vinum bibendum propinant, ubi celebrantur Divina officia, habetur Concio, & Catecheſis, Potatores arceant, dimittant, & oſtium claudant. Si ſecùs faciant qui vendunt trium aureorum, & etiam carceris, Compotatores unius aurei pœnâ mulctabuntur. In publicis etiam Cauponis, & Tabernis per has horas conventus ad bibendum fieri vetamus ab Indigenis ſub eâdem pœna; licet Viatores, & Tranſeuntes admitti non prohibeantur. Quæ Deo exoſa ſunt, omni tempore hominibus eſſe debent inviſa, ſed deteſtabiliora tunc ſunt, quando iis diebus perpetrantur, qui pietati ſunt deſtinati: turpiter vino madere ſemper homini indecorum; at maximè execrabile, ubi feſtus dies compotando traducitur, qui in oratione eſſet occupandus: Noſtra hæc eſſent vota, ut feſtis diebus vinum publicè non venderetur; ſed qui pro ſua, vel familiarum neceſſitate vino indiget, acciperet ad propria aſportandum, ut non voluptati, ſed uſui conſuleret. Oderunt Martyres lagenas, oderunt

ſarta-

ſartagines, & valdè abſurdum eſt nimiâ ſaturitate velle honorare Sanctos, quos Deo ſcimus placuiſſe jejuniis. D.Auguſt. lib. 20. cont.Fauſt.cap.21. S.Hieron.ſup.cit.

VI. Choreis potiſſimùm exauguratur dies feſtus, & animabùs hâc peccandi illecebrâ periculum grande creatur; ideò repreſſas, & abolitas illas volumus, præcipuè quia ab Ethnicorum more traductum eſt, feſtos dies ſaltando, & choros ducendo celebrare. Satiùs foret tota die fodere, quàm tota die ſaltare. Confortati in Domino Parochi, Confeſſarii, Concionatores invehantur in hanc periculi plenam licentiam: moneant præcipuè eas Matres, quæ docent Filias fingere artus modis illiberalibus, nec pudet in Synagoga Peccantium Filias immolare victimas Idolo vanitatis. Et quoniam mos, aut pravus affectus ita eas excæcat, ut omnem auferat conſcientiæ ſenſum; ideò inter excipiendas Confeſſiones hujus rei religionem incutiant. Magis monendo ſecundùm Auguſtinum, quàm minando iſta tolluntur, & ſi quid minamur, id cum dolore fieri deberet, comminando de Scripturis futuram vindictam, ne Nos ipſi in noſtra poteſtate, ſed Deus in noſtro ſermone timeretur; at quia ad iſta occalluit perditorum hominum animus; ideo diebus feſtis, ſaltem horis, quibus divina celebrantur officia, & integro tempore Adventûs, & Quadrageſimæ, ubi in planctu, & fletu ſcindenda eſſent corda, ut Dei miſericordiam imploremus in tempore opportuno, Choreas, Tripudia, Saltationes, præcipuè quas ruri

Can. Irreligioſa de Conſecr. diſt. 3. ex Conc. Toletan. III. cap.23.

D. Aug. conc. 1. in Pſal. 32.

Eccl.16. ver.7.

D.Auguſt. ep. 64.

Conc. Mediol. III. Tit. 1. de Feſtor. & cult.

Joel 2. ver. 12.

Digitized by Google

ruri in noſtra Diœceſi inter perſonas utriuſque ſexus duci reſcivimus, vetamus: Auctores, qui eas ducunt, Pulſatores inſtrumentorum, & Præcentores, Eos qui domum commodaverint, & conceſſerint quatuor aureorum pœnâ pro ſingulis vicibus plectendos ſtatuimus, imo in juris ſubſidium etiam Interdicto puniemus ſi ſemel, & iterum moniti non reſipuerint: Complices, & adſtantes dimidiatam pœnam dabunt.

Conc. Charthag. IV Can. 88.

L. Ult. Cod. de Feriis. L. Dominico Cod. Theod. de Spectac.

Sap. 4. ver. 12.

Tertull lib. de Spectac. Lactant. lib. 6. Inſt. Divin. cap. 20. & ſeq. S. Cyprian. ep. 1. ad Donat.

Conc. Cabilon. Can. 18.

Can. Qui die de Conſ. diſt. 1.

VI. Interpellarunt non ſemel Patres, tùm Secularem, tùm Eccleſiaſticam poteſtatem, ut omnem faſcinationem nugacitatis, quam ſecum adnexam habent ſpectacula, in diebus feſtis prohiberent: & quoniam ea, quæ noſtris temporibus exhiberi ſolent, & quibus incondita plebecula delectatur, non ſolùm Divino cultui incommodant, verùm etiam eadem, ut plurimum habent vitia, & irritamenta nequitiæ, propter quæ factum eſt, ut execrationi eſſent Patribus; ideò omnes Theatrales Scenicos ludos, Larvarum ludicra, & alias publicas id genus nugas non ſolùm Circulatoribus, & Mimis, ſed aliis omnibus cujuſcunque generis perſonis, ſub pœna ſcutorum quinque vetamus. Contra eos autem, qui intra quadraginta paſſuum ſpatium, vel in Eccleſiarum conſpectu choreas ducere, ſtrepitus profanos edere, nugaces cœtus cogere, & ſimilia perpetrare auſi fuerint, quibus divina perturbantur officia, graviores pœnas etiam carceris interminamus. Quoniam impedimento ſunt Eccleſias adeuntibus illi,

qui

qui ludunt rotulis, vulgo *ruzzole*; mandamus ne in publicis viis, quibus ad Sacras Ædes Fideles devotionis causâ incedere ſolent, his rotulis, ſive caſeæ ſint, ſive ligneæ, ludatur feſtis diebus ſub pœna aurei unius pro qualibet vice: At longè graviorem arbitrariam pœnam dabunt, qui ſacris his diebus in officinis, Tabernis, extra publicas Locorum fores, & aliis ejus generis locis, Teſſeris, aut Aleis ludent, quos in fragranti deprehenſos in vincula rapi mandamus. Ubi prævaricantes vident, tabeſcant ſacro zelo Parochi, Vicarii Foranei, Confeſſores, nec patiantur Chriſtianos gentem ſanctam, populum acquiſitionis ſacrâ feſtorum dierum quiete in ludos, ſaltationes, laſcivias, rixas, aleas, compotationes abuti, & eo tempore cumulari crimina, quo maximè deceret à criminibus abſtinere.

VIII. Jura omnia Deo dicatos feſtos dies ab opere ſervili eſſe jubent immunes. Omnes igitur ruſticos labores, mechanica opera, & cunctarum artium opificia vetita ſunto ſacris iis diebus. Nunquam piſcari liceat, niſi aliquid indulgendum cenſerent Vicarii noſtri etiam Foranei in aliquo raro caſu, ne elabatur occaſio, quando certi generis piſces, certis dumtaxat diebus, comparent ad capturam, quæ unicus ferè quæſtus eſt, quo miſera gens vivit: ſed tunc etiam obtineatur à Vicario Foraneo licentia, & cætera ſerventur, quæ in ſimilibus caſibus mox infra decernemus. Frumentum molere non liceat niſi urgente neceſſitate, & exple-

Levit. 23. ver. 25. Sexta Synod. c. 8. Conc. Aurelian. III. cap. 28. Antiſiod. cap. 16.

L. 3. Cod. de Feriis.

Cap. Licet de Feriis.

expletâ Miſsâ Parochiali; nec panem coquere in die feſto, in privatis domibus, niſi urgente neceſſitate, ubi plures præcipuè concurrunt feſtivitates, & obtentâ priùs licentiâ, quæ pro diverſa temporis opportunitate gratis dabitur. Abolendus eſt abuſus, qui inolevit, integro feſto die barbas tondendi: nihilominus in gratiam opificum, & ruſticorum, qui profeſtis diebus id ſibi curare non poſſunt, aliquid indulturi horis pomeridianis extra tempus Divinorum officiorum exteris, & ruſticis, qui aliàs in Urbem convenire non poſſunt, in ædibus privatis, aut officinis portâ minimè patente barbam tonderi permittimus. Ne occaſione momenti pereat commoditas cæleſti proviſione conceſſa, ubi periculum frugibus, aut fructibus immineret, liceat fœnum, ac ſegetes ſuccidere, & colligere, quam indulgentiam etiam ad vindemiam protrahimus, ſi ex aeris intemperie ingruat periculum, petitâ tamen priùs licentiâ, quæ pro varia temporum ratione concedatur. Sciant tamen ab onere audiendæ Miſſæ non eſſe abſolutos. Quoniam non Judaicâ moroſitate, ſed Chriſtianâ pietate ſervari vult feſta Deus, qui miſericordiam potiùs amat, quàm ſacrificium, paternâ quadam facilitate aliquid etiam de ſummo jure, & rigore remittimus, ſi quid ſimile opus ſervile fieri oporteret, quod ex mora periculum pateretur, in publicam cederet utilitatem, & aut urgeret neceſſitas, aut pietas operari ſuaderet; licet enim etiam Sabbathis benefacere. Sed quia horum omnium judi-

Joann. XXII. in ep. ad Philip. V. apud Rayn. ad an. 1317. num. 75.

L. 3. Cod. de Feriis.

S. Thom. 2. 2. q. 122. art. 4. ad 4.

Oſeæ 6. ver. 6.

Matth. 12. verſ. 12.

judicium apud nos eſt, petatur licentia à Vicariis, qui illam concedent, cognitâ tantùm causâ, & nullâ pactâ, aut receptâ mercede ſub pœna amotionis, & alia etiam arbitraria, ne obſequium Dei pecuniâ redimere attentaverint.

Urbanus VIII. In Conſt. Univerſa.

IX. Sub ſpecie boni, & præpoſtero Religionis prætextu imponit quandoque plebi Dæmon, & experientiâ compertum eſt, quòd ubi populus, aut devotione, aut ex voto plures feſtos ſibi obſervandos aſſumit oneri potiùs ſunt, quàm adjumento Eccleſiaſticæ, & Chriſtianæ diſciplinæ; quia ea deinde, quæ ab Eccleſia præſcripta ſunt, negligit, & contemnit, aut ægrè ſervat. Nulli igitur Communitati liceat ſibi nova peculiaria, & privata feſta, vel jejunia vovere, niſi de noſtra licentia, quam dabimus ſolùm examinatâ, & approbatâ causâ, ne nimiâ facilitate multiplicentur feſta minimè deinde ſervanda.

Urbanus VIII. in Conſt. mox cit. Cong. Sacr. Rit. in Paceu. 20. April. 1602.

X. Acriter monendi ſunt Parentes, & præcipuè Agricolæ, & Paſtores, qui parum fiſi Divinæ Providentiæ, quæ dat eſcam etiam Corvorum pullis, Filios, vel Servos quandoque impediunt ab audienda Miſſa, ne greges deſerant, aut paſcua. Illis igitur jubemus, ut Filios, & Famulos non modò Sacroſancto Miſſæ Sacrificio adeſſe non impediant, verùm etiam compellant, memores non tantùm ſui, ſed etiam domeſticorum, & ſubditorum ſe rationem redditurós: quorum ſi negligant curam, ita habentur ab Apoſtolo, ac ſi fidem negaſſent, & eſſent Infidelibus deteriores,

Pſal. 146. ver. 9.

1. Tim. 5. ver. 8.

N qui

qui ex ipſo naturæ inſtinctu debita ſuis præſtant officia. In Domino confidant omnem ſolicitudinem in eum projicientes, quoniam ipſi cura eſt de nobis; & ſcit Pater noſter quibus indigemus.

Matth. 6. ver. 32.

XI. In Dei cultum præcipuè intendant Vicarii Foranei, & ſuper feſtorum obſervantiam diligentiſſimè inquirant: in eam inſiſti etiam curent à Curiæ Satellitibus, ſæpè circumeundo, & diſcretè loca, ſeu officinas venalium perquirendo. Feſtorum Violatores præter Divini judicii ultionem, amiſſionem rerum, animalium, curruum, & mercium juxta Conſt. Pii V. pœnas etiam pecuniarias, & corporis afflictivas maximè carceris ſubibunt. Cujus pecuniariæ pœnæ tertiam partem Executoribus addicimus, reliquas in poteſtate erit Vicarii Foranei uſibus Eccleſiæ, vel Sacriſtiæ deſtinare. Fas quoque ſit noſtris Executoribus, ubi quem in fragranti repererint merces diſtrahentem, ſervilia exercentem, aut quocunque alio modo Feſtorum obſervantiam violantem trahere in carcerem, pignora exigere, jumenta auferre. Et quia etiam per inquiſitionem procedi poſſe volumus, delatoribus tertiam pœnæ partem, ubi tranſgreſſores revelaverint, obligamus. Pœna pecuniaria arbitraria erit major, aut minor pro modo culpæ, & ſcandali; at nullus ſit caſus, in quo ſaltem dimidium ſcuti non exigatur. Et qui ob nimiam, & ſummam inopiam illi ſolvendo non ſunt pares, opus aliquod perſonale præſtent, juxta arbitrium Vicariorum Foraneorum, ſaltem per tres dies in fabrica Eccle-

Conſt. ſup. cit.

Conc. Narbon. Can. 4. Cabil. Can. 4.

Eccleſiæ, aut alio, quod ad Eccleſiam pertineat, ſervitio.

Ut Jejunia, & Feſta de præcepto ſervanda omnibus innoteſcant, eorum Indicem hîc ſubteximus.

Dies Jejuniorum de Præcepto Eccleſiæ.

Quadrageſimæ ſinguli dies, exceptis Dominicis.
Quatuor tempora totius anni, videlicet
Hyemalia menſe Decembri poſt Feſtum S.Luciæ.
Vernalia poſt primam Dominicam Quadrageſimæ.
Æſtiva poſt Dominicam Pentecoſtes.
Autumnalia menſe Septembri poſt Feſtum Exaltationis Sanctæ Crucis.
Vigilia Pentecoſtes.
Vigilia S.Matthiæ Apoſtoli 23. Februarii, & 24.in anno biſſextili.
Vigilia Nativitatis S.Joannis Baptiſtæ 23.Junii.
Vigilia SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli 28.Junii.
Vigilia S.Jacobi Apoſtoli 24. Julii.
Vigilia S. Laurentii Martyris 9. Auguſti.
Vigilia Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis 14. Auguſti.
Vigilia S. Bartholomæi Apoſtoli 24. Auguſti.
Vigilia S. Matthæi Apoſtoli 20. Septembris.

Vigilia SS. Apoſtolorum Simonis, & Judæ 27. Octobris.

Vigilia omnium Sanctorum 31. Octobris.

Vigilia S. Andreæ Apoſtoli 29. Novembris.

Vigilia S. Thomæ Apoſtoli 20. Decembris.

Vigilia Nativitatis Domini Noſtri Jeſu Chriſti 24. Decembris.

Feriâ ſextâ, & Sabbatho per totum annum eſus carnis interdicitur.

Dies Feſti obſervandi de præcepto.

JANUARIUS.

1 Circumciſionis Domini Noſtri Jeſu Chriſti.
6 Epiphaniæ Ejuſdem.

FEBRUARIUS.

2 Purificationis Beatæ Mariæ Virginis.
24 S. Matthiæ Apoſtoli,
& 25. anno biſſextili.

MARTIUS.

19 S. Joſeph Confeſſoris.
25 Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis.

MAJUS.

1 SS. Philippi, & Jacobi Apoſtolorum.
3 Inventionis S. Crucis.

JU-

JUNIUS.

24 Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ.
29 SS. Petri, & Pauli Apoſtolorum.

JULIUS.

20 S. Margaritæ V. & M. de præcepto, quia eſt Patrona in Montefaliſco.
25 S. Jacobi Apoſtoli.
26 S. Annæ Matris B. M. Virginis.

AUGUSTUS.

8 S. Secundiani de præcepto Corneti, quia eſt Patronus.
10 S. Laurentii Martyris.
15 Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis.
25 S. Bartholomæi Apoſtoli.

SEPTEMBER.

8 Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis.
21 S. Matthæi Apoſtoli, & Evangeliſtæ.
29 Dedicationis S. Michaelis Archangeli.

OCTOBER.

28 SS. Simonis, & Judæ Apoſtolorum.

NOVEMBER.

1 Omnium Sanctorum.
30 S. Andreæ Apoſtoli.

DE-

DECEMBER.

8 Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis.
21 S. Thomæ Apoſtoli.
25 Nativitatis Domini Noſtri Jeſu Chriſti.
26 S. Stephani Protomartyris.
27 S. Joannis Apoſtoli, & Evangeliſtæ.
28 SS. Innocentium.
31 S. Sylveſtri Papæ.

Dominicæ omnes per Annum.
Paſchatis Reſurrectionis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, cum duobus ſequentibus diebus.
Aſcenſionis ejuſdem.
Pentecoſtes cum duobus ſequentibus diebus.
Sanctiſſimæ Trinitatis.
Corporis Chriſti.

LIBER

Digitized by Google

LIBER SECUNDUS

CAPUT I.

De Sacramentis.

DEus, cujus natura bonitas, cujus voluntas potentia, cujus opus miſericordia eſt, omnipotentiæ, ſapientiæ, ac bonitatis ſuę Theſauros in Sacramentis explicavit: & quia nihil in laudem ſuam molitur, quod in noſtrum non conferat beneficium: non minus vergit in gloriam Dei Sacramentorum inſtitutio, quàm in noſtram cedat utilitatem. Purpura Regis cincta Canalibus, Sacramentis nimirùm, per quæ Divinarum gratiarum fluenta ex perenni incarnatii Verbi fonte derivamus, & verè aquam ſalutis haurimus de fontibus Salvatoris. Per hæc omnis noſtra juſtitia, aut incipit, aut cœpta augetur, aut amiſſa reparatur. Hæc divinæ miſericordiæ ſunt pignora, noſtræ ſunt ſalutis inſtrumenta, quibus numero pauciſſimis, obſervatione facillimis, ſignificatione, & effectu præſtantiſſimis ſocietatem novi populi colligavit. Ut igitur ritè ſuſcipiantur, & tractentur.

S. Leo ſerm. 2. de Nativ.

Cant. 7. ver. 1.

Iſajæ 12. ver. 3.

Conc. Trid. ſeſs. 7. in Proem.

D. Auguſt. lib. 19. cont. Fauſt. cap. 13.

E Ne-

I. Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat eſt aliquid, ſed qui incrementum dat, eſt Deus, ut etiam per malos Miniſtros bona conferri poſſint Sacramenta; nec Virtus, quàm à Chriſto, non à meritis hominum conſequuntur, adminiſtrantis iniquitate evacuatur, aut impeditur. At quia obſunt indignè tractantibus, quamvis proſint per eos dignè ſumentibus, caveant Sacerdotes ne lethalis culpæ conſcii, dum cæteris pharmaca porrigunt, ſibi propinent venenum. Divina, & ſancta miniſtrantes, aut conficientes Sacramenta ſancti ſint, quia ſancta ſunt, quæ tractant; ita vivant, ut omni temporis momento caſtè, & religiosè ſua obire poſſint miniſteria: ita ſeipſos excutiant, & probent antequam ad diſpenſanda, vel conficienda Sacramenta accedant, ut ubi ſe lethalibus flagitiis ſentiunt implicatos, ſi temporis, & loci ratio ferat, & copia ſuppetat Confeſſoris, quantumvis ſibi contriti videantur, quærant in Sacramento Confeſſionis abſolutionem. Urgente verò neceſſitate, & muneris ſui ratione, iis in anguſtiis, ſi deſit copia Confeſſarii, per interiorem animi contritionem, & pœnitentiam cum Deo in gratiam redire procurent, & cum propoſito confitendi quamprimùm, per veram animi deteſtationem conterantur. Oportet eos ſine crimine eſſe ſicut Dei Diſpenſatores.

1. Corinth. 3.
Nicol. I. ad Conſul. Bulgar. cap. 15.
D. Aug. lib. 2. con. ep. Parm. cap. 10.
Conc. Trid. ſeſs. 7. can. 12.
Levit. 19. verſ. 2.
1. Cor. 11. ver. 28.
Act. Eccl. Med. p. 4. de Sacr. admin.
Ex Conc. Trident. ſeſs. 13. cap. 7.
Tit. 1. ver. 7.

II. Egena, & vacua veteris Legis Sacramenta nedum animi, ſed etiam corporis munditiem exigebant: Si igitur miniſtratio mortis fuit in

Galat. 4. verſ. 9.
2. Cor. 3. ver. 7.

in gloria, in quanta potiore majeſtate, & decore eſſe debent vitæ Myſteria, & Sacramenta. Ipſa terrena divini cultus ſupellex non parùm confert ad excitandam, & promovendam populorum pietatem, & devotionem. Sacerdotes igitur in Sacramentorum miniſterio facti ſpectaculum Deo, Angelis, & Hominibus, meminerint providenda ſibi eſſe bona, nedum coram Deo, ſed etiam coram hominibus. Toti ad gravitatem, & modeſtiam ore, inceſſu, oculis compoſiti, veſte talari, ſuperpelliceo, & ſtolâ congrui coloris induti accedant ad illa diſpenſanda. Ipſa exterior conſtitutio interiorem munditiem loquatur, & prodat, quoniam mundâ conſcientiâ, & mundis, ac honeſtis veſtibus præcipimur tractare Domini Sacramenta. Niteant cuncta, quæ huic deſtinata ſunt muneri, & exteriorem cultum complectuntur. Nitida, & munda ſint vaſa, mundæ ſint ſupellectiles. Quò magis eorum dignitati conſultum ſit, niſi neceſſitas aliud cogat, ſemper in Eccleſia, unâ exceptâ extremâ Unctione, diſpenſentur. In decore item ſancto adoretur à Fidelibus Deus, & Dei percipiantur Sacramenta, quare in ipſis quoque ſuſcipientibus habitus, & exterior compoſitio ad modeſtiæ, & religionis leges exigantur. Viri ponant arma: quoad mulieres Scriptura leges condit, natura conteſtatur, diſciplina exigit, ut velatæ prodeant, tum propter Myſteriorum reverentiam, tum propter ſecuritatem Miniſtrorum, quos nomine Angelorum intelligit Apoſtolus.

1. Cor. 4. ver. 9.

2. Cor. 8. ver. 21.

S. Hieron. in cap. 44. Ezech. Can. Veſtimenta de Conſecr. diſt. 1.

Can. Non oportet de Conſecr. diſt. 1.

Tertull. lib. de cult. Fœm.

1. Cor. 11. ver. 4.

O III. Ma-

Pſal. 131. ver. 9.

Can. Quando diſt. 38.

III. Maxima in diſpenſandis Sacramentis enituit Patrum noſtrorum circumſpectio, & diſciplinâ induant Sacerdotes juſtitiam, ſed ne per ignorantiam quoque offendant, noverint ſibi neceſſariam eſſe ſcientiam, non ſolum earum rerum, quæ ad Sacramenti ſubſtantiam pertinent, verùm etiam rituum, & ceremoniarum, quarum uſus, Apoſtolicâ diſciplinâ, & traditione inductus, religioſiſſimè ſervandus eſt. Legitimâ utantur materiâ, & formâ, nec unquam certis incerta præponant, aut receptis Eccleſiæ ritibus novos pro libito temerè ſubſtituant; habeant idcircò præ oculis, & præ manibus Rituale Romanum, ut ritè, & rectè ſuum obeant miniſterium: nil mutent, nil addant, nil detrahant: ſive per imprudentiam, ſive de induſtria contingat, id non vacat culpâ, quoniam inſcitia nec excuſatione digna eſt, nec veniâ in illis, quibus datum eſt noſſe myſterium Regni Dei. Quoniam verò adminiſtratio Sacramentorum, ut valeant, non temerè, joco, & perfunctoriè, ſed feriò, certoque judicio exercenda eſt; ad ea, quæ peragunt ſolicitè attendant, & quantùm fieri poteſt, mente, & voluntate occupati, præſenti animo cogitent, quæ faciunt, & loquuntur, ut in illis ſemper ſit verè, & propriè dicta intentio faciendi, quod facit Eccleſia. Supplices in timore Domini, ſacrum hoc munus aggreſſuri, brevi ſaltem oratione poſtulent innovationem ſpiritûs, eamque intentionem concipiant, quæ, ſi ex humana infirmitate in progreſſu mens alio diverteret, & diſtra-

Conc. Trid. ſeſſ. 7. can. 13.

Can. Si in Laicis ead. diſt.

Luc. 8. ver. 10.

Conc. Trid. ſeſſ. 7. can. 11. Eugen. IV. in Decr. Fid.

diſtraheretur, per notabilem moram non interrupta, nec per contrarium propoſitum revocata, ad perficiendum inchoatum opus, adhuc in virtute perſeverare cenſeatur.

D. Thom. 3. par. q. 64. art. 8.

IV. Conſtituit eos Dominus ſuper familiam ſuam, ut dent illi cibum in tempore: quare magno, & religioſo conatu, & zelo in proximorum ſalutem incumbentes, quocumque tempore, diu noctuque accerſiti, alacri animo, & hilari vultu ad animarum ſubſidium accurrant: intempeſtivè vocati non mœreant, aut querantur, multò minùs cunctentur, & moras ducant: neminem faſtidiant, verùm abſque ullâ perſonarum acceptione ſinceræ, & indefeſſæ charitatis officia præſtent pauperibus, rudibus, imbecillis: parati impendi, & ſuperimpendi pro fratribus, nec parcant labori, nec incommoda, & moleſtias averſentur; refugit enim res inſtituti, & ratio ſacerdotalis vocationis, ut quis appetat dignitatem, & profectum, dein vitet laborem. Nemo tamen audeat extra neceſſitatem in aliena Parœcia Sacramenta miniſtrare. Regulares ſine ſpeciali licentia Parochi adminiſtrantes Sacramenta Matrimonii, Viatici, & Extremæ Unctionis incidunt in Excommunicationem latæ ſententiæ Sedi Apoſtolicæ reſervatam. Claves locorum, in quibus Sacramenta, & Sacramentalia ſervantur, ejus ſint operis, quod facilè vitiari non poſſit, & à Parocho tuto in loco cuſtodiantur.

Matth. 24. verſ. 45

Coloſſ. 3. ver. 25.

2. Cor. 12. ver. 15.

S. Proſp. de Vit. Contempl. cap. 21.

Trident. ſeſſ. 24. de Reformat. cap. 13. Clem. 1. de Privil. Greg. XV. In Conſt. Inſcrutabilis.

V. Primis ipſis temporibus, quando pau-

Tertull. in Apolog. Conc. Illiber. can. 48.

Cap. Cum in Eccleſiæ. De Simonia.

D. Ambroſ. lib. 4. cap. 4. in Lucam.

Matth. 10. ver. 8.

Iſaiæ 55. ver. 1. Apocal. 21. ver. 6.

Cap. Cum in Eccl. ſup. cit.

Can. Reperiuntur & ſeq. 1. q. 1. Integ. Tit. de Simon. Paul. II. in Extrav. Cum deteſtabile &c. Can. Ad Apoſtolicam hoc tit.

Cap. Antiquam hoc tit.

pertate non exiguâ premebatur Eccleſia, anxiâ curâ omnem ſordidi quæſtus invidiam declinabant Patres, & cavebant, ne voluntariæ oblationes dati Sacramenti pretium cenſerentur. Cum enim in Eccleſiæ corpore omnia debeant ex charitate tractari, & quod gratis receptum eſt, gratis impendi, horribile eſt pretio Dei gratiam taxare. Gratis acceperunt; gratis igitur tribuant Sacerdotes Sacramenta: qui ſitit veniat, & qui vult accipiat aquam vitæ, abſque argento, & abſque ulla commutatione: amoturi omnem ſimoniæ, & turpis lucri ſuſpicionem nihil omninò exigant, vel petant ſub quovis titulo, & prætextu, directè, vel indirectè ob Sacramentorum diſpenſationem, ne, aut paupertate deterriti, aut indignatione revocati redemptionis ſuæ cauſas adire deſpiciant Fideles: alioquin portionem habebunt cum Giezi, cujus factum exactione impii muneris imitantur, & graviſſimis illis pœnis, quæ ſunt à jure indictæ, aliiſque noſtro arbitrio infligendis, ſubjacebunt. Quia verò improbas exactiones fieri vetamus, at pias conſuetudines ſervari volumus; ſi pro eo, qui in adminiſtrando Sacramento ſuſcipitur, labore, ſpontè, & liberè citra pactum, & conventionem, titulo Eleemoſynæ, de laudabili approbata conſuetudine aliquid offeratur, id ſolum peracto Sacramento, modeſtè recipi indulgemus: nunquam tamen hoc permittimus occaſione Sacramenti Pœnitentiæ, cujus intuitu ſpontaneas etiam oblationes vetamus, ut lacrymis, non auro demereri

diſcant.

diſcant verè pœnitentes animum Sacerdotis. In excelſis habitat, & loquitur veritatem, qui manum à munere excutit: at contrà perit, aut minuitur in monendo libertas, & in corripiendo auctoritas, quæ donis deliniri poſſe comprehenditur. Iſaiæ 33. ver. 15.

VI. Ut homines juxta propriam conditionem inſtruerentur, & juvarentur in exteriore, & ſenſibili ſigno inſtituta ſunt Sacramenta: hinc fidelis populus majore cum reverentia, & devotione ad ea ſuſcipienda accedet, & uberiores fructus colliget, ſi eorum inſtitutionem, dignitatem, vim, uſum, & præcipuas rituum ſignificationes intelligat; Propterea Parochi hæc omnia datâ occaſione explanent, & in fidelium mentibus altè imprimi curent Sacramentorum venerationem, nec non in animis excitari curent ardens deſiderium. Cum eo fine divinitùs ſint inſtituta, ut gratiam non modò ſignificent, verùm etiam conferant, aut collatam augeant, modò non ponatur obex, quo effectus hujuſmodi impeditur, doceant diſpoſitiones illas, quæ neceſſariæ ſunt, ne ſuſcipientis culpâ, ſuo deſtituantur effectu.

S. Joann. Chriſoſt. hom. 83. in Matth.

Conc. Trid. ſeſſ. 24 cap. 7. de Ref.

Conc. Trid. ſeſſ. 7 Can. 6. & ſeq.

CA-

CAPUT II.

De Baptiſmo.

S. Paulin. ep. 12. Epheſ. 5. ver. 26. Tit. 3. ver. 5. S. Leo de Nativ. ſer. 4. & 5. S. Damaſcenus lib. 4 Orthod. Fid. cap. 10. Roman. 6. ver. 4.

MAritantur velut cum Spiritu aquæ illæ, quibus verbo vitæ in Lavacro Baptiſmatis regeneramur. Omni homini renaſcenti aqua Baptiſmatis inſtar eſt Uteri Virginalis, eodem Spiritu Sancto replente fontem, qui replevit, & Virginem, dedit aquæ, quod dedit Matri; Virtus enim Altiſſimi, & obumbratio Spiritûs Sancti, quæ fecit, ut Maria pareret Salvatorem, eadem facit, ut regeneret unda credentem. Renaſcitur Chriſtianus, ut natus eſt Chriſtus, cujus nedum nativitatem, ſed ſepulturam quoque, & beatam reſurrectionem imitatur Baptiſma. Quicumque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipſius baptizati ſumus: conſepulti enim ſumus cum illo per Baptiſmum in morte: ſi mortui ſumus cum Chriſto, credimus, quia ſimul etiam vivemus cum Chriſto; ipſique inſerti per ſimilitudinem mortis ejus, participes quoque erimus reſurrectionis. Altiſſima igitur habenda eſt ratio ejus divini Lavacri, unde ex Spiritu Sancto nati ſumus ad vitam, cum Chriſto ſepulti ſumus ad beatam reſurrectionem.

Rom. 5. ver. 12. S. Auguſt. de Nupt. cap. 34.

I. Omnes in Adam peccavimus, & natura non tantum facta eſt peccatrix, ſed etiam generat peccatores: Ut in diebus Noe eæ ſalvæ factæ ſunt ani-

animæ per aquam, quas Arca excepit, & ſervavit; ita communis culpæ eluvies eos tantum non perdit, quos nunc ſimilis formæ ſalvos facit Baptiſma, & citra martyrium rejectæ à beato Dei conſpectu æternùm perituræ ſunt animæ infantium, quibus ſacra Unda non ſubvenit. Cum igitur tam grande illis imminens periculum moras non patiatur, primo quoque tempore recentes ab utero Matris ad Eccleſiam deportentur initiandi Baptiſmo. Parochi verò graviter invehantur in Parentes, qui propter Patrinos,quos expectant, aut alia ſemper inani de cauſa, Natos ſuos iræ filios, Deo exoſos in tenebris, & umbra mortis diù jacere permittunt. Vexet ſolicita cura ne in tam ancipiti eventu, propter imbecillitatem naturæ, improviſa mors ſalutis beneficium eripiat: ipſique Parochi ad baptizandum vocati, citra ullam dilationem,accurrant, ne ex mora creetur periculum. Si ſuperſederint præſtare, quod poterant, & ex eorum negligentia, vel culpa ſine Baptiſmo perire contingat Infantem, Rei perditi hominis, præter lethale flagitium, cui ſe implicant, quacumque excuſatione non obſtante, deponentur, aliaſque nobis, pro modo contumaciæ, vel incuriæ dabunt graviſſimas pœnas. Ad nos item deferant iniquos eos Parentes, qui ſine noſtra licentia ultra tertium ab ortu diem,ad Eccleſiam in Chriſto regenerandos deferre negligunt filios; ut opportunis remediis, etiam interdicto, ſi opus fuerit, rem tanti momenti urgere poſſimus.

1. Petr. 3. ver 20.

S. Cypr. ep. 18. S. Aug. lib. de Pecc. mer. & rem. cap. 30. & 31. Orig. hom. 8. in Levit. Conc. Trid. ſeſs. 5. can. 2. & 4.

Concil. Mediol. I. par. 2. de Bapt.

Tertull. de Baptiſm. cap. 17.

Can. Quicumque Presbyter de Conſ. diſt. 4.

II. Spi-

II. Spiritualis regeneratio fieri non debet in privatis domibus, aut ab alieno Sacerdote, ſed à proprio Parocho, & in ipſa Parochiali Eccleſia, huic ſacro uſui deſtinata, quæ nos veluti Mater in novam parit infantiam. Æquum item eſt, ut hoc Sacramentum illuminationis, & claritatis interdiu, niſi ſecus fieri cogat neceſſitas, celebretur. Trium aureorum pœnam indicimus illi, qui ſive ſimplex Sacerdos fuerit, ſive Parochus in privatis ædibus extra Eccleſiam, ſecluſâ neceſſitate, baptizaverit. Qui verò ex neceſſitate, & in vitæ diſcrimine domi Baptiſmum accepit, ſi convaleſcat, ad Eccleſiam adducatur, ut ſuppleantur omiſſæ ceremoniæ. Quia Deus vult omnes homines ſalvos fieri, quæ ad ſalutem ſunt omninò neceſſaria, omnibus eſſe voluit obvia, & parata; hinc ubi mors ſatis certò timetur, Baptiſmus Dei cenſus ab omnibus exerceri poteſt, & omnis homo, quicumque is ſit, ſive Mulier, ſive Vir, Clericus, ſive Laicus periclitanti dare poteſt Baptiſmum, qui valeat, & liceat. Ut autem cuncta fiant ex ordine, etiam inter illas anguſtias minus dignus digniori cedat, & Vir Mulieri, Laico Clericus præferatur, niſi fortè Perſona minus digna, ſive Vir, ſive Fœmina eſſet expeditior, & melius calleret formam, & modum baptizandi, aut is eſſet caſus, in quo, niſi Mulier baptizaret, pudori parturientis non eſſet ſatis conſultum. Parentes infantis extraneis deficientibus, & urgente neceſſitate in pro-

Clemènt. Unic. de Baptiſm.

Clemens Alex. Pædag. lib. 1. c. 6. S. Gregor. Nazianz. Orat. 40. in S. Lum.

1. Tim. 2. verſ. 4.

Tertull. de Bapt. cap. 17.

Conc. Illiber. can. 38 Can. In Neceſſitate. Can. Sanctum. Can. Conſtat de Conſecr. diſt. 4. Can. Super quibus 30. q. 3.

D. Thom. quæſt. 64. art. 4.

Digitized by Google

probabili mortis periculo ſi propriam ſobolem lavent ſacri undâ Baptiſmatis, nullam contrahunt ſpiritualem affinitatem, quæ Matrimonii uſum prohibeat. Can. Ad limina 30. quæſt. 1.

III. Per aquam ſalvos nos fieri voluit Deus, 1. Petr. 3. ver. 20. qui maximè neceſſario Sacramento hanc commodè parabilem materiam deſtinavit. Tolle aquam, D. Auguſt. tract. 15. in Jo. non eſt Baptiſmus; quare nullus, quantumvis ſupremæ neceſſitatis, caſus ſubſtituere ſinit in vicem materiæ alium liquorem, qui naturâ, & ſpecie certò differat ab aqua vera, & naturali. Religio erga Sacramentum, Charitas erga proximum Id. de Baptiſm. con. Donat. lib. 1. cap. 3. hanc legem imponit, ut in negotio Sacramentorum, ſeu juris, ſeu facti, certa incertis præferantur. Quia verò ſalus populi ſuprema lex eſt, procurandæ ſalutis neceſſitas, ſi certa deſit, permittit adhibere materiam incertam, & in dubia aqua tentare Baptiſmum, ne infans, qui timetur moriturus, certam ſubeat damnationem. Deus adeſt verbis ſuis Evangelicis, ſine quibus Baptiſmus Id. cap. 3. Chriſti conſecrari non poteſt: religioſiſſimè igitur ſervetur forma à Chriſto Domino præſcripta, & Matth. 28. verſ. 19. Evangelicis verbis concepta: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Unius Baptiſmatis unus ſit Miniſter, qui abluat, Epheſ. 4. ver. 5. & verba proferat; imò & verba proferat, dum affundit aquam, ut materia, & forma jungantur ſaltem, ut ajunt, moraliter. Hæc omnibus nota eſſe oporteret, quoniam dari poſſunt caſus non infrequentes, in quibus cuilibet incumbit miniſtrare

Baptiſmum; at quoniam in illis neceſſitatis anguſtiis præſto ut plurimùm ſunt Obſtetrices, eæque ſunt, quæ conferunt hoc Sacramentum; nulla Fœmina ſub pœna trium aureorum, & carceris obſtetricandi artem exerceat, niſi à proprio Parocho fuerit examinata, & probata: ipſi verò Parochi quotannis hoc examen inſtituant, & ſi quam errantem deprehendant in eſſentialibus, arceant ab officio ſub pœna arbitraria, interim inſtruant patienter.

Galat. 3. ver. 17. Can. 47. & 49. Apo. Can. Non liceat 107 Can. Rebaptizare 108. & ſeq. Trid. ſeſs. 7. can. 9. & 10. Clemen. Conſtit. lib. 6. cap. 5. D. Ambroſ. lib. 2. de pœnit. cap. 2. Can. Qui his diſt. 4. de Conſecrat. Can. Eos 16.

IV. Quotquot in Chriſto baptizati ſumus Chriſtum induimus: ſemel natus, ſemel mortuus eſt Chriſtus, ſive igitur nativitatem, ſive mortem illius exprimat Baptiſma, per quod Infans peccatis moritur, juſtitiæ renaſcitur, & vivit, ſemel ritè collatum iterari non poteſt; iſque naſcitur ex iterata collatione Sacramenti contemptus, & Sacramentalis rationis violatio, ut irregularitatem inducat, quæ ſuſcipiendis, & exercendis Ordinibus eſt impedimento. Iterationis tamen culpam, & notam non inducit repetitio Baptiſmatis ſub conditione, ubi dubium interceſſerat, quia non monſtratur iteratum, quod neſcitur, aut ambigitur eſſe factum. Infantes igitur, & ut plurimùm Filii iniquitatis, qui expoſiti reperiuntur, ſi ſchedulam non habent Baptiſma teſtantem, ſub conditione baptizentur. Ubi etiam Infans domi baptizatus ad Eccleſiam defertur, ut conſueti ritus ſuppleantur, Parochus diligenter inquirat, an omnia neceſſaria, & ſubſtantialia ritè, & rectè peracta fuerint;

S. Gregor. lib. 12. ep. 31.

fuerint; ſi hæc ſervata fuiſſe comperiat preces tantùm, & conſuetas ceremonias ſuppleat. Repetendum enim non eſt Sacramentum, etiam ſub conditione, niſi præmiſſo diligenti examine, quod legitimam ſuſpicionem moveat, aut nunquam eſſe receptum, aut non ritè eſſe adminiſtratum: leves ſcrupuli abjiciantur, at ſi probabilis dubitatio ſuboriatur, aut quia non ſatis certa adhibita eſt materia, aut non benè prolata forma, aut non integrè ab utero elapſus erat Puer, aut de ſubjecti capacitate prudens emergat dubium, in favorem Infantis inclinet, ac baptizet ſub conditione, nec vereatur illi ſalutis januam aperire, quam nunquam ante ſatis certò docetur ingreſſus. Temeritas non intervenit præſumptionis, ubi eſt diligentia pietatis, imò providere debemus, ne dum ſpeciem quamdam cautionis tenemus, in damnum regenerandarum incidamus Animarum.

Can. Placet. Can. Si nulla. Can. Parvulos de Conſecr. diſt. 4. Cap. De quibus hoc tit.

S. Leo epiſt. 37. ad Neon. & 92. ad Ruſtic. Inq. 15.

Can. Cum itaque de Conſecr. diſt. 4.

V. Ex ipſo Apoſtolorum inſtituto manavit, ut Baptizatis Patrini darentur, & Sponſores, ſub quibus pueri agerent, ſicut ſub divino Patre, & ſalvationis ſancto Suſceptore. Unus tamen tantùm, ſive Vir, ſive Fœmina, vel ad ſummum duo, Vir, & Fœmina adhibeantur, qui Baptizatum de alveo ſacri fontis levent, & illum ſub ſui tutelam, & fidem ſuſcipiant religione; & bonis moribus erudiendum. Ad hoc officium non admittantur Infideles, Excommunicati, qui ex Eccleſiæ præcepto confeſſi non fuerint, aut in Paſchate Sanctiſſimam Euchariſtiam non ſumpſerint,

S. Dionyſ. de Eccl. Hier. cap. 7. Tertull. de Baptiſm cap. 18

Can. Non plures ib. Trident. ſeſs. 24. de Reformat. cap. 2.

Can. In Baptiſmate de Conſecr. diſt. 4.

Digitized by Google

rint, publici Fœneratores, Concubinarii, Ebrioſi, Blaſphemi, & alii improbæ notæ homines, quorum flagitia nullâ tergiverſatione celari poſſunt. Itidem prohibeantur ſtulti, mente imbecilles, muti, qui minores natu ſunt quatuordecim annis, ſacro Chriſmate non confirmati, quive in myſteriis noſtræ Fidei non ſunt per ſe ſatis inſtructi. Monachi, & Religioſi etiam antiquitùs de Sacro Fonte ſuſcipere prohibiti ſunt. Hanc prohibitionem Nos ad ipſos ſeculares Sacerdotes extendimus, quibus ſine noſtra licentia munus Suſceptoris interdicimus. Moneat autem Parochus de contracta ſpirituali cognatione, quæ tamen finitur in ipſis perſonis, à quibus contrahitur, licèt jure veteri in ulteriores gradus produceretur, & de ſuſcepta obligatione, quoniam Deo, & Eccleſiæ ſe Vades dederunt pro Suſcepto, qui eorum curæ committitur in fide, & pietate ſedulò inſtituendus.

Can. Pariſ. lib. 1. cap. 54.

Can. Non licet, & Can. Monachi de Conſ. diſt. 4.

Cap. 2. & ſequent. De Cognat. Spirit. Synod. Nic. can. 21. Rom. ſub Greg. II. can. 4. ſub Zach. can. 1. Conc. Trid. ſupr. cit. Can. 1. & ſeq. 30. q. 1. & q. 4. S. Pius V. in Conſt. Cum illius vicem. Can. Vos ante de Conſecr. diſt. 4.

VI. Ubi Chriſtianæ militiæ datur nomen in Baptiſmo, non tam quærendum eſt, quomodo de nomine à cæteris diſtinguamur, quàm quomodo ſublevemur patrocinio Sanctorum, in quorum tandem veniamus ſocietatem. Non alia igitur imponantur nomina Baptizatis, quàm Sanctorum cum Chriſto regnantium, ut ſacro exemplo provocati, & muniti præſidio, eorum conſortio gaudeant in Cælis, quorum nomina gerunt in Terris, & ipſis appellationibus virtutem exercere moneantur. Statim ac autem nomina Bapti-

S. Jo. Chriſoſtom. hom. 21. in cap. 4. Geneſ.

Baptizatorum ſcribuntur in Cælis, deſcribantur, etiam in Terris à Parochis antequam diſcedant ab Eccleſia, & referantur in conſuetum Librum, iis omnibus ſervatis, quæ in Rituali Romano præſcribuntur. Hujuſmodi Liber ſub clave diligenter ſervetur, & in eo non compendiariis, aut arithmeticis notis, ſed per extenſum dies, annus, menſis collati Baptiſmi adnotentur, unà cum nomine Baptizati, Baptizantis, Parentum, & Patrinorum: ſi ultra diem id diſtulerint arbitrariâ pœnâ pecuniariâ mulctabuntur.

VII. Sacramenti dignitati, & decori non leviter obeſt apud piam plebem, quòd Fons Baptiſmalis, Sacrorum Oleorum vaſa, & alia, quæ huic muneri ſunt deſtinata, informia perſæpè, ſordida, & rudia ſint: facilè enim populi venerantur ut ſacra, quæ mirantur ut pulchra. Mandamus igitur, ut Olea Sacra in vaſis argenteis cum ſuis inſcriptionibus, Sal in ſejuncto vaſe, ad hoc parato, Aqua in Fonte ex marmore, vel alio duro, non fragili aut bibulo lapide, aut ex ære, cuſtodiatur à pulvere, & à ſordibus, ſub pœna unius aurei exigendi à Parochis, quoties ipſi in culpa eſſe deprehendentur, quòd ſordeat, & puteat: indecorum eſt ſordere aquas, quæ præter naturalem emundationem, quam lavandis poſſunt adhibere corporibus, ſunt etiam purificandis mentibus efficaces. Duplicem habeat concham Baptiſterium, quarum una aquæ conſecratæ mundè, & honeſtè cuſtodiendæ inſerviat, altera recipiendæ

S. Bernard. in Apol. de Vit. & Mor. Relig. cap. 12.

Can. Omnis Preſbyter de Conſecr. diſt. 4.

Eccl. in Bened. Font. Baptiſm.

dela-

delapſæ ex capite Baptizati, quæ per foramen in ſubjectum ſacrarium defluat. Cochleare item ad infundendam aquam argenteum ſit. Sacrum Fontem firmiſſimâ ſerâ, muniri diſtrictè jubemus. Aqua, & Olea Sacra ſtatutis temporibus mutentur, & ſi Sal liquefiat novum apponatur. Omnia item adamuſſim ſerventur, quæ in Sacris Viſitationibus decrevimus.

S. Baſil. lib. de Spir. Sanct. cap. 27. S. Cypr. ep. 70. Tertull. de Baptiſm. cap. 19. Can. In Sabbatho de Conſecrat. diſt. 4.

VIII. Ad arcanas Apoſtolicas Traditiones referunt Patres aquæ baptiſmalis benedictionem, quæ in Paſchatis, & Pentecoſtes pervigiliis ſolemni ritu per orationem Sacerdotis, & Chriſmatis admixtionem in Eccleſia Parochiali perficitur. Illi adeſſe volumus Clericos, & Sacerdotes omnes qui de jure, vel conſuetudine adeſſe tenentur. Sacro die Cœnæ Domini Parochus, aut veniat, aut Sacerdotem, nunquam ſimplicem Clericum, citra Noſtram, vel Vicarii Noſtri Generalis licentiam, mittat ad Cathedralem Eccleſiam pro ſacratis novis Oleis recipiendis, in quam rem parata habebit vaſa vacua, munda, bene abſterſa, & clauſa, eaque in capſula clavi munita deferat reverenter, & receptis novis Oleis vetera cum goſſipio comburat, & cineres dejiciat in Sacrarium. Viro Laico nunquam tradentur Olea Sacra, imò qui mittet, qui tradet, qui recipiet gravi pœnâ noſtro arbitrio punietur.

Can. Litteris de Conſ. diſt. 3. & 4. Can. Omni tempore.

Conc. Mediol. IV.

IX. Ad removendum grave, & immane facinus eorum, qui per imprudentiam Infantes ſuffocant, quoniam ne annum quidem natos in lecto,

lecto, abſque ullâ cautione, ſecum detinent; moneant Parochi, quod quæcumque Mulier, ſive Mater ſit, ſive Nutrix detinens ſecum in eodem lecto jacentem, ultra dimidiam horam, tenellum infantem, nondum expleto ætatis anno, in gravi ea culpa eſt, cujus abſolutio Nobis eſt reſervata, & ſi ſuffocaverit, incidit etiam in excommunicationem Nobis item reſervatam. Conſpiciant Genitores Infantes ſuos, non tantum ut Infantes, ſed ut rem Deo ſacram, eòque geminus ipſis inſitus ſit amoris ſtimulus, alter à natura, alter à gratia. Vigilent circumſpectè, tùm Carnales, tùm Spirituales Parentes, ne ſemel eruti per Baptiſmum à poteſtate Tenebrarum, & à reatu æternæ damnationis ſoluti, iterum per peccata incidant in laqueos Diaboli. Ubi adoleſcunt, inita in Baptiſmo pacta revocent in memoriam, ne unquam illis animo excidat ſuæ ſeries cautionis, & diſſolutis moribus vivant, contra quàm ſub Antiſtitis manu conteſtati ſunt, Mundo, & Satanæ renunciantes. Reddant quæ voverunt, alioquin ex ore ſuo judicandi habebunt damnationem, quia datam fidem irritam fecerunt. Beatiſſima Virgo, quamvis à Divino ſuo fœtu non violatam, ſed conſecratam haberet Virginitatem, & nihil corruptionis intulerit Partus ſalutis, quia cuſtodia fuit pudoris editio Veritatis; nihilominùs, ut faceret ſecundùm conſuetudinem legis, de purgationis præcepto, citra debitum, ſolicita, ſe Domino ſtitit in Jeruſalem hoſtiam fidei, & gratiarum actionis in Filio obla-

S. Chryſoſt. hom. 2. de Anna.

S. Ambroſ. de his qui myſt. init. cap. 11. S. Dionyſ. de Eccl. Hier. cap. 2.

Pſal. 75. ver 12. Luc. 19. ver. 29.

1. Tim. 5. ver. 12.

S. Leo ſerm. 1. de Nativ.

Luc. 2. ver. 22.

oblatura ; ſuoque exemplo illi præivit mori, quem ex vetere laudabili diſciplina, & piâ majorum noſtrorum inſtitutione acceptum probamus, & commendamus: ut ſcilicet Mulieres partu functæ, antequam Eccleſiam ingrediantur, pro ſuſcepta prole gratias acturæ ad oſtium Eccleſiæ conſiſtant, ut accipiant benedictionem, quæ tamen nonniſi ad Eccleſiam erit impertienda.

CAPUT III.

De Confirmatione.

EO tendunt Natura ſimul, & Gratia, ut omnis, qui naſcitur, idem adoleſcat, & ad perfectam ætatem perveniat: inchoata in nobis per Baptiſmum vita ubere Spiritûs Sancti effuſione perficitur, ut illam in Confirmatione abundantiùs habeamus: ibi inchoatio eſt muneris, hìc adjectio largitatis, quando oleo lætitiæ, & Chriſmate ſalutis perfundimur, & inauguramur facti conſortes Chriſti, qui non ſolum nominis ſui participes nos eſſe voluit, ſed & unctionis. Caro ungitur, ut anima conſecretur, caro ſignatur, ut & anima muniatur: ille Spiritus, qui in baptiſmate gratiam tribuit ad innocentiam, in Confirmatione augmentum præſtat ad pugnam; confirmamur ad pugnam, qui geniti eramus ad vitam, & induti virtute ex alto in oſtenſione Spiritûs, & Veritatis adverſus carnem, & ſanguinem, & contrà ſpiritualia

Jo.10. ver.10.
Pſal.44. ver.8.
Cyrill Hieroſcat.3.
S.Cypr. de Unct. Chriſm.
Tert. de Reſ. cap.8.
Hil. Arel. Hom. de Pen.
Luc.24. ver.49.
1.Cor.2.ver.4.

tualia nequitiæ eam luctam aggredimur, quam nobis enixè commendat Apoſtolus. Eph.6. ver.12.

I. Convenit propterea noſſe Fideles, quanta Chariſmatum dona nobis tribuantur, ubi in hac unctione miſericordiæ Charitas Dei diffunditur in Rom.5. ver.5. cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui cum Can. Noviſſimè de plenitudine ſanctitatis, & juſtitiæ, & virtutis in Conſecr. diſt.5. hominem venit. Ne ex turpi ignorantia contemnatur nefariè, aut ſuſcipiatur indignè; ubi tempus hujus Sacramenti adminiſtrandi per noſtrum Edi- Append. num. IX. ctum reſciverint Parochi effectus, neceſſitatem, dignitatem hujus Sacramenti, nec non rituum myſteria commiſſo ſibi populo diligenter explanent. Dignitatem ex eo facilè repetent, quòd ab Can. Manus ib. aliis perfici non poteſt, quàm à Summis Sacerdotibus, nec tempore Apoſtolorum ab aliis, quàm ab ipſis Apoſtolis legitur, aut ſcitur eſſe peractum: D. Auguſt. lib 15. quem morem ab Apoſtolica traditione profectum de Trin.cap.26. in ſuis Præpoſitis adhuc ſervat Eccleſia, idque D.Thom. 3.p.q.72. congruè ad naturam myſterii, ut perfectionis Sa- art. 11. cramentum, non quemlibet promiſcuè Sacerdotem, ſed Epiſcopum haberet ex ordine miniſtrum. Omnes Fideles per manùs impoſitionem Epiſco- Can. Omnes ib. porum Spiritum Sanctum poſt Baptiſmum accipere debent, ut pleni Chriſtiani inveniantur: urgeant igitur potenti adhortatione deſides, oſtendantque, quod, cùm ſuſcipiendæ Confirmatio- Conc Illiber.can.38. nis ex Eccleſiaſtico, & Divino præcepto initet Laodic. can.48. obligatio, ubi commoda, & opportuna ſeſe offert occaſio, citra gravem culpam præteriri non

poteſt: nec ſatis ſibi conſuluiſſe cenſetur, qui inſerto infirmitatis vitio natus, & quaſi ſecum hoſtem deducens, contra Dæmonis incurſus præſens tanti Sacramenti præſidium reſpuit; ne tentationi, vel conſentiat deceptus, vel cedat afflictus.

S. Greg. lib. 8. Mor. cap. 3.
S. Auguſt. ep. 121. ad Prob.

II. Uberes item declarent effectus, ac eximiam illam gratiam, quam de plenitudine Chriſti accipimus, ut quod in Baptiſmate inchoatum eſt cumulatè perficiatur, & conſummetur, & Sancti Chriſmatis participes facti, veram Chriſtiani nominis amplitudinem aſſequamur. Augumentum item illud, & robur explicent, quo ad ſuſtinendos hoſtium impetus munimur, ita ut per effuſam in nos divinorum munerum largitatem pares efficiamur, & idonei ad reportandam de Nobis, de Mundi Principe Diabolo victoriam. Regio charactere, & Dominico ſigillo in Confirmatione Fideles obſignari doceant, quo fit, ut citra ſacrilegium iterari non poſſit, ubi ſemel ritè collatum eſt, Sacramentum perpetuum, & fixum animæ inſerens characterem, qui exui, & deleri non poteſt: Hortentur, ne Crucem erubeſcant: quoniam non ſine cauſa ſignum ſuum in fronte infigi voluit Dominus, tamquam in ſede pudoris, ne opprobria Chriſtianus erubeſceret. Sed illud in primis moneant, Filios ſic inſtituant Parentes, ut dignè ędificentur in habitaculum Dei, & ſolicito ſtudio ſatagant, ut in eorum animas nedum intret, ſed etiam requieſcat, & perpetuùm maneat Spiritus Sanctus, qui Spiritus eſt ſapientiæ, & intellectus, conſilii, & fortitudinis,

S. Cyrill. Catech. Myſtag. 3.
Can. Spiritus Sanct. de Conf. diſt. 5.
S. Auguſt. ſerm. de Cataclyſ. cap. 1.
S. Cypr. ep. 73.
Can. Dictum eſt, & ſeq. de Conf. diſt. 1.
S. Auguſt. in Pſal. 30
Epheſ. 2. ver. 22.
Jo. 14. ver. 16.
Iſaiæ 11. ver. 2.

tudinis, ſcientiæ, & pietatis. Ex prava enim puerorum inſtitutione fit, quòd vix in eorum cordibus Spiritus Sanctus habeat aditum, aut quòd vix receptus aufugiat, quia peccatis contaminatum averſatur hoſpitium: idque non ſine gravi Spiritûs Sancti injuria, & Animarum diſpendio contingat, cum eo expulſo ſeptem irruant pravi Spiritus Carnis, & Mundi vacuam relictam ſedem invadentes, & occupantes; fiantque noviſſima hominis pejora prioribus. *Matth. 12. verſ. 45.*

III. Nulla ætas ſuſcipiendo huic Sacramento aut nimis matura, aut nimis adulta eſt: priſcis temporibus ſtatim à Baptiſmo, etiam Infantibus recens natis, conferebatur: at poſterioribus ſeculis Eccleſia rationis uſum cenſuit expectandum, ut caveretur iteratio, & majori cum reverentia, & devotione ſuſceptum, majoris meriti eſſet origo in illis, qui proprio ore fidem profitentur. Soliciti tamen ſint, quorum maximè intereſt, ne in multam ætatem differatur. Pueri ab ipſis teneris annis periclitari incipiunt, & ſenſus, & cogitatio humani cordis prona ſunt in malum ab Adoleſcentia ſua, quarè tempeſtivè muniri debent adversùs Spiritum Mundi, qui ſatis maturè mentem Filiorum occupat. Non conferatur igitur niſi poſt ſex annos expletos, nec ultra duodecimum annum protrahatur, & Puerorum inſtructioni omni curâ, & ſtudio proſpiciant Parochi, ut in hac ætate ii ſint, quibus tutò conferri poſſit. Conc. Laodic. can. 48. Catech. Conc. Trid. De Sacr. Confir. Gen. 8. ver. 21.

IV. Ad Sacramentum enim Confirmationis non admittemus niſi illos, qui allato teſtimonio ſe idoneos probaverint. In hanc rem probatos Sacerdotes deſtinabimus, qui eos de myſteriis Fidei, cæteriſque Chriſtianæ vitæ officiis interrogent. Hi cuilibet Confirmando, quem poſt examen idoneum judicaverint, tradent ſchedulam typis impreſſam, & ſecum deferendam, ubi ad Confirmationem accedent, in qua nomen, & Parochiam ejuſdem, itemque nomina, & cognomina Patris, & Matris, & Patrini, ſeu Matrinæ deſcribitur, juxta formam, quæ habetur in Appendice num. IX. Excluſos ab hoc Sacramento volumus notoriè probroſos, publicos Peccatores, Excommunicatos, Interdictos, Amentes, Infideles. Hoc ritè tenere debemus, quod traditum ſemper in Eccleſia accepimus, ut quoties de aliquorum Confirmatione dubitatio oritur, & nec ſcriptis, nec teſtibus ratio certa habetur, utrum confirmati ſint, tales confirmentur ſaltem ſub conditione, ne dubitatio ruina fidelibus fiat: nihilominùs qui de ſuſcepta Confirmatione ambigeret, nec per ſcripta, vel teſtes certus fieri poſſet, non ſtatim temerè ad illam irruat, ſed Nos, vel Vicarium noſtrum Generalem conſulat, ut dubii conditione benè perpensâ, quid facto opus ſit, ſtatuamus. Curabunt item Parentes, & Parochi, ut Confirmandi, ii præcipuè qui provectioris ſunt ætatis, parent viam Domino, & rectas faciant ſemitas ejus: præmittant de peccatis Sacramentalem Confeſſionem, &

S. Greg. lib. 12. ep. 31.

Matth. 3. ver. 3. Can. Ut Jejuni de Conſ. diſt. 5.

& confeſſi eo cum pietatis ardore, & devotione, quam ætas patitur, accedant, ut dum caro ungitur, Anima conſecretur, & Oleum Dei caput Peccatoris non impinguet. Vitam gratiæ habeat neceſſe eſt, qui hujus Sacramenti beneficio amat creſcere, & augeri. Spiritus Sanctus verò diſciplinæ effugit fictum, & in animam malevolam, & ſibi conſciam lethalis culpæ non intrat illius gratia; imo novo flagitio mancipatur ad mortem, unde erat perficiendus ad vitam.

Tertull. de Reſurr. Car. cap. 8.

Sap. 1. ver. 4.

V. Sacramentum Chriſmatis, quod in genere viſibilium ſignorum Sacroſanctum eſt, & præſtantiſſimum, ſuam, vel in exteriore adminiſtrationis ſpecie, dignitatem habeat, & majeſtatem. In Eccleſiis igitur, in quibus ſacra Chriſmandi actio peragenda erit, præſto ſint omnia neceſſaria cum munditie, nitore, & cultu. Parentur ſcamna, in quibus Confirmandi devotè flectant genua, manibus ante pectus junctis, & orantes. Mulieres tum Confirmandas, tum Matrinas in habitu ornato accedere non averſamur, dummodò, juxta Apoſtoli conſilium, id cum verecundia fiat, & ſobrietate; alioquin rejicientur, ſi is erit cultus, qui chriſtianam modeſtiam non deceat. Mares à Fœminis ſint ſegregati. Frontem habeant honeſtè apertam, & explicatam, nec incompoſitis capillis obductam, nec ſordibus conſperſam: poſtquam Sacro Chriſmate fuerit delibuta, goſyppio à Sacerdote abſtergatur, & vittâ albâ nitidâ obligetur, comburatur dein goſyppium

S. Auguſt. lib. 3. c. 2. Donat. cap. 3.

1. Tim. 2. ver. 9.

pium, & cineres in ſacrarium recondantur: vitta non deponatur, niſi poſtquam exſiccatum perfectè fuerit, quidquid reliqui eſſe poterat in fronte ſacri Chriſmatis. Colligantur ſolerter ſchedulæ ſupra memoratæ, & diligenter inſpiciantur à Parocho, quantocitiùs in librum ſimilem libro Baptizatorum tranſcribendæ, addito etiam nomine Epiſcopi Confirmantis, cum die, menſe, & anno, juxta formulam Ritualis: graviſſimas alioquin pœnas à negligentibus repetemus. Nullus ab Eccleſia diſcedat, niſi expletâ functione, & Præſulis benedictione acceptâ. Moneantur inſuper adſtantes, ne riſu, effuſis verbis, ſtrepitu ſacræ incommodent Actioni, ſed religiosè inſtantes Orationi Sanctos Apoſtolos imitentur, qui à converſatione, & tumultu ſubducti, ubi imminebat Adventus Spiritûs Sancti, perſeverantes erant in Oratione Dei, donec induerentur virtute ex alto. Ille enim idem Spiritus, qui viſibili externâ ſpecie deſcendit in Apoſtolos, pleno lumine veritatis, ac ubere copiâ charitatis in Confirmatos latente illabitur operatione: Ea tempori opportuna facta ſunt ſigna, ut quæ ſemel facta viſibiliter ſcimus, fidei ardore credita, & ſuſcepta retineamus.

Actor. 1.

Luc. 24. ver. 49.

S. Auguſt. tract. 6. In ep. 1. Jo. S. Chryſ. hom. 18. in Matth.

VI. Non eligantur promiſcuè, & ſine delectu quicumque homines in Patrinum, ſed ii tantùm adhibeantur, qui ſuſcepti muneris partes implere, & potiùs animæ conſulere valent, quàm inopiæ ſubvenire. Eos omnes ab hoc officio in

Sacra-

Sacramento Confirmationis excludimus, quos ſupra in Baptiſmo arcendos eſſe mandavimus. Nec Parentes Filiis, nec Uxor Marito, aut Maritus Uxori hoc præſtet officium. Patrinus Confirmationis, ſi fieri poteſt, alius ſit à Suſceptore in Baptiſmo. Patrini munus obire vetantur, qui non ſunt ipſi Confirmati; imo grandiores natu eſſe oporteret, niſi Confirmandus provectæ admodum eſſet ætatis: eo die, quo quis confirmatus eſt, alios non offerat confirmandos. Mares à ſolis Maribus, Fœminæ à ſolis Fœminis ſuſcipiantur; nec ulli liceat plures, quam duos Nobis tingendos ſiſtere, niſi per expreſſam noſtram facultatem illi aliud eſſet indultum. Dexteram ponant ſuper dexterum humerum ſuſcepti, & iterum moneantur de ea ſpirituali cognatione, quæ hîc quoque, uti in Baptiſmo, contrahitur, necnon de ſuſcepta obligatione erudiendi Alumnos ſuos. Ne Spiritus Sanctus unquam auferatur ab eis, hanc ſibi impoſitam ſciant eſſe neceſſitatem, ut Deum Cæli timere, & abſtinere ab omni peccato, ponere in illo ſpem ſuam, non oblviſci operum, & mandata ejus exquirere doceant. Sedulò curent, ne ulla delicti caries ſacram Unctionem corrumpat, & ſemel oleo lætitiæ, & exultationis delibuti, nunquam per peccata contriſtent Spiritum Sanctum, in quo ſignati ſunt. Signavit eos Deus Pater, confirmavit Chriſtus Dominus, & dedit pignus Spiritus in corde eorum: ſervent, quod acceperunt.

Lib. 2. cap. 1. n. 7.
Can. In Catechiſmo & ſeq. de Conſecr. diſt. 4.
Acta Eccl. Mediol. In Inſtruct. Confir. Cap. de Patrinis.
Tobiæ 1. verſ. 10.
Pſalm. 77. ver. 7.
Pſal. 48. ver 8.
Epheſ. 4. ver. 30.
S. Ambroſ. lib. de initian. cap. 7.

CA-

CAPUT IV.

De Sanctiſſimo Eucharistiæ Sacramento.

Jo.6. ver. 32. Pſal 77. ver. 25. S. Aug. in Pſal. 134.

PAter nobis dat panem de Cælo verum, & panem Angelorum verè manducat homo: non enim aliunde vivit homo, & vivit Angelus; quoniam ille idem Deus, qui ſe beatis Mentibus videndum facie ad faciem exhibet in Cælo; apud nos, ſub involucro ſpecierum panis, & vini, guſtandum, & adorandum præbet in altari. Ipſe eſt panis vivus, qui de Cælo deſcendit, quem, ut manducaret homo, Verbum Caro factum eſt, & habitavit in nobis. Reſpice altitudinem ejus: In principio erat Verbum; en cibum ſempiternum, ſed manducant Angeli; ut menſa illa ad nos perveniret, Verbum Caro factum eſt: vide exinanitionem. Et quia illi non ſufficiebat unum hominem ſuſcepiſſe, iterato veluti, & propagato per Euchariſtiæ inſtitutionem Incarnationis myſterio, nobis in potum, & cibum cedere voluit, ut ſe ſingulis fidelibus commiſceret, & dum fermento veteris malitiæ abjecto, nova Creatura de ipſo Domino inebriatur, & paſcitur, ſuſceptus à Chriſto, Chriſtumque ſuſcipiens homo, idem non ſit, qui antea fuit, ſed corpus regenerati fiat Caro Crucifixi. Ut igitur pro viribus; eâ, quâ poſſumus,

Jo. 11. ver. 52.

S. Aug. in Pſal. 33.

S. Chryſ. hom. 87. in Matth.

S. Leo ſerm. 14. de Paſſion.

mus, ni eâ, quâ debemus, reverentiâ tanti muneris recolamus memoriam, & fruamur beneficio, hæc ſervanda præcipimus.

I. Conſuetudo aſſervandi in Sacrario Sanctam Euchariſtiam, adeò antiqua eſt, ut eam ſeculum etiam Nicæni Concilii agnoverit. Peracto Sacrificio, quod reliquum erat, non inordinatè, & quovis in loco, ſed in Turriculo cuſtodiebatur, vel in aurea, aut argentea Columba, quæ in medio Altaris ſub Crucis titulo ex alto pendebat. Inde invaluit Tabernaculorum uſus, in quibus vile aliquid, & abjectum nefas eſt apparere. Sint igitur in noſtris Eccleſiis decentiſſimè exornata, affabrè elaborata, & quantùm fieri poterit magnificè conſtructa, ſaltem ex ligno, cui ab exteriore parte aurum inducatur, interiores verò panno ſerico albo veſtiantur, & ornentur. Corporalia, quæ in ima planitie ſterni ſolent, ac debent, ſint nitidiſſima in partes omnes benè coæquata, & quolibet ſaltem bimeſtri mutentur. Sub fideli cuſtodia clavibus adhibitis ſacratas Hoſtias collocare, nec non devotè, ac fideliter ſervare convenit, ne poſſit ad illas temeraria, vel profana manus extendi; idcircò ſacræ Ædiculæ oſtiolum muniatur firmiſſimâ ſerâ, & clavi argenteâ, aut ſaltem inauratâ, per Parochum in loco tuto cuſtodiendâ: & gravi ſubjacebit ultioni is, ad quem ſpectat cuſtodia, quoties illud incautè relinquet reſeratum. Cohæreant partes omnes, & expoliantur, excutiatur pulvis, nec minimum quid leviſſimæ etiam maculæ veſtigium appa-

Trident. ſeſſ. 13. c. 6. Juſtin. Apol. 2. Euſeb. lib. 1. Hiſtor. cap. 24. Cypr. lib. de Lapſis. Conc. Turon. can. 3. Gregor. Turon. de Glor. Mart. cap. 86. Amphil. in Vit. Baſilii. Baron. ad ann. 57. num. 152. &c.

Cap. Sanè de Celeb. Miſſar. Cap. Statuimus de Cuſtod. Euchar.

appareat, ſub pœna arbitraria, pro modo incuriæ contra Miniſtros Altaris declaranda. Nihil prorſus ſit in Tabernaculo, aut circa illud quantumvis ſacrum præter Auguſtiſſimum Sacramentum. Ante Sacro-ſanctam Euchariſtiam diù noctùque una ſaltem lampas colluceat illi Deo, qui candor eſt æternæ lucis. Ipſi Arcæ fœderis hoc honoris impenſum eſt, ut in aureo Candelabro lucernas jugiter accenſas haberet: ſi vetus teſtamentum ſuas habuit juſtificationes culturæ, & ſanctum ſeculare; noſtra refert, qui in meliore teſtamento, meliora quoque ſortiti ſumus miniſteria, curare, ut Chriſtus aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum excellentius, & perfectius habeat Tabernaculum, etiam manufactum, quo honorificè conditus adoretur.

Sap.7. ver. 26. Exod. 25. Hebræor.9. ver.1. Ib. cap. 8. ver. 6. Cap.9. ver.11.

II. Parvulâ pyxide includi voluit, qui nec vaſto Cælorum ambitu poteſt contineri: at ubi voluntariè ſe dejicit Deus, quò major eſt Chriſti charitas, eò potior eſſe debet noſtra devotio, & immaniſſimum ſcelŭs eſſet, ut ideò apud nos minus honoris haberet, quia plus amoris impendit. Quare Pyxides conſecratis particulis cuſtodiendis deſtinatas argenteas eſſe decernimus, intrinſecùs auro illitas, cum ſuo operculo, & ſerico ſaltem albi coloris conopeolo contectas. In ſingulis Parochiis duas ſaltem eſſe volumus, quarum minor Euchariſtiæ ad Infirmos deferendæ inſerviat: major ſervet particulas populo communicaturo miniſtrandas, eâ quidem copiâ, ut nunquam deficiant. In hac adminiſtratione ſolicitè, & anxiè caveatur, ne

Eſther 13. ver. 10. Caſſian. de Incarn. lib. 2. cap. 3.

ne conſecrati muneris vel parum quid dilabatur: reos ſe credant, & rectè credant Miniſtri, ſi quid inde per negligentiam decideret. Quamvis autem gloria Filii Dei Sacro-ſanctum ejus Corpus ab omnibus vindicet injuriis, & caſibus, quibus ſacræ ſpecies poſſent eſſe ſubjectæ; nihilominus etiam illarum maxima cura habenda eſt, ne mucore, vel ſitu vitientur, aut ſordeſcant; eaque adhibenda cautio, ne ex diutina reſervatione periculum putredinis creetur. Innovandæ igitur erunt hyemali tempore bis ſaltem in menſe, æſtivo ſingulis hebdomadis ſub pœnis arbitrio noſtro infligendis: dum conſumuntur, caveatur, ne ex nimia quantitate aliquid ſubſit incommodi, quod debita ſacramento reverentia averſetur. Habeant quoque Parochi minorem quamdam Pyxidulam, quâ incluſâ ſerico ſacculo, & ad collum appensâ ad loca magis diſtantia, & aſpera Sacramentum deferre poſſint ad ægrotos. In Parochialibus parata etiam ſit capſa ſepulchralis ſtatis precibus benedicta, ubi Feriâ V. Majoris Hebdomadæ decenter, juxta Eccleſiæ ritum, Corpus Chriſti de more ſervatur.

Tertull. de Coron. Milit. cap. 3. Origen. hom. 13. in Exod. Can. Si per negligentiam de Conſec. diſt. 2.

Can. Qui benè de Conſecr. diſt. 2.

Innoc. IV. Conſt. 14. Sub Catholicæ. Clemens VIII. Conſt. 34 Sanctiſſimus.

Conc. Toletan. XVI can. 6. Can. Tribus gradibus de Conſec. diſt. 2.

III. Primis temporibus frequentiſſimum Communionis uſum habuit Eccleſia, ubi accepto Spiritu Sancto erant Fideles omnes quotidiè perſeverantes in doctrina, & communione fractionis panis. Eccleſiæ confuſionem non levem afferebant, qui Eccleſiam ingreſſi, ut ſcripturas audirent, non permanebant in communione, & hæreſi laborare inde arguebantur, quòd ſæpius omitterent communi-

Actor. 2. ver. 42.

Can. IX. Apoſtolic.

Conc. Antioch. Anno 311. can. 2.

Can. Quotidie de Conſecr. diſt. 2.

municare. Cum pauci dein ad quotidianam communionem percipiendam idonei reperirentur, minus accuratè hic uſus obſervari cœpit, & liberum unicuique tandem fuit, ut pro pietatis modo, modò rariùs, modò frequentiùs ad Euchariſtiam accederet. Dies noſtri mali ſunt, & multùm de primævo fervore charitatis remiſerunt; nihilominus idem ſemper ſpiritus eſt, & eadem Eccleſiæ ſunt vota, quæ hortatur, rogat, & obſecrat per viſcera miſericordiæ omnes, & ſingulos, qui chriſtiano nomine cenſentur, ſic vitam inſtituant, ut panem hunc ſuperſubſtantialem frequenter ſuſcipere poſſint. Parochi igitur, & qui ad munus divinæ prædicationis ſunt adſciti, toto paternæ dilectionis conatu in id ſtudeant, ut quantùm patitur noſtri temporis conditio, Fideles ad primos beatos Eccleſiæ mores ſe componant, eoſque ſe præſtent, qui frequentes adire poſſint ſacram menſam: Si quotidianus eſt panis, quare poſt annum ſumitur? doceant ex conſenſu Sacrarum litterarum, & PP. ſpectato fine, & uſu, propter quem inſtitutum eſt hoc Sacramentum, frequentiorem Communionem rariori præferendam, eâ ſemper exceptione ſuppoſitâ, dummodò ea ſit morum caſtimonia, ea animi devotio, & pietas, quâ dignè poſſint Fideles Deificæ Cœnæ participes fieri. In Parœcias laudabiles eas conſuetudines induci curabunt, de quibus Parochos monet S. Carolus, ut ſcilicet in ſolemnioribus Feſtis frequentiores ſint Communiones; communicent homines, quoties aliqua neceſſitas im-

Trident. ſeſſ. 13. cap. 8.

S. Ambroſ. de Sacrament. lib. 5. cap. 3. & ult.

Decr. Sac. Congreg. Conc. ſub Innoc. XI. de Quotid. Comm. in Append. num. X.

Actor. part. 4. de Sacr. Euch.

impendet longi, ac perieuloſi itineris ſuſcipiendi; cùm res difficilis, & magni momenti aggredienda eſt; ubi quid funeſtum, & inexpectatum contingit, aut adverſum timetur; cùm ſingulare aliquod beneficium à Deo acceptum eſt, in grati animi teſtificationem. Denique inſtante partu firment ſe hoc Sacramento mulieres, & partu functæ gratias Deo acturæ idem præſtent, cùm primùm pedem inferunt in Eccleſiam. Ne autem Paſtorum, & Confeſſariorum, vel incuria, vel moroſitas à frequenti ſacræ Communionis uſu fideles populos retardet, quia obvios non habent, quibus ſua peccata confiteantur; huic labori ultrò ſe impendant, & faciles, & promptos ſe præſtent in ſpiritu charitatis, & lenitatis Sacramentum Pœnitentiæ miniſtraturi petentibus, ut cum frequentatione myſterii creſcat noſtræ ſalutis effectus.

IV. Ad Generale Chriſti Domini præceptum, quo Adultis omnibus Corporis Chriſti perceptio indicitur per ea verba: *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis*, acceſſit ſpeciale præceptum Eccleſiæ, quæ videns, *multiplicatâ Fidelium gente*, ſed *non auctâ lætitiâ*, refrigeſcere, & imminui in dies *charitatem*, quæ primis vigebat ſeculis, & de recipienda Euchariſtia multos parum eſſe ſolicitos, ut deſidiæ occurreret, & tepori mederetur, legem tulit de communione ſuſcipienda. Ea lex ter quotannis Fideles obligabat, donec tandem ad unum Paſchalem diem arctata eſt in Conc. Lat. Imminente autem

Joann. 6. ver. 54.

Iſajæ 9. ver. 3.

Matth. 20. verſ. 12.

Can. Seculares de Conſecr. diſt. 2.

Cap. Omnes utriuſque ſexus, de Pœnit. Trid. ſeſſ. 13. can. 9.

Digitized by Google

autem anniverſariæ Communionis præcepto, de eo ſibi commiſſam Plebem moneat Parochus, & ſæpe doceat illas diſpoſitiones tum corporis, tum animæ, quæ ad ritè communicandum idoneæ ſunt, & neceſſariæ. Probet ſeipſum homo, antequam hoc cæleſti cibo veſcatur, ne incidat in damnationem, quam Apoſtolus comminatur iis, qui indignè communicant, & ubi conſcius eſt peccati mortalis, quantumvis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa Sacramentali Confeſſione ad Sacram Euchariſtiam accedere non audeat: ſumet alioquin in mortem, quod deſtinatum erat ad ſalutem, non quia res illa mala eſt, ſed quia malus accepit, quod bonum eſt. Quoniam autem Sacra Communio in Paſchate in propria Parochia de manu Parochi ſumi debet, ſingulis noſtris Fidelibus hanc rememoramus obligationem, vagiſque hominibus Eccleſiam Matricem pro Parochiali deputamus. Parochialis Eccleſia quos Chriſto aſſeruit in Baptiſmate, ſibi quoque adoptavit in Filios: iniquum foret ſi duræ cervicis Filii hoc officioſæ Matri denegarent obſequium, eòque, vel ſemel in anno, convenire detrectarent ad paſcua, ubi primùm nati fuerunt ad vitam.

1. Cor. 11. ver. 29.

Trid. ſeſſ. 13. cap. 7.

Can. Et Sancta de Conſecr. diſt. 2. Can. Qui Scelerate, Can. Timorem ib.

V. Perditiſſimorum hominum improbitas non ſemel dolo malo accuratiſſimam quamque diligentiam fallit, & eludit. Ut laboranti memoriæ ſuccurrant, ac omnis fraudis ſuſpicionem amoveant Rectores Animarum ad Paſchalis Agni convivium accedentibus per Sacerdotem, aut ſaltem

tem Clericum probatæ Fidei, & induſtriæ ſchedulas impertiantur, elapsâ poſtmodum Dominicæ Reſurrectionis Octavâ, per eoſdemmet Parochos exactiſſimè colligendas, ut qui ad Nuptias vocati venire neglexerunt, cognoſcantur, & juxta Domini monita compellantur intrare. Multis ad ſalutem, quæ eſt in Chriſto, ſic præſtatur occaſio, qui etiamſi violenter adducuntur ad cœnam, & compelluntur intrare, intus tamen inveniunt ubi ſe lætantur intraſſe. Si quis Paſchali tempore à propria Parochia abſuerit, ubi primùm redierit, exhibeat Parocho teſtimonium ſuſceptæ Communionis in alia Eccleſia, aut ſi in Paſchate præſcripto tempore non communicavit, primâ datâ, imò & quæſitâ occaſione, præceptum adimpleat. Infirmi etiam, & carceribus detenti eo tempore cæleſti hoc pabulo recreandi ſunt. Si autem in conficiendo Animarum ſtatu, in colligendis ſchedulis, aut aliàs aliquem deprehendent, qui ſuæ ſalutis immemor huic præcepto non ſatisfecerit, & iterum monitus non paruerit, poſt quindecim dies illius nomen ad nos deferant, ut poſt debitas monitiones illas de contumace ſumamus pœnas, quas ſacræ leges indicunt: Sentiat ſeveros Judices, qui fugit indulgentiſſimos Proviſores, & lentis tepidiſque animis, quod diu cohortatio quieta non ſuaſit, minax terror extorqueat. Negligentes in hac parte Parochi trium aureorum pœnam luent.

Luc. 14. ver. 20.

S. Auguſt. cont. 2. Gaud. epiſt. lib. 2. cap. 17.

Conc. Lateran. IV. cap. 21.

Chryſol. ſerm. 1. de Fil. Prodig.

Auth. de Voc. Gent. cap. 10.

VI. Cibus grandium eſt Euchariſtia, iis comedendus,

S. Hieronym. in c. 9. Zach.

medendus, qui in Chriſto robuſti fieri poſſunt: ut illius reverentiæ conſulatur, in ea ætate conferri debet parvulis, in qua ſacrum cibum à profano, & vulgari norint diſcernere; hinc provido Eccleſiæ conſilio, & legitimâ auctoritate uſus exolevit porrigendæ Euchariſtiæ pueris nondum donatis ratione. Quare neminem ad divinæ Menſæ convivium admittent, niſi in uſu rationis, ac debita ætate conſtitutum Parochi ritè probaverint. Per bimeſtre ante Paſchalem ſolemnitatem parvulos illos docibiles Dei ad ſe advocent, paraturi Domino plebem perfectam: accuratâ diligentiâ eos inſtruant in chriſtiana doctrina, eâ potiſſimùm parte, quæ dignitatem reſpicit, & effectus Auguſtiſſimi Sacramenti. Qui autem tam neceſſarii muneris partem implere neglexerit, vel non præmiſſis examine, & inſtructione, adoleſcentulos ad Sacram Communionem admiſerit, pro ſingulis omiſſionibus dabit arbitrariam pœnam, ſuper quo Vicariorum Foraneorum vigilantiam volumus ſtrictiſſimè oneratam. Videat autem Mater Eccleſia Filios ſuos tanquam novellas Olivarum in circuitu menſæ Domini, proindeque caveant Parentes, & Parochi ne ultra decimumquartum ætatis annum prima Communio differatur, niſi eâ etiam ætate quis incapax videretur, quoniam ex mentis imbecillitate, nec ſe ipſum ſatis probare, nec Corpus Chriſti adhuc poſſet dijudicare.

VII. Sancta Sanctis tradenda ſunt, nec impiâ profanatione panis Angelorum mittendus eſt

Ca-

Vicecomes lib. 5. de Rit. Baptiſ. cap. 24.

Trident. ſeſſ. 21. c. 4.

Joan. 6. ver. 45.

Luc. 1. ver. 17.

Pſal. 127. ver. 3.

1. Cor. 11. ver. 29.

Marc. 7. ver. 27.
Matth. 7. ver. 6.

Canibus, aut Margaritæ ante porcos projiciendæ. Neminem igitur ad Sacram Communionem admittent, etiam in Paſchate, quem notoriè ſcient vel malo conſilio, vel pravâ conſuetudine in peccato mortali permanere, aut occaſionem, in qua verſatur, lethalis flagitii nolle dimittere. In Eccleſia, ubi maximè miſereri decet, teneri quàm maximè debet forma juſtitiæ, quæ mortalis non eſt, ſed medicinalis. Infames, Præſtigiatores, Concubinarii, Meretrices, Lenones, Conjuges ſine legitima cauſa à toro, & domeſtica conſuetudine divertentes, Fœneratores, Qui Deo, & Sanctis per impias blaſphemias imprecantur, aliique publici ſceleris infamiâ notati, ut & cœteri timorem habeant, rejiciendi ſunt, donec priore improbâ vitâ penitus abdicatâ, eam egerint pœnitentiam, quâ vitæ emendationem teſtatam faciant, idque præſtiterint, quod non ſolùm illis proſit ad ſalutem, ſed aliis etiam expediat ad exemplum. Dominus ipſum ſceleſtiſſimum Judam ſuſtinuit, & ſuo donavit corpore: ſi peccatum igitur ſit occultum, & talis quiſpiam illius ſibi conſcius, ad altare accedens, ſe ſe ingerat communicantibus, & venerabile Sacramentum publicè petat, ne prodatur arcanum, arceri non debet, ſed omnipotentis Dei judicio, cui omnia occulta manifeſta ſunt, referendus eſt. Sciat tamen hujuſmodi, ſe peccata peccatis cumulare, & novo, eoque immaniſſimo flagitio devinciri, ſi ſecretò communione interdictus, pervicax adhuc, & obduratus

S. Ambroſ. in Pſal. 118.
S. Aug. lib. L. Hom. hom. ult. cap. 4.
1. ad Tim. 5. ver. 20.
S. Aug. loc. cit.
Auth. QQ. Veter. Teſtam. q. 102.
Con. Turon. Can. 2.

S. Cypr. de Lapſ. irruat in ſacram Cœnam, & veluti vim inferat Corpori, & Sanguini Chriſti Domini.

VIII. Arreptitiis item, & amentibus non tradatur Communio, niſi quibuſdam intervallis illi, ſopito veluti exagitatore Dæmone, ab inſidentis ſpiritûs vexatione ſint liberi, iſti ad mentem ſubinde redeant, ita ut nullum irreverentiæ periculum timeatur. 1. Cor. 10. ver. 7. Unum Corpus multi ſumus, quicumque de uno Pane participamus: proindeque Pſal. 147. ver. 14. ponant fines ſuos pacem, & Fratri ſuo reconci- Matth. 5. ver. 24. lientur, qui ad ſacrum Altare adipe divini frumenti ſatiari deſiderant; nec admittantur, qui inimicitias publicas, & ſcandaloſas gerunt, donec pacem inivcrint. Mulieres item, quæ capite, & humeris detectis, fuco illitæ, in procaci cultu ad menſam Angelorum, tanquam ad profanum convivium accedunt, prætereantur: nonniſi benè Cangius in Gloſsar. Verbo Dominicalis. velatis patebat olim aditus ad Euchariſtiam, & quælibet mulier ſuum Dominicalem habere jubebatur, quo caput tegeret. Non ipſe per ſe Paſchalis dies facit dignos, qui accedunt, ſed animi ſin- S. Chryſoſt. hom. 3. in ep. ad Epheſ. ceritas, & puritas: quamvis de Communione Paſchali urgeat præceptum, non ideò tamen Confeſſarii coguntur promiſcuè, etiam indignis, abſolutionem dare, Communionem indulgere; Cap. Omnis utriuſque ſexûs ſup. cit. ſed eam in aliud tempus rejicere poſſunt, & debent, ſervatis charitatis, & prudentiæ legibus, donec ad illam ſanctè ſuſcipiendam benè fuerint comparati. Parochi, cæterique Animarum Rectores, qui ſecus egerint, nec fideles reperti fuerint diſpenſa-

Digitized by Google

penſatores, incident in manus Dei viventis, qui ab ipſis ſeveram rationem repetet improbæ diſpenſationis.

IX. Ex hujus mundi Ægypto commigraturos fideles cæleſti Agni ſanguine communire oportet, ut contra Angelum vaſtatorem protegantur, illitis non poſtibus, ſed animis: hinc periculosè laborantibus imminente mortis articulo Sanctiſſima Euchariſtia porrigi debet, ut tanto, tamque efficaci Viatico recreati, in extrema hujus miſeræ peregrinationis periodo poſiti, dum ingrediuntur viam univerſæ carnis, & ad cæleſtem patriam iter inſtituunt, in fortitudine cibi illius ambulent, & contendant ad montem Dei. Infirmos igitur graviter decumbentes, ſæpè Parochi viſitent, etiam non accerſiti, & vocati, eoſque efficaciter moneant, ut, expiatâ tempeſtivè per ſacramentalem Confeſſionem conſcientiâ, ſacram Communionem percipiant, edantque ſub velaminibus opertum in Terris panem Angelorum, quem apertè deguſtabunt in Cælis, & unde hîc guſtum ſumunt, illic plenitudinem capient, & totam ſatietatem: maximam in eo ſpem ponant, ut cum fiducia ad thronum divinæ majeſtatis ſe ſiſtant: ſumant in pignus ſalutis æternæ, tutelam fidei, & ſpem beatæ reſurrectionis, quoniam in noviſſimo die reſuſcitabit Dominus, qui manducant ejus carnem, & ſanguinem bibunt. Opportunè igitur, dum ſibi conſtant, pleno, quantùm per morbum licet, ſenſuum, & rationis uſu porrigatur,

Exod. cap. 12.
Conc. Nicæn. can. 13. Arelat. II. can. 12. Arauſic. can. 3. Carthag. IV. can. 77. & 78. &c.
3. Reg. 19. ver. 8.
S. Chryſol. ſer. 68.
Hebræor. 4. verſ. 16.
Optat. Milev. lib. 6.
Joan. 6. ver. 53.

rigatur Euchariſtia, ne ingraveſcente morbo, & inopino interitu ab ea ſumenda quis præpediatur, aut mente deſtitutus minus devotè ſuſcipiat.

Tertull. lib. 2. ad Uxor. cap. 1. De Cor. Milit. c. 3. Baſil. hom. de Jejun. Iſid. lib. 1. de Offic. Eccl. cap. 18.

Can. Liquido de Conſecr. diſt. 2.

Can. De his vero. Can. Si quis de corpore 26. quæſt. 5.

X. Ut à jejunis hoc Sacramentum ſumatur ante omnem cibum, & potum, Eccleſiæ mos eſt, qui Apoſtolos habet inſtitutores: neque enim quia poſt cibos dedit Dominus, propterea pranſi, aut cœnati fratres ad illud accipiendum convenire debent, Apoſtolis enim hunc locum ſervavit Dominus, ut Euchariſtię percipiendę ordinem, & modum ſtatuerent. Ab hac tamen jejunii lege excipiuntur Infirmi, quibus etiam non jejunis, in vitæ exitu, poteſt adminiſtrari per modum Viatici; idque non ſemel tantùm, ſed pluries, ſi pluries in eadem infirmitate, aut poſtquam convaluerint, in mortis periculum incidant. Horis intempeſtivis non deferatur, niſi gravis, & improviſa neceſſitas id exigat. Si moreretur ægrotus, antequam acceptam hoſtiam potuerit deglutire, extrahatur ab ore, & in mundo vaſculo in Tabernaculo ſervetur, donec corrumpatur: idem fiat, ſi egereret, & egeſtæ ſpecies apparerent, quoties benè, ac diligenter depurgatæ, citra ſtomachum, iterum porrigi, & abſumi non poſſent: ſi non appareant, quidquid egeſtum fuerit ſtupâ, vel aliâ re ſimili colligatur, comburatur, & projiciatur in Sacrarium. Sacerdotis autem erit, quàm providentiſſimè hos caſus præcavere, & ubi vomitionis, aut quia ægrotus in phreneſim incidit, aut deglutiendi amiſit facultatem, alicujus indignitatis periculum timetur, differatur Communio.

XI. Di-

XI. Divina Majeſtas quæ noſtrâ non indiget ſervitute, ubi nos indigemus illius Dominio, ſatis ſeſe commendare videtur apud Fideles, ut quoties contingat Sanctiſſimum Euchariſtię Sacramentum in æternitatis Viaticum ad Infirmos deferri, eâ quâ par eſt, devotione, & frequentiâ deducatur; adhuc tamen leges latæ ſunt, quibus ex ipſo exteriore apparatu apud omnes fides, & devotio augeretur, & Summorum Pontificum munificentia, ut alacriùs, & religioſiùs hoc pietatis officium præſtaretur, complures largita eſt Indulgentias, quas Parochi identidem populo indicabunt. Clerici, à quibus Deum plus cæteris diligi oportet, & coli, in eo officio primi eſſe deberent, populo, veluti Patres pietatis, exemplo futuri: quoties ipſi aderunt, Laicorum non ſit Umbellam, vel Baldachinum deferre, aliaque propiora circa Sacramentum miniſteria exercere. Si urgente neceſſitate, noctu ad Infirmos deportetur, domi ſe contineant Mulieres, non corpore comitentur, ſed animo: oratione, & affectibus meliùs, quàm paſſibus ituræ ad Dominum. In deferendo autem Viatico hæc omnia ſervari mandamus. Dato prius conſueto Campanæ ſigno Parochus, vel alius, ad quem ſpectabit, Miniſter in veſte talari Superpelliceum, Stolam, Pluviale, & Velum humerale induat, & pluribus, quantùm dabitur, accenſis intorticiis, gravi inceſſu, pſalmos recitans, & hymnos ſub ſerica Umbella ad domum Ægroti adeat, quæ pro loci, ac temporis conditione componatur, & niteat

S. Auguſt. in Pſal. 15.

Cap. Sane de celebrat. Miſſarum.

Jo. 21. ver. 15.

niteat ſine profano tamen cultu ab omni ſorde emendata: Menſa ad hanc rem parata candidâ mappâ operiatur, Cruce, ac duobus ſaltem cereis impoſitis. Ibi deponatur pyxis ſuper ſtratum corporale, nec non reliqua adhibeantur, quæ fuſiùs in Rituali. Parochus Infirmum paucis, iiſque paternis verbis moneat, & conſoletur. Qui Sanctiſſimam Euchariſtiam comitantur, ubi ad ægrotantis fores devenerint, conſiſtant, & miniſtrante Sacerdote ſacrum Viaticum ſupplices pro Infirmo fundant preces, & ſubmiſsâ paululum voce recitent Litanias B. Virg. Ad Eccleſiam inde cum alia ſacra particula regreſſus annunciet Indulgentias, Populo benedicat, Sacramentum reponat. Hic cultus in noſtris Cathedralibus magnificentiùs adhibeatur, & Cathedralium morem pro ſuo modo inferiores quoque ſuſcipiant, & imitentur Eccleſiæ. Quoniam ad hæc implenda multùm conferre videtur eorum pietas, qui Sanctiſſimi Sacramenti Societati dederunt nomen: ſicubi hoc ſodalitium erectum non ſit, quantocyùs erigatur: ubi verò erectum reperitur, non negligantur onera: & ſummo ſtudio ea ſerventur, quæ in Edicto
Append. num. XI. hac de re dato, præcipimus.

Pſal. 21. ver. 30. XII. Manducaverunt, & adoraverunt omnes divites plebis, huncque ſacrum cultum ipſi
Trid. ſeſſ. 13. cap. 5. primitivæ debemus Eccleſiæ, quoniam jam inde ab ortu rerum Chriſtianarum adoratus eſt Chri-
S. Ambr. lib. 3. de Spir. Sanct. cap. 12. ſtus, etiam in myſteriis, & pius, ac religioſus in dies invaluit uſus, ut publicè Fidelium adorationi Eucha-

Euchariſtia exponeretur. Quia in hoc Sacramento totus eſt Chriſtus in ſplendoribus Sanctorum, generoſa pietas fidelium in exteriore etiam ſplendido apparatu eas exhibere ſtudeat dotes, quas verus ſol juſtitiæ obtinet in ſinu Patris, & in Cælis retegit beatis mentibus, in terris ſubducit oculis Viatorum, adoretque ad templum Dei Eccleſia deorſum in omnibus Fidelibus, ſicut adorat Eccleſia ſurſum in omnibus Angelis. S.Auguſt.in Pſ.137. Templa, Sacellum, Altaria, in quibus Sacramentum collocabitur, ut feret locorum conditio, decentiſſimè ornentur, ut vel inde diſcamus quanta veneratio debeatur illi Gloriæ Domino, quem Pater Æternus in Orbem Terrarum introducens, ipſis Angelis Hebræor.1. ver.6. adorandum propoſuit. Ardeant ſemper, ut minimùm quatuordecim lumina: aliquot ſemper par eſſet aſſiſtere Sacerdotes, qui cernui, & proſtrati in ſacras preces taciti incumberent. Tenellos Pueros occaſione hujus expoſitionis Matres, & Nutrices non deferant, ne vagitibus, & ejulatibus Fidelium preces turbent. Illi, ad quos attinet, advertant, ne Sanctiſſimi Sacramenti expoſitio fiat ante Solis ortum, nec poſt Solis occaſum protrahatur: In Euchariſtia, vel exponenda, vel amovenda caveant, ne pedes ponant ſuper Altare, ſed modum decentiorem exquirant. Expoſitio à Nobis inſtituta, quæ ſingulis diebus feſtis in Eccleſiis noſtrarum Civitatum habebitur alternis vicibus, eâ ſemper methodo, cultu, & horâ peragatur, prout à Nobis in ſpeciali Edicto conſtitui-

tur:

tur: Fidelium charitas non refrigeſcat, ſed auctis perpetuò viribus creſcat in dies. Bonorum noſtrorum non indiget, imò inopiæ noſtræ miſeretur Dominus; nullum tamen deſiderari patiamur obſequii genus, quod pro paupertatis modo exhibere poſſimus; nobis enim prodeſt colere Deum, non ipſi Deo, qui nobiſcum in veritate Carnis, & plenitudine Deitatis habitans, multò potiora exigere poſſet ſervitutis argumenta. Quoniam verò ex nimia aſſuetudine pretioſa quæque veniunt in deſpectum, & faſtidium, non contingat nobis in veritate, quod Hebræis evenit in figura, ut ſicut illis delapſum è Cælo manna ceſſit tandem in nauſeam, ſic nobis ex crebriore uſu nonnihil reverentiæ depereat; mandamus igitur nullam extra ordinem in quacumque Eccleſia fieri expoſitionem Vener. Sacramenti abſque noſtra licentia. Juſſu SS. D. N. emanavit Romæ Edictum, quo certus ordo præſcribitur in hac expoſitione ſervandus: complura ibi ſunt, quæ Regiæ, ac Sacerdotali Urbi pro ſua majeſtate conveniunt, quæve noſtrorum Locorum tenuitas non patitur; at quia nonnulla alia item ſunt, quæ multùm conferre poſſunt, ut ſua, etiam apud nos, ordinis, & decoris ratio habeatur, ideo illud referre in Appendice duximus opportunum.

Pſal.15. ver.2.

Num.21. ver.5.

S.Congreg.Epiſc.in Cajetan. 1601. in Torton. 1703. in Floren. 18. Maii 1696.

Append. num.XII.

CA-

CAPUT V.

De Celebratione Miſſarum.

VEtuſtiſſima res eſt Sacrificium: Jam inde ab ortu rerum humanarum homines Deo per victimas ſupplicaſſe, non tacet ſacra Hiſtoria, & Genti Judaicæ divinis legibus inſtitutæ, ſui dati ſunt divinitùs in immolandis hoſtiis ritus, & præcepta, ut de carnalibus victimis, quaſi per typum, ad ſpirituales hoſtias tranſiremus. Cum enim impoſſibile eſſet ſanguine taurorum, & hircorum auferri peccata, venit tandem in plenitudine temporum Chriſtus, votum Iſrael, & expectatio Gentium, eamque naturam, quam à nobis accepit, pro nobis obtulit, ab utero Matris victima ſimul, & Sacerdos in ęternum ſecundùm ordinem Melchiſedech conſtitutus. Sacrificium, quod in utero Matris incepit, in ara Crucis conſummavit, & carnalium Sacrificiorum varietate ceſſante, omnes differentias hoſtiarum una Corporis, & Sanguinis Chriſti implevit oblatio. Hæc ſemel in Cruce facta, quotidie apud nos in agenda Miſſa, uſque ad conſummationem ſeculi, repetitâ celebratione, iteratur; hoc tantùm diſcrimine, quod ibi cruentâ cæde mactata fuit victima, hîc religioſo cultu, citra ſanguinem immolatur. Ut hoc verum, & propriè dictum novi Teſtamenti ſacrificium, unde

D.Auguſt. lib. 15. de Civit. Dei cap. 16.

S.Hieronym. in cap. 1. Iſaiæ.

Hebræor. 10. ver. 4.

Gen. 49. ver. 10.

S.Aug. in Pſal. 149.

Pſal. 109. ver. 4.

S.Leo ſer. 8. de Paſſ.

Conc cap. 2

tot nobis ad ſalutem præſidia ſuppetunt, debito cum pietatis ſenſu celebretur.

Daniel.3. verſ.39.
Pſal.44. ver.2.
Oſeæ 2. ver.20.
Epheſ. 5. ver.27.

I. In animo contrito, & in ſpiritu humilitatis ad altare, Miſſam celebraturi accedant Sacerdotes, & quia ſpecioſus formâ præ filiis hominum Chriſtus Dominus omnes, nedum lethalis culpæ maculas, ſed venialis quoque culpæ rugas averſatur in anima, quam ſibi in Fide per ſacrificium deſponſat, & exhibet immaculatam; ideo celebrare volens Sacerdos probet priùs ſe ipſum, & exquiſito examine conſcientiam excutiat: per confeſſionem benè expiatus de pane illo edat, & de calice bibat, ne judicium ſibi manducet, & bibat; ut uberiores fructus, & profuſionem gratiarum inde percipiat, etiam de levibus culpis pœniteat, iis potiſſimùm, quibus certò propoſito ex turpi conſuetudine, vel naturæ ingenio, & gaudere videtur animus, & commoveri. Commendabilis eſt eorum praxis, qui pluries per hebdomadam

Pſal.136. ver.9.

non deſultoriè, ſed animo verè contrito confitentur, & parvulos quoque Babylonis illico, ut nati ſunt, ad petram allidunt: at ſemel ſaltem in hebdomada Sacerdos confeſſionem Miſſæ præmittat,

Conc.Trid. ſeſſ.22. cap.1.
Cap. de Homine de Celebr. Miſſ.
Eccl. 18. ver. 22.

niſi illam, quod Deus avertat, lethalis noxa urgeat. Ante Miſſam diligenter, & accuratè præparet animam ſuam, ne ſit quaſi homo, qui tentat Deum: in hanc rem in Sacriſtia ad genuflexoria appenſa ſit Tabella precum pro præparatione Miſſæ, ut commodum ſit Sacerdotibus illas poſitis genibus perſolvere, antequam ea ſacra myſteria auſpi-

Digitized by Google

auſpicentur, quæ ſacratiſſima quæque noſtræ Religionis complectuntur. Innovent intentionem, & mentem colligant ad ea meditanda, quorum commemorationem mox ad altare facturi ſunt. Sacris peractis per aliquod notabile temporis ſpatium gratias agant Deo ſuo,& poſt quam ederunt, & ſaturati ſunt, reminiſcantur, & convertantur ad Dominum. Caveant item ne vix ab altari digreſſis animum invadant carnales ſolicitudines, alioquin ſacra eſca adhuc erit in ore ipſorum, & ira Dei aſcendet ſuper eos.

Pſal. 21. ver. 28.

Pſal. 77. ver. 30.

II. Impiè contemnitur illud, ſine quo pietas non perficitur; hæc integra non eſt, & perfecta quantumvis inſideat animo, niſi corpore explicetur, nec ita in ſpiritu coli amat Deus, ut ſenſuum deſpiciat obſequia. Quare Sacerdotes induant animo primùm juſtitiam, at inde à ſordibus etiam corporis caveant, ſacriſque operaturi induant ſacratas Veſtes, priùs ſtatis precibus benedictas, mundas, integras, nitidas, in gloriam, & decorem factas; non ſordidas non detritas, quæ horrorem creant, & ſcandalum; abſurdum eſt enim in ſacris ſordes negligere, quæ dedecerent etiam in profanis. Dum ſacra hæc indumenta lætitiæ ſuſcipiunt,certas eas preces devotè recitent, quæ ſunt in Miſſali deſcriptæ. Patenæ, & Calices in quibus redemptionis noſtræ pretium conſecratur, ſint argentei, & deaurati: quòd ſi Eccleſiarum inopia id non ferat, ſaltem argentea ſit calicis cuppa. Semper auro tegantur ne rubiginem

D. Auguſt. lib. 19. con. Fauſt. cap. 11.

Can. Tabernaculum de Conſ. diſt. 1. Can. Veſtimenta ib. Exod. 28. Cap. Relinqui de Cuſtod. Euchar.

Can. Vaſa. Can. Ut Calix de Conſecr. diſt. 1.

T 2 con-

D. Hieron. in Vit. Malch. Theodor. lib. 3. Hiſt. cap. 8.

concipiant. Eccleſia etiam, ubi primis temporibus paupertate premebatur, Filio Mariæ, frémente Gentilium invidiâ, in pretioſiſſimis vaſis miniſtravit; ipſius decus imminui non debet, ſed augeri. Fractos calices, & illos quorum interior ſuperficies auro illita detrita eſt, adhiberi vetamus: nullus animum tangeret religionis ſenſus, ſi quod non dignaretur potens quilibet propriis adhibere labiis, in hoc aliquis Corpus non vereretur imponere Salvatoris. Sacrorum Vaſorum contactus vetitus ſit laicis hominibus, & ſolùm in ſacris Ordinibus conſtitutis, aut Clericis de noſtra licentia, permittatur. Ne in impios veniat ultio, quæ Baltaſsarem percuſſit, ea, quæ ſemel ad Dei cultum ſunt deſtinata, in profanos uſus nunquam convertantur; & ſi veſtes fuerint vetuſtate conſumptæ, incendio dentur, & cineres inferantur in ſacrarium.

Petrus Dam. lib. 4. ep. 14.

Can. Sacratas. Can. Non liceat diſt. 23. Can. In ſancta. Can. Veſtimenta de Conſecr. diſt. 1.

Can. Semel de reg. Jur. in 6. L. Sancimus Cod. de Sacroſanct. Eccl.

III. Panis, & vinum, non corporis alimenta, ſed ſpiritûs deliciæ, in ſacrificium Corporis, & Sanguinis Domini impenſa, ea eſſe oportet, quæ deceant oblationem illam, quam mundam, & nunquam deſituram, ſibi offerendam prædixerat Dominus, ab ortu ſolis uſque ad occaſum, ut magnum eſſet nomen ipſius in Gentibus: quamobrem vinum ſit purum, & defæcatum, ſemper albi coloris, non acidum, vel mucidum, aut quoquo modo vergens in corruptionem. Eccleſiaſtici panes accuratiſſimo ſemper ſtudio in Eccleſia præparari conſueverunt, ita ut oblatis conficiendis operam

Malach. 1. ver. 11.

Conc. Toletan. XVI can. 6. Card. Bona Rer. Liturgic. lib. 1. cap. 33.

operam darent Monachi amicti ſacris veſtibus, & in illarum uſum ſibi honori ducerent farinam ſubigere Principes Fœminæ: ſint itaque tenues, decori, nitidi, orbicularis figuræ, & expreſſam habeant imaginem Chriſti Domini de Cruce pendentis. Nonniſi Dormitantiis diſplicere poteſt luminum uſus, quem ab ipſis Hebræorum ritibus acceptum, ab Apoſtolico ævo religiosè ſervat Eccleſia in ſuis myſteriis, quæ abſque lumine nunquam celebrat, non utique ad depellendas tenebras, cum etiam interdiu illis utatur, ſed in typum illius luminis, cujus Sacramenta conficimus, ſine quo, & in meridie palpamus ſicut in nocte. Inter agendam privatam Miſſam igitur, hinc inde à Cruce, ſuper altare poſitæ duæ ardeant Candelæ ex cera, ſuis Candelabris infixæ, quæ non ſint adeo exiguæ, ut Sacramento indecoræ, ipſis adſtantium oculis pariant offenſionem. Fideles aliquos ſemper Miſſæ intereſſe æquum, & religioſum foret, ut ab hoc veluti indecore vindicaretur ſermo Sacerdotis, quòd circumſtantium meminerit, cum nemo circumſtat, collectas dicat, plurium vota, & preces in unum colligens, cum nemo adeſt: nihilominus Miſſas, quas dicunt privatas, & ſolitarias nunquam vetuit Eccleſia: adeſſe tamen ſemper debet celebraturo Miniſter, hunc Clericum eſſe, ſuo indutum clericali habitu, deceret quàm maximè; ſi deſit, idoneus ſaltem Laicus ſe ingerat miniſterio, nec unquam viles, aut ſordidi homines, nec levis animi pueri, nondum plenè inſtructi,

Honor. in Gemm. lib. 1. cap. 66.

D. Hieron. adver. Vigilan.

Exodi 25.

Baron. ad ann. 58.

Microlog. cap. 11.

Microlog. cap. 5.

Capitul. Theodor Cantuar. in Spici leg. Dacher. tom. 9

Can. Nullus de Conſecr. diſt. 1.

cti, admittantur. Nemo inter ſacrificandum utatur annulo, vel pileolo caput tegat. Demum nihil inſolens, aut indecorum etiam exteriùs appareat, quod aut dedeceat ſacrum miniſterium, aut Fidelium imminuat devotionem.

Matth. 22. verſ. 12.

IV. Pœnas luit improbæ temeritatis in tenebras ultionis projectus, qui ad nuptialem menſam accumbens nuptialibus non ornabatur induviis. Spiritualis virtutum habitus prima ſit cura Sacerdotis; at ea non evadat poſtrema, quæ ordini congrua quærit indumenta: quapropter nemo audeat ad peragendum ſacrum accedere ſine veſte talari, ſub pœna arbitraria in ruralibus, decem verò aureorum in urbanis Eccleſiis in ſingulas tranſgreſſiones; quam pœnam etiam dabunt Æditui, & Sacriſtæ, qui huic Decreto inobſequentes ad celebrandam Miſſam admittent. Denunciatoribus tertiam pœnæ partem addicimus, & talaris veſtis vices ſuppleri poſſe negamus per ſuccintas pallas, ita ut etiam illi, qui ita ſuccincti Sacrum habebunt, aut haberi permittent, eandem pœnam ſubeant, eademque propoſita ſit merces denunciatoribus. Sacris operaturus non in Altari, ſed in Sacriſtia, aut ſi alicubi deeſſet, in Abaco huic muneri deſtinato, induat ſacras veſtes, quibus indutus ipſum corporis geſtum religioſè componat, & altum teneat ſilentium: ſive ad Altare procedat, ſive ibi conſiſtat, illius modeſtia nota ſit omnibus hominibus, quoniam Dominus propè eſt. Ne in periculum errandi ſe conjiciat, libro Miſ-

Sacr. Congregat. in Neapol. 17. Auguſt. 1630.
In Bononien. 1. Junii 1620.

Philipp. 4. ver. 5.

Digitized by Google

Miſſali inter celebrandum ſemper utatur, nec fidat memoriæ, quæ facilè diſtrahi poteſt, & turbari; non frigidè, & oſcitanter, ſed intento animo ſingula diſtinctè legat, & clarè pronunciet. Cogitatio omnis carnalis, & ſecularis abſcedat, nec quicquam tunc animus, quàm id ſolum cogitet, quod precatur: deductâ voce recitet ſecreta, nec præfeſtinus ſit, nec plus æquo cunctator, & tardus & potius ad Populi ædificationem, quam ad privatos devotionis affectus reſpiciat. Simplici eo modo, quem referunt Evangeliſtæ ſacrificium celebravit Chriſtus Dominus; verùm Apoſtolis ſuis commiſit, ea omnia in auguſtiſſimo hoc myſterio addere, & inſtituere, quæ illius dignitati, & populorum pietati, pro diverſa ratione temporum, congruere viderentur; hinc ex Apoſtolica traditione, & diſciplina in officium Religionis pia Mater Eccleſia ritus inſtituit, & ceremonias adhibet, quarum Sacerdos eſſe debet ſolicitus cultor, & cuſtos; itaut ne incautus quidem aliquid prætermittat, multo minùs verò datâ operâ addat, detrahat, immutet, aut novas ſibi pro devotione contexat orationes, vel inſuetas, & ſingulares ſubinſerat. Nox præceſſit, dies appropinquavit: depulſæ enim ſunt umbræ legalium ſacrificiorum, & in noſtro Sacrificio manifeſto implentur effectu, quæ diu fuerant figurato promiſſa myſterio: eo igitur uno excepto, quod ſolemni ritu in nocte Nativitatis Domini peragitur, nunquam ſine Apoſtolico privilegio ante albeſcentem lucem celebretur, aut ultra meridiem protrahatur. V.Chri-

S. Cypr. in tract. de Orat. Dom. ſub fin.

Cap. Cum Marthæ de Celebrat. Miſſar.

Trid. ſeſſ. 22. cap. 1. & can. 7.

Trid. ſeſſ. 22. In Decret. de obſervan. in cel. Miſſ.

Rom. 13. ver. 12. S. Leo ſer. 7. de Paſſ.

Can. Hoſte de Conſecr. diſt. 1. Append num. XIII. Pius V. in Conſt. Sanctiſſimus. S. Congreg. in Piſaur. 20. Apr. & 7. Dec. 1641.

Luc. 22. ver. 19.

V. Chriſtus Dominus, cum ultimam ſuam cœnam daret, & ſacrificium inſtitueret, quod à ſe factum viderant, id Apoſtoli in ſui commemorationem facerent, apertè præcepit; & in Apoſtolis, futuris omnibus uſque ad conſummationem ſeculi Sacerdotibus de celebranda Miſſa præceptum impoſuit. Deo ſanè debitum cultum, hominibus neceſſaria ſubſidia, animabus in Purgatorio degentibus opportuna ſuffragia ſubtrahit, qui legitimè non impeditus ſacro-ſanctum Miſſæ Sacrificium abnuit celebrare, & peccati lethalis reus eſſet, ſi longo admodùm tempore à conſecrando ceſſaret, nec tam ceſſare, quam abhorrere à ſuo miniſterio videretur. Cum creſcunt, ſeu augentur dona, rationes creſcunt donorum; reddendæ non pro perdito tantùm talento, ſed etiam pro otioſè ſervato, & abſcondito. Nec obtendat reverentiam, qui ab officii religione deflectit. Grave eſt, quod ad Menſam mundo corde, & manibus innocentibus non venit, ſed gravius, ſi dum peccata metuit, Sacrificia non reddit, & ut plurimùm ex faſtidio, ſocordia, & tepore; rarò admodùm ob Sacramenti venerationem quis abſtinet à Sacrificio. Unuſquiſque igitur gratiam, quam accepit in alterutrum adminiſtret, ne illam in vacuum accepiſſe videatur. Singulis diebus Sacerdotibus ſacrum conſulimus, cujus exemplum ab ipſis Apoſtolis habemus inductum; & ſtudio quàm maximo ea fugiant impedimenta, quibus ab hoc quotidiano pane vivo, & vitali percipiendo relegari deberent. Sacer-

Trid. ſeſſ. 22.

D. Th. in 4. diſt. 13. q. 1. art. 2.

Cap. Dolentes de Celebr. Miſſ.

D. Ambr. apud S. Th. loc. cit.

1. Petr. 4. ver. 10.
2. Cor. 6. ver. 1.

Sacerdotes, qui curam animarum non habent, cujuſcunque gradus ſint, & dignitatis ſaltem Dominicis, & feſtis diebus celebrent, ac crebriorem uſum ratio officii poſtulat à Curatis: Ex ſola alioquin rerum Eccleſiaſticarum conſumptione apparebunt Sacerdotes, nomen quidem habentes, rem autem non implentes nec Parochi, nec Sacerdotis. Triduo mortis Chriſti privati Sacerdotes ceſſent à celebratione, & à Parocho, aut à Nobis in Civitate communicent in Cœna Domini, Apoſtolos imitaturi, qui de manu Domini communicarunt.

Trident. ſeſſ. 23. de Refor. cap. 14.

L. Sancimus §. 10. Cod. de Epiſcop. & Cler.

Can. Sabbato de Conſecr. diſt. 1.

VI. Excubate in cuſtodia Sanctuarii, & in miniſterio Altaris, ne ignotus alienigena noſtris Sacerdotibus ſubdolè permixtus ad Tabernaculum Fœderis accedat. Exteri Sacerdotes vagi, & ignoti nullatenus, etiam in Eccleſiis Regularium, ad Miſſæ celebrationem admittantur, niſi priùs oſtenderint literas teſtimoniales ſuorum Ordinariorum, de quarum veritate nulla rationabilis ſuſpicio ſuboriri poſſit, à Nobis, vel à Vicario noſtro Generali viſas, & admiſſas: Juxta litteras S. Cong. 12. Octobris 1709. obſervetur, Teſtimoniales, & Dimiſſoriales literas eorum, qui de ultra montes ad Nos veniunt, eſſe debere ſubſignatas à Nunciis earum reſpectivè regionum. Si qui tamen propinquarum Diœceſeon erunt, noſtris Parochis benè noti, in his tranſitu celebrare permittatur. Pertranſeuntes item Regulares à celebratione arceri debent, niſi obedientiales ſuorum Superiorum literas à Nobis item probatas exhibeant: Sacri-

Num. 18. ver. 4.

Trid. ſeſſ. 23. c. 15. de Refor.

Append. num. XIV.

ſtæ, qui neceſſariæ ſanctioni contraiverint, pœnis ſubjaceant vigintiquinque ſcutorum, & etiam carceris.

1. Reg. 15. ver. 22.

VII. Obedientia victimæ præferatur, recenter igitur initiati non audeant celebrare ſine prævia noſtra facultate, & ne ceremoniarum ignari tantum obire audeant miniſterium, hæc facultas non dabitur, niſi exhibuerint juratam atteſtationem. Magiſtrorum Ceremoniarum noſtrarum Cathedralium, quos pro examinanda recenter ordinatorum peritia deſtinamus. Occaſione primæ Miſſæ convivia, profanas comeſſationes, nec non ad Altaria oblationes; ipſas quoque, quæ in fraudem legis fierent in privatis ædibus, erogationes, importunas, illiberales collectas, Compatris, aut Commatris in turpem quæſtum deſtinationem, alioſque pravos abuſus, & ineptas ceremonias, non ſolùm induci vetamus, ſed utcunque inductas abrogari præcipimus ſub pœna decem aureorum, & etiam Carceris. Novi Presbyteri quà primum die myſteria celebrant, correpti religioſo quodam horrore Auguſtiſſimi Sacrificii ſibi unicè, & Deo vacare debent. Opus grande aggrediuntur, neque enim homini præparatur habitatio, ſed Deo. Tàm à novis, quàm ab aliis Miſſis removeatur omnis inanis cultus, qui à receptis, & probatis Eccleſiæ moribus averſus, vanâ potiùs ſuperſtitione, quàm verâ religione inductus credi poteſt. Horreant, vel ad ipſam propoſitionem Sacerdotes, ſi quis improbè ſacrilegus.

Conc. Mogunt. IV. cap. 60.
Trident. ſeſſ. 22. in Decret. ſup. cit.

1. Paralip. 29. ver. 1.

Trid. ſup. cit.

Regus ab ipſis Miſſam impio fine, puta ad repetendam de injuriis ultionem, celebrandam poſtularet; moneantque piaculare flagitium eſſe Sacramento unitatis, & pacis uti ad vindictam, & quod datum eſt in remedium expetere in interitum.

Conc. Tolet. XVII. can. 6.

VIII. Ad Sanctuarii partes, & munia vocati ſuas habere debent miniſtrandi vices, & tempora, ut ſacra omnia citra confuſionem eo conſtent ordine, quo Eccleſiæ decor maximè commendatur, In Cathedralibus noſtris ſtatæ celebrandi horæ, etiam pro privatis Miſſis conſtitutæ exactiſſimè ſub pœna conſuetæ punctaturæ, & aliis quoque in contumaces, & negligentiores pro noſtro arbitrio infligendis, ſerventur; ita ut à ſingulis competente ſibi horâ ſacrum infallibiliter habeatur. Ad horum quoque exemplum, re Nobiſcum; vel cum Vicario noſtro Generali communicatâ, ſe ſe componant inferiores Eccleſiæ. Qui ſtatas non habent horas, etiam ad Eccleſiæ ſervitium, & Populi commodum reſpiciant, ut non unà ſimul omnes celebrent, deinde per longa horarum ſpatia ſacra intermittantur. In minoribus Eccleſiis, ubi paucæ ſunt Miſſæ, nunquam ſimul duæ celebrentur, ſed una alteri ſuccedat; ita ut è Sacriſtia non liceat alteri exire, niſi primus Miſſam abſolverit. Hanc curam Eccleſiarum Præpoſitis enixè commendamus: ad Nos deferant eos qui conſtitutum hunc ordinem inverterent, & perturbarent, ut debitis pro arbitrio pœnis audaciores corrigamus, Et hoc attendendum eſt, ut in

Cant. 3. ver. 9.

Conc. Mediolan. 1. Cap. de his, quæ pertin. ad Celebr. Miſs.

Conc. Illiber. can. 21. Trid. ſeſs. 22. In Decret. de obſerv. in Celebr. Miſſ. Can. & hoc.

in Eccleſiis Parochiali ſubjectis nunquam diebus feſtis Miſſæ peculiares fiant, ubi aut celebratur Miſſa Parochialis, aut Concio habetur, ne inde abſtrahantur Fideles, quorum ſacros conventus in propria Eccleſia à primis ſeculis Eccleſiaſtici Canones commendarunt. Nobis Pontificaliter celebrantibus, aut majoris Miſſæ celebrationi adſtantibus, nemini liceat privatas Miſſas intertexere. In Altari, in quo Epiſcopus Miſſam cantavit, nullus alius Sacerdos, eâ die, celebrare præſumat, niſi priùs licentiam obtinuerit. Dum ſolemnia habebimus, Diaconi, Subdiaconi, & Clerici in minoribus conſtituti parati ſint ad ſacram Euchariſtiam è manibus noſtris ſuſcipiendam, & impenſiore ſemper pietatis ſtudio cæteris præluceant Clerici noſtri Seminarii.

Can. In Altari de Conſecr. diſt. 2.

IX. Inter prima Chriſtiani hominis officia cenſetur intereſſe incruento Miſſæ Sacrificio, quod eximium Religionis opus ſingulis diebus ſuadet pietas, feſtis, ac dominicis grave jubet Eccleſiæ præceptum. Docendus eſt populus quomodò cum timore pariter, & amore illi adſtare debeat, ut miſericordiam conſequatur, & gratiam inveniat in auxilio benè equidem opportuno. Multæ traditæ ſunt in hanc rem à piis Scriptoribus ſacræ commentationes, unde Parochi appoſita ſalutis monita promere poſſunt Fidelibus proponenda. Cum idem ſit ſacrificium Crucis, & Altaris, hos ita compoſitos ad modeſtiam, & devotionem eſſe oporteret, ac ſi ſub adſpectum poſita intuerentur,

Sermon. Inter Ambroſian. 34.

Can. Omnes Fideles. Can. Miſſas de Conſecr. diſt. 1.

Hebræor. 4. ver. 16.

quæ

quæ geſta ſunt in Calvario. Surſum inter ſacra myſteria efferatur animus, & quantum poteſt adjuvante Domino laboret, ut nulla externa cogitatio ſubrepat; quare ſolicitudines omnes, & curas domi conſiſtere jubeat, donec vadat, & oret. Pia Mater Eccleſia, quæ opera mutat, non conſilia, ſemper optavit, ut, ni ſacramentaliter, ſaltem ſpirituali affectu communicarent adſtantes Fideles, & veniam peccatorum deprecati ſuis votis oblationem Sacerdotis proſequerentur: Quod enim adimpletur propriè miniſterio Sacerdotis, hoc generaliter agitur fide, & devotione cunctorum; & quæ ille offerendo manibus tractat, hæc multitudo Fidelium, intentâ mentis religione, commendat. Præcipuè in actione mentis hæc poſita ſunt, in partem tamen officii etiam corpus accerſitur, cujus compoſitione interiores animi ſenſus juvantur, & exprimuntur. Inconditos motus, oculorum divagationes, riſus, ſtrepitus, garritus, muſſitationes miniſterii dignitas averſatur. Neminem extra fores, vel in veſtibulis conſiſtere patiantur Eccleſiarum Rectores, niſi Templi anguſtiâ, vel confertiſſimâ turbâ aditu prohiberetur. Stare pedibus ad Evangelium, cæterà genibus flectere, vultum demittere, ubi ſacra Hoſtia tollitur in ſublime, modi quidam ſunt, quos à majoribus acceptos religioſiſſimè retinet, & exercet pius uſus: vana ſolummodò in exterioribus actibus caveatur oſtentatio.

S. Cæſar. Arelat. ſerm. 82.

D. Auguſt. lib. 1. Confeſſ. cap. 4.

Alcuin. de Divin. Offic. cap. de Celebr. Miſſ.

S. Petr. Damian. in lib. Domin. Vobiſc. cap. 8.

IX. Dum olim oblationes pro Miniſtris alen-

Bona Rer. Liturgic. lib. 2. cap. 8. Tomaſſ. de Eccl. Diſc. par. 3. lib. 1. a cap. 72.

alendis uberes erant, & liberæ, recipiebatur ſine exactione, quod cum pietate offerebatur à Fidelibus: refrigeſcente charitate, pro Eccleſiaſticis officiis, ipſáque Miſſæ celebratione, quærere oportuit pecuniam in victum Clericorum: De iis, qui præter communem oblationem aliquid ſpeciale in ſacrificia conferebant, fiebat ad altare ſpecialis mentio, & cum peculiarem, & privatam ſuperſtiti, vel defuncto profuturam vellent, ſtipem conferebant, ut ſua illi Miſſa celebraretur. Nullo pretio æſtimari poteſt ea Hoſtia, quæ inæſtimabile eſt noſtræ redemptionis pretium; at quia æquum eſt, ut de Altarium oblationibus vivant Altarium miniſtri, ſummo jure illa certa debetur eleemoſyna, quam ad Romanum julium, de more, taxamus. In illa tamen exigenda omnis prorſus abſit ſimoniacæ labis, vel ſordidi quæſtûs umbra, & fuligo. Hæc ſanè illis hærere videtur, quos non religio, ſed pecuniæ cupiditas Altaribus admovet, quorum improbas fauces fœdat ſermo nequam: Quid vultis mihi dare; ita ut celebrare refugiant, & cunctentur, niſi oblatâ mercede alliciantur. Pro multiplici ſtipe unicam tantùm Miſſam celebrare: Ex data eleemoſyna partem decerpere, & minori pretio alteri Sacerdoti Miſſam celebrandam committere iniquum eſt, & damnatum lucrum. Anticipatè Miſſam celebrare pro iis, qui eleemoſynas erunt oblaturi, nefarium eſt: Etſi jejunum, & exile datum eſſet ſtipendium, tot celebret Miſſas Sacerdos, quot promiſit, & fidem liberet ſuam. Ubi privatus quis

1. Cor. 9. ver. 13.

Urban. VIII. in Conſt. Cum ſæpè, ſeu Decr. Gen. Sac. Congreg. Conc. de Celebrat. Miſſar. 21. Junii 1625. Declarat. ejuſdem Sac. Congreg. ad dubia &c.

quis ſibi uni vult illam addici, nullâ ſuæ Hoſtiæ parte fraudetur; nec quis credat, ſe unicâ Miſſâ ſatisfacere poſſe eorum votis, qui ſtipes multas ideò contulerunt, ut ſibi ſpecialiter applicatam haberent Miſſam. Semper credidit Eccleſia, uni illi præ cæteris prodeſſe Sacrificium, cui, præter generalem intentionem, quam commemoratio pro vivis, & defunctis continet, ſpecialiter applicatur; & ab antiquo eorum avaritiam damnavit, & deteſtata eſt, qui ut pro uno ſacrificio plura ſtipendia acciperent, & multorum votis unica ſatisfacerent celebratione *biſaciatas*, & *triſaciatas* Miſſas celebrabant. Nulla privilegia, nec Collegia, nec Congregationes juvant, ut paucioribus Miſſis liberent fidem, & exolvant obligationem, quia omnia ſunt Apoſtolicâ auctoritate revocata. Non recipiantur manuales eleemoſynæ, niſi prioribus obligationibus perſolutis, aut intra duos menſes poſſint nova onera adimpleri, niſi aliud de voluntate Benefactoris conſtaret.

Propoſ. VIII. IX. & X. damnat. ab Alex. VII. 2. Octobr. 1665.

D. Thom. 4. Sent. diſt. 45. q. 2. art. 4.

Petr. Cant. in Verbo abbrev. cap. 27. & ſeq.

Urban. VIII. in Conſt. ſup. cit.

X. Pecuniæ, vel Bona mobilia Eccleſiis, ſeu Societatibus acquirenda cum onere perpetuo Miſſarum, ſub pœna Interdicti ab Eccleſia, ſtatim deponantur in ſacris Pietatis Montibus ad hoc, ut illæ, vel dictorum Bonorum pretium in ſtabilibus data opportunitate poſſint implicari. Ne verò perpetua onera temerè ſuſcipiantur, ſub eadem pœna à Capitulo, Collegiis, Societatibus, Parochis, aliiſque Eccleſiarum, & piorum locorum Adminiſtratoribus recipi diſtrictè prohibemus.

Conſt. Urban. VIII. ſup. cit.

Sacr. Congreg. in Vicen. 15. Apr. 1690

mus ſine noſtra licentia in ſcriptis, quam non impertiemur, niſi priùs conſtiterit eos eſſe reditus, ut oneri ſuſtinendo ſint pares. Quantumvis extenuati ſint reditus, & diſſipati ſint fundi, nemini, privatâ auctoritate, Miſſarum onera liceat contrahere, & decurtare. Qui pro celebratione Miſſarum ſtatos habent dies, & determinata Altaria, non audeant pro libito tempora pervertere, aut contra Benefactoris, & Inſtitutoris mentem Altaria mutare ſub pœna decem aureorum; impoſitâ Parochis, Vicariis Foraneis, & Sacriſtæ obligatione denunciandi Delinquentes.

Conſt. ſup. cit.

Sac. Congreg. Conc. in Brix. 1. Decemb. 1685. in Derthon. 4. Junii 1701.

. XL. Sacerdotes ea ſubeat ſolicita cura, ut quâcumque horâ cum Deo, & hominibus de commiſſa ſibi villicatione rationes Nobiſcum inire poſſint in iis, quæ Miſſarum celebrationem ex piis inſtitutionibus reſpiciunt, & adeo perſpectam, & probatam eſſe ſtudeant ſuæ hac in parte adminiſtrationis fidem, ut ne in ſuſpicionem quidem venire poſſint, quaſi Eccleſiæ bona improbè diſſipaſſent. Quamobrem in omni Eccleſia ſub trium aureorum pœna Tabellam confici, & in Sacriſtia appendi mandamus, in qua, perſpicuo charactere, ſuſcepta Miſſarum, Anniverſariorum &c. onera diſtinctè deſcribantur, cum expreſſione diei, loci, & Beneficii, cui annexa ſunt, anni, & Notarii, in cujus actis recepta fuere legata, ſeu inſtitutiones, ut ſemper monumenta ſerventur. Ad cujus exemplar alias etiam minores confici mandamus ad ſingulas Aras, vel Cappellas

Trident. ſeſſ. 22. de Ref. cap. 9.

Innoc. XII. in Conſt. Nuper 23. Novemb. 1697.

pellas appendendas, in quibus ea tantùm onera exprimantur, quæ illi Altari, vel Cappellæ ſunt peculiariter addicta. Sacerdotes ſtatim Sacris pro certo onere peractis, in Libris, quos ad hanc rem in omnibus Sacriſtiis retineri præcipimus edito Edicto de Celebratione Miſſarum, eâ, quam præſcripſimus, methodo infallibiliter deſcribant, daturi alioquin pœnas, quas ibidem indicimus. Hunc Librum ſæpè inſpiciant, & à Deputatis inſpici curent noſtri tùm Foranei, tùm Generales Vicarii, ut graviſſimas luant pœnas, qui fraude malâ, aut non celebratas deſcriberent, aut Fundatorum non implerent conditiones: has urgeant omni ſtudio, & Defunctorum voluntates eludi, quæve in fundationum Tabulis cauta ſunt, nunquam omitti patiantur. Append. num. XV.

CAPUT VI.

De Pœnitentia.

TAnquam Sponſus procedens Dominus de thalamo ſuo, ubi noſtræ naturæ primitias ſuſcepit, omnem Eccleſiam in conjugium ſibi perpetuæ incorruptibilitatis aſſumpſit. Conjugii jura bonorum exigunt ſocietatem, & auctoritatis conſortium: dimittere peccata ſolus poteſt Deus; ſed hanc eandem poteſtatem Domini, ac Sponſi ſui jure ſibi vindicat Eccleſia: vindicat acceptam, non

Pſal. 18. ver. 6.

S. Fulgent. lib. 1. ad Traſim. cap. 10.
Marc. 2. ver. 7.
Luc. 1. ver. 21.
D. Ambroſ. lib. 1. de Pœnit. cap. 6.

non uſurpat indebitam; quoniam Dominus noſter Jeſus Chriſtus è terris aſcenſurus ad Cælos, Sacerdotes ſui ipſius Vicarios reliquit, tanquam præſides, & judices, ad quos crimina omnia deferrentur, & donum Dei Baptiſmo comparatum reſtitueretur per pœnitentiam, ſi per peccatum foret amiſſum. Nulla poteſtas major reperitur: Pater omne judicium dedit Filio: Filius omne judicium tradidit Sacerdotibus. Miratus eſt orbis ad juſſa Joſuæ ſtetiſſe Solem, obediente Deo voci hominis. Pluſquam Joſua hîc: placitis hominum obedit Dominus, ubi ad abſolventis Sacerdotis vocem remittit iram; adeo ut quæcumque infernè Sacerdotes confecerint, illa eadem Deus ſupernè rata habeat, ac ſervorum ſententiam Dominus confirmet: Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, quorum retinueritis, retenta ſunt. Tantæ tamen, ac tali prærogativæ ſuæ poſitæ ſunt leges, & conditiones, itaut nonniſi ad Eccleſiæ ædificationem illâ uti debeant Sacerdotes.

Trid. ſeſſ. 14. cap. 5.
S. Chryſoſt. lib. 3. de Sacr. cap. 4.
Joan. 5. ver. 22.
Joſuæ 10. ver. 4.
D. Chryſoſt. lib. 3. de Sacr.
Joan. 20. verſ. 23.

I. Abſolvendi poteſtas ſpeciali Chriſti mandato ſolis Epiſcopis, & Presbyteris commiſſa eſt: falſæ idcirco ſunt, & à veritate Evangelii penitus alienæ doctrinæ omnes, quæ ad alios quoſvis homines clavium miniſterium perniciosè extendunt. Nec Confeſſio alteri, quàm Sacerdoti facta unquam habuit vim Sacramenti: licèt pio quodam, & voluntario affectu in mortis diſcrimine, aut in naufragiis edita, eatenus probata interdum legitur, quatenus ad exercendam humilita-

Trid. ſeſſ. 14. cap. 6.
Can. Si aliquis 26. q. 6. Can. Sanctum eſt. de Conſec. diſt. 4.

ſtatem, & excitandam contritionem apta videbatur. Quia verò ratio judicii expoſcit, ut ſententia duntaxat in ſubditos feratur, perſuaſum ſemper fuit, nullius momenti eſſe illam abſolutionem, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut ſubdelegatam non habet poteſtatem: non enim eſt major defectus, quàm defectus poteſtatis. Nemo igitur in noſtra Diœceſi per ſacramentalem abſolutionem ſolvere, aut ligare præſumat, niſi hanc ſolvendi, & ligandi poteſtatem à Nobis priùs acceperit admotus per Paſtoralis Beneficii collationem ad curam animarum, aut ad excipiendas Confeſſiones approbatus. Si quis autem Sacerdos temerario auſu, non Parochus, non approbatus, ſive Secularis ſit, ſive Regularis audeat etiam venialium excipere Confeſſiones, extra mortis articulum, ſubeat excommunicationem latæ ſententiæ Nobis reſervatam, præter alias pœnas arbitrarias etiam corporis afflictivas, quas reſpectivè a ſacrilegis repetemus. Unicuique ſubeundum erit examen, ut de illius ſemitis, tum in doctrina, tum in probitate morum poſſimus interrogare, ne, cum evidenti casûs periculo, Cæcos cæcorum ductores conſtituamus, ut illos dirigendis Fidelibus Duces deſtinemus, & Magiſtros, qui errant à via veritatis, aut aliis boni eſſe non poſſunt, quia ſibi nequam ſunt. Sciant cognoſcere quidquid debent judicare, nec fieri quærant judices vitæ alienæ, ſi neſciunt moderamina vitæ ſuæ. Et quia paucis datur ſapere ſupra ætatem,

Conc. Trid. ſeſſ. 23. cap. 15.

Prov. 12. ver. 17.

Clemens X. In Conſtit. Superna. § Ad hæc

Append. num. XVI.

Innoc. XI. in Decr. Sacr. Congregat. de Commun. quotid. ſup. cit.

Matth. 15. verſ. 14.

Can. Qui vult ſup. cit.

S. Greg. hom. 26. in Evang.

Rom. 8. ver. 6.

Can. Quem pœnitet diſt. 1. de Pœnit.

Litter. Sacr. Congr. Append. num. XVII

tem, eaque non carnis, ſed ſpiritûs adulta prudentia, & exactum judicium, quæ in Confeſſario ſunt magnoperè neceſſaria, à juvenili, plerumque levi ingenio abhorrent, virtutum merita ſimul, & vitæ tempora computantes, ſolùm provectæ ætatis viros ad hoc munus aſſumemus: quare pro ſubeundo examine Nobis nemo ſe ſiſtat, niſi trigintaquinque annorum ætatem exceſſerit, repulſam alioquin paſſurus, niſi in aliquo, cui in viridi ætate cani, & maturi eſſent ſenſus, urgens neceſſitas cogeret diſpenſandum. Eandem repulſam patientur qui Collationibus Caſuum conſcientię intereſſe neglexerint.

Sup. Lib. 1. cap. 6.

S. Caro. In Inſtruct. pro Fabr. Eccleſ. Sac. Cong. Ss. Inquiſ. in litt. Encycl. De mandato Innoc. XII. die 4. Decemb. 1694.

II. Sacra Confeſſionis Tribunalia ob omnium oculos patente in loco ſint poſita, non in abditos angulos, aut ſubobſcuros receſſus conjecta. Hinc inde feneſtellæ pateant ex ferreis laminis, non ex vimineis, aut ligneis cratibus: & adeò exigua ſint foramina, per quæ vox intercipitur, ut vox quidem audiri, at de vultu cognoſci non poſſint Pœnitentes. Hæ itidem Crates ab interiore parte, quâ Confeſſarius aſſidet oſtiolo ligneo obſerentur, ut Confeſſarii vultus inſpectantium curioſitati non pateat, & ſecreti religioni commodiùs caveatur. Ne Pœnitentes interim animo ad alia evagentur, ubi de genu procumbunt, ea parte, quæ illos reſpiciet, ſacras imagines, aut pias preces habeant appoſitas, quibus ad eliciendos actus Contritionis, Fidei, Spei, & Charitatis juvari poſſint, & excitari: introrſus verò affigantur

gantur Bulla in Cœna Domini, & pagina Caſuum reſervatorum. Suſpenſionis vinculo ſit ipſo facto innodatus, qui mulierum confeſſiones ad pedes procumbentium facie, ad faciem audebit excipere. Audiantur ſemper in ſede Confeſſionali ad crates ferreas, & ubi excepturi erunt Sacerdotes ægrotantium mulierum confeſſiones, ea cautio adhibeatur, ut, ſi locus id ferat, pateant fores Cubiculi, & Sacerdos habens præ manibus linteolum videri poſſit, non audiri. A Presbytero etiam pro ſacro Foro conſidente ſermo brevis, & rigidus habendus eſt cum muliere: & huc trahi poteſt non invitus vetuſtus Canon: Puella Dei familiaritatem non habeat cum Confeſſore, ne amorem ſanctum ſequatur non ſancta dilectio.

Liter. Encycl. Sacr. Cong. Inquiſit. ſup. cit.

Conc. Toletan. I. Can. 6.

S. Hieronym. in c. 2. ep. ad Tit.

III. Sacerdotes ſeculares quoties ad audiendas Confeſſiones accedent, ſuperpelliceo, ſtolâ, bireto, & præcipuè veſte talari utantur. Regulares verò eum gerant habitum, quem in Choro feſtis diebus, prout eorum moribus, aut inſtitutionibus receptum eſt, deferre conſueverunt. In privatis ædibus Laicorum Confeſſiones ſub arbitraria pœna excipi vetamus, niſi aliud graviſſima neceſſitas, aut infirmitas exigeret: & ſi juſta ſuberit aliqua non levis ratio, Adultos Viros etiam Domi audiri connivemus. Illud præcipuè cautum ſit, ne ante ſolis ortum, aut poſt ejus occaſum maximè Mulieres ad Confeſſionem admittantur. Qui hoc Sacramentum Infirmis contulerint, per relictam ſchedulam, aut aliâ viâ id Parocho ſignificent, quò reli-

Ritual. Rom. tit. de Sacr. Pœnit.

Bulla Clem. X. ſup. cit.

reliqua hic poſtmodùm ſacramenta poſſit tutò miniſtrare. Parochi, & alii, quibus ex officio incumbit nullum pervigilium, & Feſtum ſolemnius, nullamque Adventûs, aut Quadrageſimæ diem ſinant effluere, quin ſe ſe paratos exhibeant ad obvios Pœnitentes admittendos in charitate Dei, & patientia Chriſti, qui tales Diſcipulos elegit, qui Dominicæ voluntatis interpretes plebem Dei colligerent, non repudiarent.

2.Theſſalon.3.ver.6

S. Ambroſ. lib. 1. de Pœn. cap. 1.

IV. Munera Excæcant oculos ſapientum, & judicia pervertunt juſtorum, quapropter religioſus ſcelerum vindex, & cenſor morum Confeſſarius, ejus debet eſſe virtutis, de qua ne ſiniſtro quidem judicio ſuboriatur ſuſpicio, quòd obtruſis muneribus poſſit deliniri, Lucri minimè appetens, nihil à pœnitentibus inter excipiendam confeſſionem, nec apertè, nec obliquè petat, imò, & quæ volentes deferunt, reſpuat, nec quidquam etiam ſpontè oblatum in confeſſionali ſede, immediatè ante, vel poſt editam confeſſionem acceptet, ne illud intuitu hujus Sacramenti accipere videatur. Sacris utriuſque teſtamenti paginis eleemoſyna redimendis peccatis aptiſſima commendatur: pœnam comminatus avaris, miſericordiam pollicitus eſt iis Dominus, qui opem ferent egenis, & omnia eis munda fore promiſit, qui erogaſſent eleemoſynam; quoniam ipſa eſt quæ purgat peccata, & facit invenire miſericordiam: ad expugnandam igitur avaritiam, aut alia juſta de cauſa, edici quandoque poterit, & expediet,

Deut. 16. ver. 19.

S.Carol. in Inſtruct. Confeſſ.

Daniel.4. ver.24.

Lucæ 11. ver. 41.

Tobiæ 12. ver. 8.
Can. Medicina & ſeq. De Pœnitent. diſt. 1.

pediet; caveat, tamen ne in ſuum commodum illam vertat Confeſſarius, nec alicui determinato loco, Eccleſiæ, vel Perſonæ attribuat, unde venire poſſit in ſuſpicionem, quod non amet caſtigare vitia, ſed velit extorquere pecuniam, quo factum eſt, ut ipſas pecuniarias Canonicarum ſatisfactionum redemptiones, etiam dum erant in legitimo uſu, ægrè ferret Eccleſia, & nonniſi urgente de cauſa permitteret. Miſſarum celebrationem, aut curam reſtituendi malè ablata, ſibi demandari non quærat: liberum id relinquat Pœnitenti, qui ſi illius operâ uti velit in reſtituendo, pium non detrectet officium, quod dein ſumma fide exequetur exigendo ſyngrapham opportunè Pœnitenti datâ occaſione exhibendam. Si certus Dominus, cui facienda eſt reſtitutio, ignoratur, ea arbitrio Pœnitentis permittatur in pauperes, aut pios uſus impendenda. Si verò certus Creditor ſit pius Locus, quod reſtituendum eſt, non detur clanculum privatâ auctoritate illius Adminiſtratoribus, ſed tacitò reſtituentis nomine ad Nos deferetur, ne diſſipari contingat, alioquin invalida erit reſtitutio, & cum ſecuritati Pii Loci non ſatis conſultum ſit, qui hoc onus in ſe ſuſcepit, ei ſe exponit periculo, ut de ſuo reponere teneatur.

Petr. Damian. lib. 7. ep. 8.

Append. Conc. Lat. par. 2. cap. 3. & 12.

Pſal. 94. ver. 2.

V. Non ſolùm naturali, & Eccleſiaſtico, ſed etiam Divino jure tanta obſtringitur ſigilli tenacitate Sacerdos, ut nihil eorum, quæ ad Confeſſionem pertinent, nec directè, nec indirectè, ſive im-

Can. Omnis ſup. cit.

impertitus fuerit, ſive denegaverit abſolutionem, poſſit retegere. Juxta Sacrorum Canonum Decreta duriſſimas ſubibit pœnas, qui inviolabile hoc arcanum prodere, & aperire utcumque ſacrilego auſu præſumpſerit. Nunquam retegendi ſecreti facultatem extorqueat, imò nonniſi raro, & maxima de cauſa, liberè oblatam acceptet, & tunc eâ utatur circumſpectione, & prudentiâ, ut nemo illum ſuſpicari unquam poſſit Sacramentalis arcani proditorem. Ne ex linguæ intemperantia invidia creetur Sacramento, dum aliquid excidit incogitantiùs, linguæ ſuæ imperet, arcani fidem ſanctè ſervet, & ſcrupuloſè; ut ne generatim quidem de auditis in Confeſſione miſceat colloquia. Ineptias nunquam referat, in quas ſimpliciores homines incidunt; res ſiquidem gravior agitur, quàm quæ Nugatoribus ineptè jocandi materiam præbeat: & commoventur Pœnitentes, quominus fidenter confiteantur, & in arcana conſcientiæ admittant Sacerdotes, ſi ſuam ludi, & traduci ſciant ſimplicitatem.

Can. Sacerd. de Pœnit. diſt. 6.

D. Th. in 4. Sentent. diſt. 21. q. 3. art. 1.

VI. Præoccupemus faciem Domini in Confeſſione, doceatque Parochus, Omnes utriuſque ſexûs, poſtquam facti ſunt per ætatem doli, & rationis capaces, teneri ſemel ſaltem in anno confiteri: quapropter omnia moliatur, ut laudabilem conſuetudinem inducat, inductam ſervari curet, ut tempore Quadrageſimæ, ſacro, & maximè acceptabili tempore, frequentiùs Fideles confiteantur, ut expurgato per dies illos pœnitentiæ decti-

Can. Omnis utriuſque ſexûs de Pœn. & remiſſ.

Trid. ſeſſ. 14. cap. 5.

deſtinatos veteri fermento nequitiæ, agere tandem poſſint feſtum diem in Paſchalibus azymis veritatis, & ſinceritatis, facti nova conſperſio. Præceptum de edenda confeſſione, ineunte hoc tempore, ab illis potiſſimùm impleri ſtudeat, quos parum tangit cura ſalutis, quive, appetente tantùm, Paſchate raptim confiteri conſueverunt, & in ſui judicium, & condemnationem à Sacerdote, ob multitudinem Pœnitentium curis obruto, & fatigato, ſurripiunt veniam, & abſolutionem periculoſam dantibus, & accipientibus nihil profuturam. Statim à lapſu, præcipuè cum juſta ſubeſt timendi ratio, ne grave peccatum memoriâ excidat, Fideles confeſſionem maturent: nec diem ex die ducant, donec veniant in reprobum ſenſum obſtinati. Non tardent converti ad Dominum, nec de die in diem differant pœnitentiam, ſubitò enim venit ira illius: hinc ſæpè moneant Parochi, quàm malè ſibi conſulant, qui in ſupremum vitæ tempus rejiciunt ſalutis æternæ conſilia; quàm dubia, & anceps, & plerumque Deo parum accepta ſit, acta in extremis pœnitentia, quam non deteſtatio peccati, ſed mortis admonitio compellit. Redundantia clementiæ cæleſtis libidinem non faciat humanæ temeritati, quoniam multos ſerotina pœnitentia decepit. Magis adhuc urget confitendi neceſſitas illos, quibus vitæ periculum imminet; iterum igitur Parochos, & Medicos monemus, ut mox ab ingruente morbo, ubi jacentes in lecto inviſunt, curent ab ægroto expiari

S. Cypr. de Lapſ.

Eccl. 5. verſ. 9.

Can. Idcirco de Pœnit. diſt. 7.

Tertull. de Pœnit. lib. 7.

Can. Nullus ib.

Lib. 1. cap. 1. n. 5.

conſcientiam mente adhuc ſanâ, & diſertâ loquelâ: ancipites enim ſunt morborum eventus, & non expectata mors opprimit non raró nil tale
Job. 10. ver. 20. metuentes, & cogitantes: Paucitas dierum eorum finietur brevi, plangant antequam vadant, non reverſuri, ad terram tenebroſam. Si quis Fidelis ſubitâ mortis irruptione obmuteſcit, & quod
Can. Multiplex de Pœnit. diſt. 1. paulò ante poſcebat, ſub præſentia Sacerdotis ſignificare non valet; teſtimonia ei fidelium circumſtantium prodeſſe debebunt, ut reconciliationis beneficium conſequatur: imò abſolutione, ſaltem ſub conditione, donetur, quamvis nullus adſit, qui illius pœnitendi vota ſignis, aut verbis prodita, teſtetur. Si voluntas incerta eſt, mul-
D. Aug. de Adulter. Conjug. tò ſatiùs eſt nolenti dare, quàm volenti denegare, ubi velit, aut nolit ſic non apparet, & tamen credibilius ſit, eum, ſi poſſet, velle ea Sacramenta percipere, ſine quibus jam credidit, ſe non oportere de corpore exire.

Luc. 11. ver. 11. VII. Ne autem impius aliquis Confeſſarius pro pane aſpidem porrigens, pro remedio venenum propinans, Sacroſancto Pœnitentiæ Sacramento ſolicitando Pœnitentes ad turpia, nefando ſcelere, abutatur: præcipimus diſtrictè omnibus, & ſingulis Confeſſariis, quòd, ſi fortaſſe audierint in Confeſſione Pœnitentem ſolicitatum fuiſſe ab alio Confeſſario ad inhoneſta, aut cum eo illicitos, & inhoneſtos ſermones, ſeu tractatus habuiſſe, ſeriò admoneant de obligatione denunciandi exe-
Conſt. Gregor. XV. Univerſi. crabiles hos Animarum Proditores ad noſtrum,

vel

vel ad S. Inquiſitionis Tribunal. Renuentem denunciare nullo modo abſolvant, ſecùs pœnas incurrent à Jure ſtatutas. Rei verò tam horrendi criminis, tanquam de hæreſi ſuſpecti, juxta Pontificias Bullas, ſeveriſſimè punientur. Omnes autem, & ſingulos Confeſſarios, interpoſitâ jurisjurandi Religione, ad obſervantiam eorum, quæ præcipiuntur in Bulla Greg. XIV. contra Solicitantes, obligari volumus, antequam à Nobis ad Confeſſiones audiendas deputentur. Append. nu. XVIII.

VIII. Lapſis non datur reditus ad juſtitiam, niſi per pœnitentiam: in re tanti momenti ad eos, quorum ſolicitudini cura animarum commendatur, ſpectat neceſſitatem hujus Sacramenti ab integro explicare, viam recuperandæ ſalutis aperire, ut verum ex animo pœnitendi modum noſcant, ac diligant Fideles; & validè, & cum fructu percipiant abſolutionem. Parochi, Concionatores, Directores animarum, clarâ methodo, & diligenti ſtudio ſæpè doceant, tria in unoquoque veraciter pœnitente conſideranda eſſe, videlicet converſionem mentis, confeſſionem oris, & vindictam peccati; nam qui corde non convertitur, quid prodeſt, ſi peccata confiteatur? peccatum, quod diligitur, confitendo minimè deletur. Triſtitia ſecundùm Deum pœnitentiam operatur: quapropter peccatores, ſi pœnitentes ſunt, non irridentes, eum animi dolorem, ac deteſtationem de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi decætero, concipiant, ut non ſolùm ceſſationem

Trident. ſeſſ. 14.

S. Gregor. in 1. Reg. cap. 15.

2. Cor. 7. verſ. 10.

S. Auguſt. in lib. 50. hom. hom. ult.

à peccato, & vitæ novæ propoſitum, & inchoationem; ſed veteris etiam odium contineat. Quia cum de ſalute agitur, tutiora conſilia præſtat amplecti, hortentur fideles, ut hunc dolorem, & deteſtationem ex amore Dei ſuſcipiant: ſciant tamen, eam Contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, ſi voluntatem peccandi excludat, cum ſpe veniæ, quamvis ſine Sacramento Pœnitentiæ per ſe ad juſtificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad gratiam, in hoc Sacramento impetrandam, diſponere. Intimum, acremque animi dolorem ſequatur humilis, ſimplex, & aperta peccatorum confeſſio: non per modum narrationis, ſed in amaritudine animæ ſuæ ſincerè, & integrè exponere debet pœnitens, quæ cogitavit, dixit, omiſit, fecit contra legem Dei; aperiat ſcelerum circumſtantias, & ambages ſcitu neceſſarias; quantum fieri poteſt veriſimilem peccatorum numerum declaret; non taceat conſuetudinem: ſi tacet, inveterabunt oſſa ejus. Non ſit in ſpiritu ejus dolus, nec declinet in verba malitiæ, ad excuſandas excuſationes in peccatis. Quia verò hæc duo conjuncta ſunt, ut quis cognoſcere ſe non poſſit, niſi pœniteat, nec pœnitere, niſi ſe cognoſcat; adſcendat homo adversùm ſe tribunal mentis ſuæ, atque ita conſtituat in corde judicium: adſit accuſatrix cogitatio, teſtis conſcientia, vitæ ſuæ tempora

Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 4.

Trid. ib.

Pſal. 31. ver. 2. & 3.
Pſal. 144. ver. 4.

S. Bernar. ſerm. 40. de diver.

S. Aug. lib. 50. hom. hom. ult. ſup. cit.

pora percurrat, quæ in dies impiè geſſit inveſtiget, omnes conſcientiæ ſinus, & latebras exploret, illudque examen confeſſioni præmittat, quod in re ardua, & magni momenti adhiberet. Trid. ſup. cit.

IX. Crimina poſt baptiſmum admiſſa, divinâ id exigente juſtitiâ, ſine magnis noſtris fletibus, & laboribus nunquam ſunt expiata, ut meritò Pœnitentia laborioſus baptiſmus, baptiſmus lacrymarum ab antiquiſſimis Patribus dictus fuerit. Ipſe Apoſtolus inceſtuoſum Corinthium tradidit in interitum, hoc eſt in afflictionem carnis, ut carnis interitus vitam conferret ſpiritui, qui ſalvus eſſet in die Domini. Præclariſſimo Canone cauſas, & neceſſitatem, finem, & fructus chriſtianarum ſatisfactionum, ita complexi ſunt Tridentini Patres, ut eo uno, ſi benè perciperetur, & obſervaretur, ſatis cautum eſſet hac in parte inſtructioni Sacerdotum, & ſaluti pœnitentium. Res tota prudenti conſilio Confeſſariorum committitur, dummodò noverint, ſe certum ſubire periculum, ne alienorum peccatorum participes efficiantur, ſi pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, ſalutares, & convenientes ſatisfactiones non injungunt. Abjiciant hanc à paſtorali vigore patientiam, quæ ſibimet, peccatis aliorum parcendo, non parcit; & meminerint, ſe in hoc Sacramento duplicem perſonam ſuſtinere, Medici, & Judicis; quare præ oculis habere debent, ut ſatisfactio, quam imponunt, non ſit tantùm ad novæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum,

Trid. loc. cit. cap. 2.

Clemens Alexand. ap. Euſeb. lib. 3. hiſt. cap. 17. Greg. Nazian. tract. 40. in S. Lumin. Damaſc. de Fid. Orth. lib. 3. cap. 10.

1. Cor. 5. ver. 5. Ex Origen. hom. 24. in Levit.

Seſſ. ſup. cit. cap. 8.

S. Leo ep 79.

Trid. loc. cit.

tum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & caſtigationem: Pœnitentia crimine minor non ſit. Memores tamen, Deum nolle mortem peccatoris, ſed converſionem; immites, & implacabiles in exigendis pœnis non ſint ita occupati, ut Medici officium obliviſcantur. Singulis quibuſque vitiis obviantia adhibeant medicamenta, ut lubricis continentiam, tenacibus largitatem, iracundis manſuetudinem, elatis præcipiant humilitatem: non ſit minor medicina, quàm vulnus; imò, quia non multùm cavetur, quod facilè ſanatur, ſentiat difficultatem ſanationis, ut ſit major cuſtodia ſanitatis: caveant tamen, ne illud ſit remedium, quo exacerbetur potiùs, quàm curetur morbus, & in imponendis pœnis conſiderent, an eas poſſit ſtatus, & conditio pœnitentis ſuſtinere. Per aſperas, difficileſque ſtationes Flentes, Audientes, Subſtrati, Conſiſtentes progredi olim debebant Fideles ſcelerum conſcii: pia ſimul, ac provida Mater Eccleſia, Filiorum infirmitati ſeſe attemperans, faciliorem pœnitendi diſciplinam nunc temporis concedit: ſuperbientis, ac ſeditioſi ingenii eſt illam improbare. Eccleſia Columna, & firmamentum veritatis, nec probare poteſt pravos mores, nec aliquid inducere, quod recto regimini adverſetur. Illam nos audimus: cum fiducia ſecuræ vocis aſſerimus, quod in gubernatione Domini, Eccleſiæ conſenſione, roboratum eſt; & paucorum temeritati, vel inſcitiæ univerſalis Eccleſiæ Decreta præponimus.

S. Cypr. lib. de Lapſ.

S. Gregor. hom. 32. in Evang.

Cler. Rom. epiſt. 31. apud Cypr.

S. Aug. in Pſal. 6.

Conc. Carthag. IV. Can. 74.

1. Tim. 3. ver. 15.

S. Aug. lib. 7 de Bapt. con. Donat. cap. 13.

Vincen. Lirin. in Common. cap. 4.

X. Momenta ſuſcepti muneris ſeriò perpendant Confeſſarii: precibus, ac ſtudio eam ſibi parent ſapientiam, quæ illi pro meritis obeundo eſt neceſſaria; videantque, ne in quo alios judicant, ſe ipſos condemnent. Non irâ, non odio, non gratiâ, aut alio humano affectu eos commotos eſſe oportet: quoniam non hominis exercent judicia, ſed Dei; & ordine ſuo, non arbitrio noſtro, virtus Spiritûs Sancti debet in hoc Sacramento miniſtrari. Ab ignoto pœnitente ſtatum, conditionem, ea, quæ tractat, negotia inquirant, nec non de tempore ultimæ Confeſſionis, quam edidit, interrogent, ut faciliùs inire poſſint numerum, & qualitatem peccatorum: abſtineant tamen ab alienis, & ſupervacuis interrogationibus, præſertim in ſimplicibus Puellis, rudibuſque Viris percontandis, ne minutâ nimiùm, & exquiſitiore indagine doceant, quæ quærunt, & quærendo plus quandoque reſciant, quàm noſſe vellent, & oporteret. Abſit à vultu ſeveritas, à verbis acerbitas: imbecillitatis humanæ miſericordiâ commoti, benè patientes ſint, ut annuncient, & condolere ſciant iis, qui ignorant, & errant. In objurgandis peccatoribus eo utantur zelo, quem format ſpiritus charitatis, & lenitatis; imò objurgatio ſemper ad finem Confeſſionis protrahatur, ne pœnitens pudore præpeditus, timore deterritus, ſua ſibi crimina exprobrari ægrè ferens, cætera taceat. Cauſas omnes, & occaſiones peccatorum præcidi curent, propterea quòd qui periculum

Rom. 2. ver. 1.
2. Paralip. 19. ver. 6.
S. Cypr. de Lapſ.
Pſal. 91. ver. 15.
Hebr. 5. ver. 2.
Eccleſiaſt. 3.

amat

amat dignus eſt, qui in illo pereat. Damna, & injurias rebus, perſonis, famæ illatas quantociùs reſarciri curent, dilatâ, vel denegatâ abſolutione parere renuentibus. Abſolutionem præcipuè conſuetudinariis, recidivis, & in proxima peccandi occaſione conſtitutis, ne ludant de communione pacis, temerè non impertiant, cùm ſpes probabilis non affulget ſecuturæ emendationis.

Conc. Illiber. can. 47

XI. In deneganda, vel differenda abſolutione habeant præ oculis Epiſtolam Paſtoralem Eminentiſſimi noſtri Prædeceſſoris, in qua ex ſana Patrum, & Conciliorum Doctrina ii recenſentur caſus, in quibus aut protrahi, aut ſuſpendi, aut denegari debet. Opere probent, non verbis eorum promiſſa, qui non ſemel datam fidem fefellerunt. Ubi enim emendatio nulla, ibi pœnitentia vana; & ad emendanda crimina vox Pœnitentis ſola non ſufficit. Manu parcente non contrectent vulnus, quod aperiendum eſſet, & ſecandum: clamabit quandoque æger impatiens per dolorem, gratias aget poſtmodum cùm ſentiet ſanitatem. At quia æquè peccatur nimio rigore, ac nimiâ laxitate, res ad extrema urgendæ non ſunt, ne peccatores abundantiore triſtitia abſorpti deſpondeant animo, aut in deſperationem acti pravis ſeſe totos permittant affectibus. Saniores doctrinas ſemper ſequantur, & tutas partes ipſi eligant, & aliis eligendas proponant. Caveant, ne doceant, defendant, aut ad praxim deducant aliquam ex iis propoſitionibus, quas damnarunt Summi Pontifices de-

Tertull. de Pœnit. cap. 2. S. Greg. lib. 6. in cap. 15. 1. Reg.

S. Cypr. de Lapſ.

2. Cor. 2. ver. 7.

de ſegregandis noxiis paſcuis ſoliciti, quorum ſana doctrina conſtat judicio veritatis, & fulcitur munimine auctoritatis. Damnatas ab Innoc. X. Alex. VII. Innoc. XI. & Alex. VIII. habebunt ad calcem Synodi I. noſtri ſupralaudati Prædeceſſoris. Hîc in Appendice damus, quas prohibuit Innoc. XII. excerptas ex Libro non ſanæ doctrinæ, ex cujus lectione, & uſu fideles ſenſim induci poterant in errores ab Eccleſia Catholica damnatos. Dum editur hæc noſtra Synodus, addimus nuper reprobatas à Clemente XI. qui ſanctiſſimè præſidet Eccleſiæ. In nequitia hominum, in aſtutia ad circumventionem erroris compoſitæ, ſub ſpecie pietatis ita obrepebant, ut inducerentur in errorem, ſi fieri poſſet, etiam electi: at fallere non potuerunt oculatiſſimam Clementis vigilantiam: ut ſuo de vultu cognoſcerentur, & caverentur, detraxit ovinam pellem hiantibus Lupis, depulſis ab iis obſequentis ſilentii latebris, in quibus poſuerant tenebras latibulum ſuum. Confidimus à Deo præſtandum, ut quod operatus eſt in aliis, operetur quoque in Clemente: & in cuſtodia Dominici gregis, hæc ſit pars gloriæ huic reſervata Paſtori, ut ſicut illi Lupos abegere manifeſtos, ita hic depellat occultos.

Ferran. in ep. ad Sever. in p.

Append. num. XIX.

In Conſt. Unigenitus Anno 1713. VI. Id. Septemb.

Matth 24. verſ. 24.

Conſt. Clement. XI. Vineam Dei.

Pſal. 16. ver. 12.

S. Proſper. contr. Collat. cap. 10.

XII. Quoniam ex veteri Eccleſiæ praxi quoſdam Caſus ſibi graviores reſervare conſueverunt Epiſcopi, ut majorem quemdam ſcelerum horrorem incuterent, & invictum obicem illorum opponerent impunitati, ideò ſequentes Caſus No-

Trident. ſeſſ. 14. cap. 7.

Z bis

bis reſervamus, à quibus ſub pœnis, præter nullitatem abſolutionis, quæ per Apoſtolicas Sanctiones conſtitutæ ſunt, nemo, excepto mortis articulo, ſine noſtra impetrata licentia, poſſit abſolvere.

CASUS RESERVATI.

TABULA PRIMA.

Cum Excommunicatione ipſo facto incurrenda.

I. *Adoratio Dæmonis, & invocatio ejus expreſſa: Maleficium: nec non quælibet alia ſuperſtitio, quæ fit cum abuſu Sacramentorum, vel Sacramentalium.*

II. *Oppreſſio Infantis.*

III. *Procuratio abortus, tum opere, tum conſilio fœtus animati, ſecuto effectu.*

TABULA SECUNDA.

Sine Excommunicatione.

I. *Blaſphemia hæreticalis, & alia quæcunque publica, & enormis in Deum, Beatam Virginem, & Sanctos.*

II. *Superſtitioſa verba, ſeu Signa ad ſanitatem recuperandam, quæ obſervantiæ Sanitatum dicuntur.*

Digitized by Google

cuntur: nec non quælibet ſuperſtitio, etiam ſine abuſu Sacramentorum, vel Sacramentalium.

III. Retentio Infantis in lecto ante annum expletum ſine repagulo, aut alia cautione ultra dimidiam horam pro qualibet vice, etiamſi non ſit ſecuta ſuffocatio.

IV. Procuratio abortus, tum fœtus animati, tum inanimati, etiam non ſecuto effectu.

V. Percuſſio Patris, vel Matris.

VI. Inceſtus in primo, & ſecundo gradu Conſanguinitatis, ac in primo gradu Affinitatis, etiam ſpiritualis: nec non quæcunque copula carnalis cum filiis, vel filiabus ſpiritualibus, ſeu propriis Parochianis: quibus in caſibus non comprehendimus in reſervatione Mulieres, quæ tamen abſolvi non poſſint ab eodem Confeſſario, cum quo delictum commiſerunt, vel cum ejus aſſociatione, ſeu participatione.

VII. Actus Sodomiticus conſummatus, tam activè, quàm paſſivè, etiam cum fœminis: Stuprum violentum: Beſtialitas: necnon Lenocinium Viri in Uxorem, Parentum in Filias, ac Fratrum in Sorores.

VIII. Homicidium voluntarium, etiam quoad mandantes, conſilium dantes, & auxilium præbentes.

IX. Falſum Teſtimonium contra Proximum in judicio, vel in damnum alicujus Eccleſiæ.

X. Negligentia, ſive malitia in ſatisfactione piorum Legatorum ultra ſex menſes à die ortæ obligationis.

Digitized by Google

XI. Mittentes Superioribus epiſtolas, ſeu preces tacito, vel ementito nomine, quas vulgò vocant Memoriali ciechi, *continentes calumnias, impoſturas, ſeu falſa delicta contra aliquem.*

In reſervatione Caſuum tam primæ, quàm ſecundæ Tabulæ non comprehenduntur Pueri, & Puellæ ante duodecimum ætatis annum expletum.

CAPUT VII.

De Sacramento Extremæ-Unctionis.

Pſal. 144. ver. 8. Miſerator Dominus, patiens, & multùm miſericors per omnem vitæ ſeriem Fideles

Ephes. 6. ver. 16. ſuos virtute induit ex alto, ut adversùs tela nequiſſimi hoſtis communiat: at cùm in vitæ exitu

Trid. ſeſſ. 14. cap. 1. de Extrem. Unct. majus immineat periculum, major, & multò durior inſtet cum hoſte conflictus, ut ſpem erigeret, &

Marc. 6. robur adderet ad victoriam, inſtituit Extremæ-Unctionis Sacramentum à Marco indicatum, per

Jacob. 5. ver. 14. Jacobum Apoſtolum Fidelibus promulgatum, & commendatum. Infirmatur igitur quis in vobis inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, & oratio fidei ſalvabit infirmum; alleviabit eum Dominus, pacatam mentem inter morbi incommoda, & felicem exitum inter Dæmonis inſidias impertiendo: ſi in peccatis fuerit, dimittentur ei; eluet ſcilicet ſacra Unctio peccati reliquias, ut amoto omni obice, qui conſecutionem cæleſtis regni

regni impediebat, cum bonum certamen certaverit, & curſum conſummaverit, coronam gloriæ recipiat; & inſtante tempore reſolutionis, ſit benè comparatus ad aditum vitæ æternæ, in quam non ingreditur aliquid coinquinatum. 1. Tim. 4. ver. 7. Apocal. 21. ver. 27.

I. Ut periculoſiores ſunt in exitu vitæ Dæmonis artes, qui inſidiatur calcaneo; ita & operoſiora debent eſſe Parochi ſtudia in cura animarum, ne proficiat inimicus in eas, & Pater iniquitatis non apponat nocere eis. Ubi igitur aliquem noverint gravi morbo decumbere, ac mortis periculum probabiliter timeri reſciverint, ſibi perſuadeant in prompta Paſtoris charitate, eo tempore maximæ tribulationis, ſitam eſſe præcipuam ægrotantis fiduciam. Quare incerti de nuncio non cunctentur, ſed religioſi pro officio, ſoliciti pro neceſſitate pergant, & cum feſtinatione contendant præſtare neceſſaria omnia pietatis officia: neſcit enim tarda molimina Spiritus charitatis. Affectu urgente, allaturos in agone præſentiſſimum Sacræ Unctionis præſidium, nec aſperitas, aut prolixitas itineris retardet, nec pluvia dies, aut hora intempeſta deterreat. Damnabilis eſt eorum ſolicitudo, qui, ut ſe ab hac cura expediant, plus æquo maturant inungere Infirmos, etiamſi nullum ſubſit mortis periculum: Hæc enim Sacra Unctio Infirmis adhibenda eſt, qui ita periculosè decumbunt, ut in exitu vitæ conſtituti videantur: unde & Sacramentum exeuntium appellatur. Quamvis autem iis dari debeat, qui morti ſunt pro- Gen. 3. ver. 15. Pſal. 88. ver. 23. Ex D. Ambroſ. in cap. 1. Luc. lib. 2. Trid. ſup. cit. cap. 3

proximi, nihilominus ad vitæ exitum non eſt differenda, quando in ſummis labiis eſt anima, & ſenſus omnes ita obruti, & effœti ſunt, ut ſibi non conſtet ægrotus, nec aliquid audiat, aut intelligat: juvat profectò, ſanâ adhuc mente, illam percipere, cùm ad uberiorem gratiam plurimùm conferre poſſit ſuſcipientis devotio. Eum errorem, qui multorum animis inſidet, moliantur eximere, nimirum, quod Unctio certum ſit mortis indicium, & infallibilis prodromus, ex quo fit, ut multi quandiu de ſanitate ſperant, illam refugiant, aut multò ſeriùs, quàm oporteret, accipiant, cum jam urgente morbo de poteſtate mentis exierunt. Doceant contrà, hoc Sacramentum pro fine, & effectu propoſitam habere nedum peccatorum veniam, verùm etiam ipſam corporis ſanitatem, ſi expedierit. Non eſt itaque parvipendenda ejuſmodi medicina, quæ animæ, corporiſque medetur languoribus.

D. Th. in 4. diſt. 23. q. 2. art. 2.

Conc. Cabiloncn. cap. 48.

II. Nullus ſe in hujus Sacramenti adminiſtrationem ingerat, qui in ægrotum, aut ordinariam, aut delegatam non habet juriſdictionem. Parochus igitur tantùm Extremam-Unctionem creditæ ſibi plebi adminiſtret, vel, eo impedito, alius Sacerdos, cui illius adminiſtrandæ Parochus fecerit poteſtatem. Confeſſarii ordinarii illam diſpenſent ſuis Monialibus: Regulares nonniſi ſuis ſubditis: eiſque diras pœnas revocamus in mentem, quibus Sacri Canones percellunt Religioſos, qui hac in parte Parochialia jura audent occupare.

Clement. 1. De Privilegiis. Clementina Dudum de Sepultur.

pare. Quod ſpectat ad debitam, & rectam illius adminiſtrationem, illud in cæteris maximè caveatur, ne quid fœdum ſuboleat vas, in quo ſacra materia continetur. Si acceptum ab Epiſcopo oleum ex frequenti uſu imminueretur in dies, ut deficere timeretur, Cathedralem Eccleſiam adeat Parochus, aut parum quid olei non conſecrati affundere poterit, in minore tamen quantitate, ne improvidâ mixtione dubia reddatur materia. Vas ſericæ burſæ incluſum, & ſericis funiculis collo appenſum reverenter ferat; irreverentiæ pericula caveat; quantùm patitur locorum conditio, cubiculum, in quo jacet inungendus Infirmus, decenter præparari provideat; eaque omnia religiosè ſervet, quæ in Rituali Romano præſcribuntur. Quas partes inunxerit, exquiſitè, habitâ honeſtatis ratione, goſſyppii globulis tergat, eoſque, expletâ ſacrâ functione, ſecum deferat comburendos, & reponendos in Sacrario. Si per infirmitatem licet, poſt editam confeſſionem, & perceptum Viaticum conferatur hoc Sacramentum; explicare non omittat Sacerdos, paucis tamen, effectus, qui inde redire ſolent ad Infirmos, ubi cum debita diſpoſitione ſuſcipitur: ad æternæ gloriæ ſpem, ad divinæ miſericordiæ fiduciam, per Chriſti mortem, & merita ſedulò excitet; illudque in primis benignè urgeat, ut abductus à terrenis curis animus, æternis unicè intendat, & ſi exeundum eſſet ex hac vita, à vinculis corporis exolvi non doleat, imò potiùs amet dimitti in pace,

Cap. Quod in dubiis de Conſecr. Eccleſ.

Lucæ 2. vér. 29.

Tertull. lib. 1. ad Uxor.
Philip. 1. ver. 23.

pace,&,quod fuit Apoſtoli votum, cupiat diſſolvi, & eſſe cum Chriſto. De his omnibus monendi iterum venient Parochi ſuo loco. Quando aderimus, ſi timetur interitus, curent ut Familiares, & Domeſtici, quácumque, vel intempeſtâ horâ Nos advocent, ne Infirmus decedat ſine Apoſtolica benedictione, quam pro facultate à Summo Pontifice Nobis clementiſſimè tradita, nunquam impertiri gravabimur.

D. Th. in 4. diſt. 23. q. 2. art. 2.

III. Pueris, qui uſum rationis, & diſcretionis habent, quamvis alia Sacramenta non receperint, conferatur: non iis denegetur, qui in phreneſim inciderunt, aut mente ſunt moti, ſi ſui compotes quondam fuerunt, imò & ipſis ab ortûs initio amentibus, ſi intervallata fuerint eorum deliria, modò abſit irreverentiæ periculum. Adminiſtrandum eſt quoque illis, quibus ex inflicto lethali vulnere mortem imminere probabiliter credimus. Senio item confectis, ac tabo exeſis, cùm guttatim vivere, & ad mortem properare prævidentur, conferri debet, etiamſi non alia illos premat infirmitas, quàm immedicabile ſenium. Si ægrotus convaleſcat, & iterum ex recurrente morbo mors immineat, repetatur: Apoſtolus hoc ſe indicat velle, ut quoties quis infirmatus fuerit, toties inungatur. Conferendum eſt etiam iis, qui, morbo ſtuporem mentis incutiente, ſenſibus ſunt deſtituti, ſi modò vivant, & dum integrâ erant mente, hoc Sacramentum petierint: imò etiamſi omnem, vel cogitationem, petendæ Sacræ

S. Carol. in Inſtruct. de Extrem. Unct.

Petr. Cluniac. epiſt. lib. 1. ep. 7.

Un-

Unctionis repentina vis morbi præveniſſet, ſi Chriſtianam Vitam inſtituerint; ipſa enim tunc publica noſtræ Religionis profeſſio, & chriſtianè inſtituta vita, ſplendidè, & clarè, quantum homini cognoſcere fas eſt, voluntatem teſtatur ægroti à Deo, & ab Eccleſia miſericordiam implorantis. Denegetur autem notoriis Excommunicatis, & aliis, qui impœnitentes decederent.

IV. Ut ſancta ſanctè nedum tractentur, ſed etiam cuſtodiantur, Olea Sacra procul ab omni injuriæ periculo, ſummâ diligentiâ, patente in loco, ac decenter ornato religiosè ſerventur ad latus Aræ maximæ; aut prope illam, in qua Venerabile Sacramentum adoratur. Is locus muniatur clave, quam Parochus cautè cuſtodiat, & ſuperiori oſtioli parti, aureis literis, hæc inſcribatur epigraphe: Olea Sacra. Parochi dum verba habent ad populum, agant etiam de hoc Sacramento, recenſendo, & explicando ea beneficia, & commoda, quæ tum ad animam, tum ad corpus inde ſolent derivare: hortentur fideles, ut opportuno tempore Sacrâ Unctione præmunire ſatagant ſuum exitum, & dum egrediuntur de Mundo in cæleſtes ædes à *Sponſo deducendi, ſimiles non ſint fatuis Virginibus, quæ paſſæ ſunt repulſam, quoniam non ſumpſerunt oleum ſecum.*

Cap. Statuimus de Cuſtod. Euchariſt. Chriſm. &c.

Matth. 25. verſ. 3.

CAPUT VIII.

De Ordine.

D. Dionyſ. de Eccl. Hier. cap. 1. Clemens Alexand. lib. 6. Stromat.

A Cælo ad homines delapſos ordines, ſi cæteræ deeſſent, ex eo perſpicuum foret, quòd Cæleſtes in Terris functiones de proximo imitatur Eccleſia. Religioſiſſimum cultûs Deo exhibendi miniſterium ab Angelicis Choris ad Eccleſiaſticos Ordines devolutum eſt, ut una ex imis, & ſummis ſacra coaleſceret Hierarchia. Non minùs adminiſtros ſui operis accerſivit Deus Angelos, quàm Sacerdotes: utriſque ſalutem commiſit Populorum, utroſque ad tuendum ſuum gregem deſtinavit; ita ut Angeli in partes veniant Sacerdotum, Sacerdotes munia occupent Angelorum. Omnes ſunt adminiſtratorii Spiritus in eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis: *Purgandi*, *Illuminandi*, *Perficiendi* functiones etiam noſtra Hierarchia complectitur, ita ut ſi graduum munia, & inſtitutionis fines conferamus, utramque in una, aut alteram in altera liceat intueri. Ut autem maxima eſt in Eccleſia Ordinis neceſſitas, & dignitas, ita & periculoſa admodùm eſt collatio; nec fortè de re alia habemus plura, aut præſtantiora inſtituta, & exempla Patrum plena ſapientiæ, & pietatis, quibus inhærendo.

D. Ambroſ. in cap. 2. Luc.

Hebræor. 11. ver. 14.

Hebr. 5. ver. 4.

I. Nemo ſibi ſumat honorem, ſed qui vocatur:

catur à Deo tanquam Aaron; ſi ita fiet, qui honoris eſt auctor, ipſe fiet adminiſtrationis adjutor, & ne ſub magnitudine gratiæ ſuccumbat infirmus, dabit virtutem, qui contulit dignitatem. Quapropter, ut videamus, & probemus, quo quis ſpiritu ductus ad petendos ordines rapiatur, antequam primâ Tonſurâ initietur, ſaltem per ſex menſes, de noſtra licentia, geſtet habitum clericalem, & in ea veſte in Parochiali Eccleſia divinis interſit officiis. Si qua par eſt pietatis aſſiduitate, hoc primum Religionis rudimentum obierit, tum Tonſurâ donabitur, dummodo tamen cæleſtis Vocationis non levia exhibeat documenta, & exploratum ſit attonderi ſe velle caſto eo animo, ut ad ſacros Ordines aliquando promotus Deo, & Altari perpetuam impendat ſervitutem. Hæc eſt Porta Domini, juſti intrabunt per eam, ſi ex generatione erunt quærentium Dominum. Non obrepant Eccleſiæ, ut diſperdant, & rapiant; malâ fraude quæſtum non quærant, ne ſectatores turpis lucri, aliquâ hæreditate, poſſidere ſanctuarium Dei, aut publicis rationibus obnoxii ſeculare judicium declinare, & eludere velle videantur. Qui igitur Eccleſiaſticæ Militiæ per Tonſuram nomen dare deſiderat, de his habeat Teſtimonia.

S. Leo ſerm. 1. in die Aſſumpt. ſuæ.

Matth. 4. verſ. 1.

Trid. ſeſſ. 23. cap. 4.

Pſal. 117. ver. 20.

Pſal. 23. ver. 6.

1. Tim. 3.

Pſal. 82. ver. 13.

De legitimo Natali, Baptiſmo, Confirmatione, & ætate, quæ ſeptennio ſit major.

De Vita, & moribus, frequentatione Doctrinæ Chriſtianæ, frequenti uſu Sacramentorum, de nullo

corporis, animi, vel famæ defectu à Parocho, vel reſpectivè à Rectore Seminarii de diſciplina exactiſſimè ſervata, ſi in Seminario degat.

De profectu in literis, & modeſtia in Scholis à Ludimagiſtro.

De Beneficio in noſtra Diœceſi obtento, aut domicilio ibi legitimè contracto.

De ſpe, quam præbet, ſe in Clericalis ordinis diſciplina permanſurum, non ad effugiendum judicium ſeculare, ſed ut Deo fidelem cultum præſtet hoc vitæ genus elegiſſe: Hoc teſtimonium habeatur à Parocho, aut ab alio fide digno Sacerdote, interpoſito juramento.

Atteſtationem item referat à Foro criminali locorum, ubi habitat, ſe nunquam fuiſſe inquiſitum, neque, ut ajunt, proceſſatum, neque aliquo crimine damnatum.

Iſidor. de Offic. Eccl. lib. 2. cap. 4. — Cap. Præterea de Apoſt. Cap. Tuæ ib. — S. Ambr. ep. 17. — S. Hieronym. ep. ad Nepot.

Meminerint Tonſurati Sacerdotium, Regnumque Eccleſiæ in eis figurari, ut impleatur, quod dictum eſt: Vos eſtis Genus electum, Regale Sacerdotium. In Clerum adſciti ſciant, profeſſum Clericatum abdicare, genus quoddam veluti Apoſtaſiæ habitum ab Antiquis Patribus, & Canonibus; & ſi in omni alio genere hominum intolerabilis eſt inconſtantia, in iis, qui rei divinæ intendunt rem eſſe plenam doloris: Interpretentur denique vocabulum ſuum, ut nitantur eſſe, quod dicuntur: vocantur Clerici, quia de ſorte ſunt Domini, vel quia Dominus ſors illorum eſt: tales ſe exhibeant, ut poſſideant Dominum, & poſſideantur à Domino...

II. Ne-

II. Ne profani de ſeculi luto irrumperent ad Ordines Eccleſiæ, per primam Clericalem Tonſuram à laica conditione ſecreti, Deo devoventur, ut ſint Majorum Ordinum Candidati. Primam Tonſuram igitur, aut Minores Ordines iis non conferemus, quos in inferioribus gradibus ſeneſcere velle juſtè timebimus. Si promoveri amant ad Ordines minores, ſpem ſatis certam faciant, quòd ad ſuperiores, quandoque erunt progreſſuri; & per aliquod temporis ſpatium ab ignominia, & ſervitute ſecularis habitûs liberati probent non obſcuris indiciis, ſe verè exuiſſe veterem hominem cum omnibus actibus ſuis, & novum induiſſe, qui ſecundùm Deum creatus eſt. Intelligant ſaltem linguam latinam, ſpeſque eluceat, & expectatio non vana, in eis, unà cum ætate, auctum iri etiam doctrinam. Qui igitur ad aliquem Minorem Ordinem aſſumendi erunt, exhibeant literas Teſtimoniales.

Conc. Trid. ſeſſ. 23. cap. 11.

Pontifical. Roman.

Trid. ſup. cit.

De Tonſura, vel minore Ordine ſuſcepto.

De Vita, & moribus, ut ſupra.

De Clericali habitu nunquam dimiſſo, & Tonſura ad præſcriptum Concil. Trident. & noſtrarum Conſtitut.

De ſervitio Eccleſiæ, & exercitio collati Ordinis à Præfecto Chori.

De Cantu Gregoriano ab uno ſaltem Examinat. in hanc rem deſtinat.

De progreſſu in ſtudiis, & modeſtia in Scholis à Ludimagiſtro, ut ſupra.

De

De frequentia ad Congregat. Caſuum Conſcientiæ, & Lect. Sacræ Scripturæ.

De Exercitiis Spiritualibus à Directore.

S. Ambroſ. de Dign. Sac. cap. 5.

1. Tim 2. ver. 15.

Actor. 6. ver. 3.

Conc. Carthag. III. Can. 27. & IV. Can. 22. relat. in Can. Nullus ordinetur, & Can. Epiſcopus diſt. 24.

III. Major de Sacris Ordinibus eſſe debet cura, & ſolicitudo, quoniam magna ſublimitas magnam debet habere cautelam. Ut haberet Eccleſia Operarios inconfuſibiles, & Viros duntaxat boni teſtimonii ad Sacros Ordines promoveret, in more olim poſitum fuit, ut Populus ferret publicum teſtimonium de vita, & moribus illius, qui Sacris admovebatur. Dilapſa hæc diſciplina ſua adhuc ſervat veſtigia, cùm in eum ceſſerit uſum, ut ternâ denunciatione provocetur Populus, ſi quid Candidato habet objiciendum. Ubi igitur per ſtata temporum intervalla, in minoribus Ordinibus quis ſubſtiterit, & piâ aſſiduitate miniſterium, quod acceperat impleverit; ſi ad Sacros Ordines adſcendere cupit, & fieri Subdiaconus, Nos ſaltem ante duos menſes adeat, ut Eccleſiarum Rectoribus facultatem faciamus denunciandi de more, inter Miſſarum ſolemnia, in Parochiali Eccleſia ejus nomen, & deſiderium. Sed præter hanc publicam inquiſitionem Parochus, quos magis fide dignos noverit, de illius vita, moribus, & natalibus interroget, & Nos ſecretò quàm citiſſimè moneat, ſi defectus aliquis, aut canonicum impedimentum innotuerit: ut ii tantùm, qui maximè digni fuerint, quorumque prior vita, ac omnis ætas laudabiliter acta teſtimonium præbet, ſecundùm venerabiles Sanctorum Patrum ſanctiones aſſumantur.

Coloſſ. 4. ver. 7.

Trid. ſeſſ. 23. cap. 5.

Conc. Trid. ſeſſ. 6. de Ref. cap. 1.

IV. Nil

IV. Nil ditius Chriſtianâ paupertate; at hominum vitio factum eſt, ut ſordeat: ne quid detrimenti caperet Eccleſia ex Clericorum egeſtate, qui, preſſi inopia, in Laicorum deſpectum veniunt, aut malis, vel ſordidis artibus illam ſtudent declinare; cautum eſt, ut nulla, ſine ſufficienti titulo, ſacra fieret ordinatio. Initiandi igitur ſacro Subdiaconatûs Ordine, habeant titulum Eccleſiaſtici Beneficii, & is ſit, qui Clerico honeſtè alendo ſufficiat. Hunc autem nec cedere, nec reſignare poſſit, niſi, Nobis conſultis, alius ſuppetat ad commodam ſubſtentationem. Beneficium ſemper fuit, & etiam nunc eſt Canonicus ad Ordines Titulus, at Titulus quoque Patrimonii jam olim admitti cœpit, in iis, qui de ſua, vel paterna hæreditate ſubſidium vitæ poſſunt habere, & perantiquæ adhuc leguntur literarum teſtimonialium formulæ de Patrimonio ſufficienti. Si eximia Perſonæ virtus, urgens Eccleſiæ neceſſitas, aut magna illius utilitas, hunc titulum coget admittere, cavebimus, ne aut commentitium, aut diminutum ingeratur. Patrimonium igitur, aut proprium ſit, aut à Genitoribus, vel Fratribus, aut Patruis conſtitutum in Bonis ſtabilibus, frugiferis, nullo alieno ære gravatis, aut hypothecâ affectis, cujus annui reditus, jurato peritorum judicio, ſine Fratrum, ac Sororum, ſi quæ extent, detrimento ad quadraginta ſcuta monetæ adſcendat; detractis omnibus, tùm publicis, tùm privatis oneribus. Inter ea Bona admitti nolumus Domum,

Trid. ſeſſ. 21. cap. 2. Can. Diaconi ſunt. §. Nunc autem, Voſ. Mendicat. diſt. 93. L. Si plures, C. de S6. Eccleſ. Can. Neminem. Can. Sanctorum. diſt. 70. Cap. Accepimus. de Ætat. & qualit. Ordinand. Cap. Non liceat de Præbend.

Trid. ſup. cit. Cap. Per tuas. De Simonia.

Alex. III. in Conc. Lateran. Relat. in Cap. Epiſcopus de Præbend.

Liter. Encycl. Sacr. Congreg. Conc. 13. Maii 1679. Cap. Super ſpecula de Præben. Cap. Cum ex eo de Elect.

mum,

mum, in qua Ordinandus degit, imo nec alias ullas, exceptis Locis populoſioribus, ubi faciles ſunt locationes: nec ſolùm de valore in proprietate deponant Teſtes, aut de reditu in confuſo, ſed quatenus Terræ, vel Bona plura erunt, de reditu, & pretio ſingulorum jurati, ut ſupra, teſtentur. Fiat horum omnium documentum in Cancellaria, & inter Miſſarum ſolemnia in Cathedrali, aut Parochiali illius loci, in quo poſita ſunt Bona, publicetur, & rebus omnibus ritè expletis inſtrumentum publicum aſſignationis Patrimonii, aut fiat in noſtra Cancellaria, aut ad illam recognoſcendum deferatur.

Sac. Congreg. Conc. 16. Martii 1630.

V. Ut omnem, quoad fieri poteſt, fraudibus aditum præcludamus, tàm Conſtituens, quàm Ordinandus, interpoſitâ juramenti Religione, teſtentur Patrimonium verum eſſe, & reale, nulli obnoxium obligationi, & in plena Clerici poteſtate: non vi, metu, dolo conſtitui, ſed liberâ voluntate: nullum initum inter eos pactum, nec tacitam, aut expreſſam intercedere conventionem, qua inſtrumenti vis ullo unquam tempore, vel modo labefactari poſſit: juramento item promittat Ordinandus, ſe nunquam alienaturum, aut permutaturum Patrimonium, niſi de noſtro conſenſu, pacificam adierit poſſeſſionem Eccleſiaſtici Beneficii, cujus cenſus ad honeſtam ſuſtentationem ſufficiat: Clericus autem, qui falſum, fictum, aut fiduciarium Patrimonium ſupponit, incidit ipſo jure in ſuſpenſionem, à cujus vinculo relaxari non poteſt

Trid. ſeſſ. 21. cap. 2.

Cap. Cum ſecundum de Præbend. Can. Sanctorum ſup. cit.

poteſt, niſi reali Patrimonio conſtituto. Sciant igitur multis in modis hac in parte gravari conſcientias, ſi Nobis illudant, & tùm ipſos, tùm illos omnes, qui conſilium, aut operam præſtabunt, graviſſimis pœnis ſubjiciemus. Ordinandus igitur ad ordinem Subdiaconatûs hæc deferat documenta. Cap. Per tuas. De Simonia.

De ætate legitima 22. ſaltem annorum inceptorum.

De Titulo ſufficienti, ut ſupra probato.

De Denunciationibus factis, ut ſupra.

De Ordine proximè ſuſcepto,

De Interſtitiis, vel cauſa diſpenſandi ſuper eiſdem.

De Exercitiis Spiritualibus, & cæteris, ut ſupra.

Qui inaugurandus eſt Diaconus, præter ea, quæ Subdiaconis præſcripta ſunt, doceat

De ætate 23. annorum ſaltem inceptorum.

De Ordine Subdiaconatus proximè ſuſcepto.

De Functionibus, & exercitio hujus Ordinis.

De frequentiore Sacramentorum uſu, & perceptione Sacræ Eucharistiæ per manus Sacerdotis ſolemniter celebrantis, ubi miniſtraverit Altari.

De Interſtitiis, aut cauſa ſuper eiſdem diſpenſandi.

Demum ad Presbyteratûs ordinem promovendus, præter ea documenta, quæ à Diacono, & Subdiacono exhibendaſunt, teſtimonium habeat

De ætate legitima 25. annorum inceptorum.

De ſervitio præſtito Eccleſiæ in Ordine Diaconatus.

 Ut

Ut maturè autem hæc omnia requiſitorum documenta diſcutiantur, per aliquot dies ante examen, eà ad Vicarium noſtrum Generalem deferat, iterum producenda, dum inſtituetur examen.

VI. Qui ex aliena Diœceſi Nos, pro ordinibus ſuſcipiendis adire voluerit, literas dimiſſoriales ſui Ordinarii intra bimeſtre conceſſas tempeſtivè exhibeat. Si quis autem ex noſtris Subditis ad eludenda judicia noſtra, & declinandam juriſdictionem, ſine literis noſtris dimiſſorialibus alieno Epiſcopo, ſe ad Ordines promovendum, imò vel ſolâ primâ Tonſurâ initiandum, ſiſteret, præter pœnas à Sacro Conc. Trident. & Sacris Canonibus inflictas, alias quoque, eaſque graviſſimas, Nobis rependet. Qui verò de licentia noſtra ab alio Catholico Antiſtite fuerint ordinati, atteſtationem Ordinis ſuſcepti, infra duos menſes, ad noſtram Cancellariam deferant, ut in Ordinatorum album deſcribantur: & ne qua fraus fiat, aut lis oriatur, neve temerario auſu quis alieno Epiſcopo extorturus Ordines ſubrepat, quæ in Conſt. Innoc. XII. *Speculatores* præſcripta ſunt, inviolabiliter obſerventur. Quoniam probandi ſunt Spiritus, utrum ex Deo ſint, & ſolicito ſtudio diſcutiendum, an Caro, & Sanguis, vel Pater Cæleſtis ad tam ſublime genus vitæ vocaverit; vix, ac ne vix quidem aliquem ad Sacros Ordines promovebimus, niſi in Seminario ab Eminentiſſimo noſtro Prædeceſſore, hac de cauſa ampliſſimè excitato, in Eccleſiaſticis diſciplinis, & ſanctis moribus aliquandiu fue-

Can. Illud, & ſeq. diſt. 71. Can. Nullus 9. q. 2. Can. Alienum 19. q. 2. Cap. Nullus de Parochiis.

Trid. ſeſſ. 14. cap. 2. de Refor. & ſeſſ. 23. cap. 8.

Append. num. XX.

1. Joan. 4. ver. 1.

Matth. 16. ver. 17.

fuerit inſtitutus, & probatus; & ubi ordinationis dies imminebit ad peragenda exercitia ſpiritualia, per decem dies indiſpenſabiliter ſpiritu ferventiore collecti ſe recipiant Ordinandi, quibus ſpiritualibus exercitiis cæteros omnes, etiam ad minores Ordines, volumus præparari.

Liter. Encycl. Sacr. Congreg. de mand. Innoc. XI. 9. Octob. 1682.

VII. Cum ad ſacros Ordines Apoſtolus Neophytos venire prohibeat; ſciendum nobis eſt non ſolum in fide, verùm etiam in Chriſti militia noviter inſertos, Neophytos appellari; quare neceſſe eſt, ut quamvis inculpati quiſque ſit meriti, ante tamen per diſtinctos Ordines, Eccleſiaſticis exerceatur officiis, & per conſtituta, Majorum ordinatione, interſtitiorum tempora, ad ſupremum Sacerdotii gradum contendat, ut aſſueſcat in Domini caſtris, videat quod imitetur, & diſcat quod doceat. Sacris igitur neminem admovebimus, niſi in Minoribus ſacra noſſe, & exercere didicerit, ac ſtata inter Ordinum ſuſceptionem intervalla temporum ſervaverit. Si juſta de cauſa cum aliquo indulgendum erit, nemo noſtras aures obtundat impudenter feſtinus, & importunus: etiam non requiſiti illa minuemus, ſi minui exiget, non privata utilitas, ſed Eccleſiæ neceſſitas, cui Nobis incumbit providere. Quia oneratur noſtra conſcientia, noſtroque arbitrio committitur exequi Indulta Apoſtolica ſuſcipiendi Ordines extra conſtituta tempora, quæ nonniſi ex certis, legitimiſque cauſis tribuuntur; ideò ſedulò cavebimus ne falſis precibus, dolove malo ſint impetrata. Ut ſacris

S. Greg. lib. 4. ep. 50. Nicol. III. ep. 12.

Conc. Sardicen. can. 20.

Can. Quicumque. Can. In ſingulis. Can. Si quis diſt. 77.

S. Greg. lib. 7. ep. 100

Trid. ſeſſ. 23. cap. 13. & 14.

Append. num. XXI.

ſuis incrementis tuto gradu ad ſummum apicem procedatur, ſua quoque inter minores Ordines emetienda erunt interſtitia; & ut interim per juſtè diſpenſata tempora quiſque poſſit accepti Ordinis defungi miniſterio, deſperet ad novos Ordines poſſe promoveri, qui jam ſuſcepti functiones non obierit. Hujuſmodi ſervitio, etiam à minoribus Clericis præſtando, conſultura Trid. Synod. reſtituit Chalcedonenſi Decreto priſtinum vigorem, ipſaque Ordinatione, & non Beneficio tantùm addictos voluit alicui Eccleſiæ, in qua reſidentes Eccleſiaſticis fungerentur officiis. Non ſemel profectò aliter factas ordinationes improbavit Eccleſia, adeò ut invidioſo Acephalorum nomine eos notaverit, qui ſine titulo, & præfixo in aliqua Eccleſia miniſterio, incertis vagabantur ſedibus. Quapropter non ſolùm Beneficiatos, & Cappellanos; ſed ipſos quoque promotos ad titulum Patrimonii propter neceſſitatem, aut utilitatem alicujus Eccleſiæ, ita ſuo volumus devinctos miniſterio, ut ſine noſtra licentia Diœceſim deſerere non poſſint, ſub pœna ſuſpenſionis ab exercitio Ordinum.

Trid. ſup. cit. cap. 11.
Can. VI. Relat. in Can. Sanctorum diſt. 70.
Innoc. III. in Cap. Cum ſecundùm de Præbend.
S. Iſidor. de Eccleſ. Offic. lib. 2. cap. 3.
Trid. ſup. cit. cap. 16.

VIII. Apparuit Filius Dei, ut diſſolvat opera Diaboli, hancque etiam ejiciendi Dæmonia poteſtatem, inter cætera dona, reliquit Eccleſiæ. Eam tamen nemo, ſine noſtra licentia, ſub graviſſimis pœnis audeat exercere, Exorciſtam agendo. Hoc munus licèt ſit minoris Ordinis, tamen jam olim propter refrigeſcentem Charitatem Clerico-

1. Joan. 3. ver. 8.
Marc. 16. ver. 17.

rum.

rum nonniſi Sacerdotibus committi conſuevit, Noſque non omnibus promiſcuè Sacerdotibus committemus, ſed iis duntaxat, in quibus, ob morum Sanctitatem nihil ſui juris Dæmon valeat vindicare; cùm Dæmoni in aliis imperare tutò non poſſit, qui priùs in ſe illius nequitiam non ſuperavit: Nemo poteſt vaſa fortis diripere, niſi prius fortem alligaverit. Nemo item privatâ auctoritate piaculares potiones certis ritibus benedictas porrigat, aut unctiones adhibeat. Quicunque in digito Dei Dæmonia ejicere, eoſque, qui à Spiritibus immundis vexantur, in Christi nomine, impetratâ à Nobis facultate, curare aggredietur, orationi, & jejunio inſtantiùs inſiſtat; nam genus omne Dæmoniorum non ejicitur, niſi in oratione, & jejunio. Perquirat Energumeni mores, & vitam, Medicos conſulat, ne morbus ſit, aut ſimulatio, quod videtur obſeſſio. Fiant ſemper Exorciſmi in Eccleſia, patente loco, nec remotis arbitris. Nihil addatur, aut detrahatur Eccleſiaſticis Exorciſmis: ab omni eo caveant Exorciſtæ, tùm facto, tùm verbis, quod riſum, aut jocum excitaret; ſed omnia ad modeſtiæ, prudentiæ, religionis, ac gravitatis leges ſint compoſita. Non deſultoriâ operatione, ſed expugnatoriâ dominatione, non ſociâ conſcientiâ, ſed inimicâ ſcientiâ res tractetur.

Pontifical. Roman.

Luc. 11. ver. 20.
Luc. 6. ver. 18.

Marc. 9. ver. 28.

Liter. Encycl. Sacr. Congreg.

Append. num. XXII.

Tertull. de Anim. cap. 17.

IX. Qui Ordines conferunt, rigidam operi diligentiam adhibere debent, moniti ab Apoſtolo, nemini citò manus imponere, ne alienis com-

1. Tim. 5. ver. 22.

communicent peccatis. Ut tam diſtricti judicii vitemus ultionem, quamvis Paſtores minimè boni, Oves noſtras cognoſcere ſtudebimus; at quia multa quandoque fugiunt Paſtoris oculos; ut ſecuriùs in re tanti momenti procedamus, & nonniſi probos Eccleſiaſtico cœtui adſciſcamus, in partem ſolicitudinis venire par eſt illos etiam, à quibus ſupramemorata exigimus Teſtimonia. Non patiantur abominationem deſolationis ſtare in loco ſancto: ſciant rem omnium agi, cùm de Sacerdotis agitur ordinatione, & ea de re ie teſtimonium ferre, quæ aut maximum damnum, aut maximam utilitatem eſt allatura: paucorum facinus multorum poteſt eſſe perditio, & cauſa ſunt ruinæ populi Sacerdotes mali. Quare nulli cum veritatis injuria, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ detrimento benigniùs indulgeant, nec ſe malevolos judicent, quando non odio moti, ſed religione, minus dignos detegunt, rei tunc futuri, quando tacendo perire permitterent. Species falſæ pietatis homini non imponat: eſt illi in proximum ſuum iniquus amor, ut pereat: eſt ſanctum odium, ne pereat. Si tacet male amat, & tunc odit; ſi defert benè odit, & tunc amavit. Præter publicas atteſtationes, quas volumus non apertas, ſed benè, tutoque ſigillo obſignatas ad Nos deferri ſecretò etiam moneant, fidenter rem aperiant, & ſincerè retegant, ſecuri de infracta ſecreti obſervatione. Semel mendaci nunquam in poſterum fidem habebimus. Omnium conſcientiam diſtri-

Joann. 10.

Matth. 24. verſ 15.

S. Gregor. lib. 7. ep. 110.

S. Auguſt. tract. 51. in Joann.

ctè gravamus : ſed noſtris Subditis, quos fallaces reperiemus, graviſſimas pœnas luendas decernimus.

X. Aut Synagogam formaret, aut Eccleſiam inſtitueret, in ſuis Miniſtris Sapientiam voluit Deus: Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi: & ubi Miniſtros novi teſtamenti conſtituit, impoſuit ut docerent: Euntes docete: dedit noſſe myſterium Regni Dei, & replevit omnes Spiritu Sancto, qui Spiritus eſt ſapientiæ, & intellectûs. Ad ſacra igitur ii tantùm promovendi ſunt, qui ſcientiam callent Sanctorum, & ne ignorantia in Eccleſiam irrepat, quæ in Sacerdotibus nec excuſatione, nec veniâ digna eſt, ipſa ſola inſcitia ſufficientiſſima erit cauſa, ut quis ab ordine repellatur. Pios, ac rerum Eccleſiaſticarum peritos Viros Socios, & Conſiliarios ad tantum opus, & neceſſariam examinis inquiſitionem adſciſcemus. Non hominum gratiam, ſed Dei gloriam inſpiciant; & quia eorum judicio, & conſiliis multùm ſemper deferemus, noſtramque ſubjiciemus auctoritatem, ſubſidiariam Nobis præbeant opem, ut habeamus idoneos miniſtros novi Teſtamenti, qui ſint propter diſciplinæ dona commendati.

Oſeæ 4. ver.
Matth. 28. ver. 19.
Luc. 4. ver. 11.
Actor. 2. ver. 4.
Eccleſ. 15. ver. 15.
Can. Si in laicis. diſt. 38.
2. Cor. 3. ver. 6.
Sap. 7. ver. 14.

CA-

CAPUT IX.

De Sacramento Matrimonii.

Ireneus lib. 1. cap. 12. Epiphan. hæreſ. 67. Aug. de Bono Conjugat. cap. 18. &c.

Trid. ſeſſ. 24. can. 1.

S. Leo ep. 92.

Baſil. Seleuc. Orat. 1. de Adam.

Conc. Trid. ſeſſ. 24. cap. 1. de Reſ. Matr.

Epheſ. 5. ver. 25.

Tob. 8. ver. 5.

Hebræor. 13. ver. 4.

BOnæ, ab omni turpitudine alienæ, ac Deo probatæ ſunt Nuptiæ, quas non ad explendam libidinem, ſed ad ſuſcipiendos liberos in officium naturæ inſtitutas, Chriſtus Dominus in Lege Evangelica ad dignitatem Sacramenti evexit, ut ipſum nativitatis noſtræ principium, etiam quantùm ad carnem attinet, ſanctificaret. Cùm Adamo ad gignendam ſobolem ſimile adjutorium Dominus deſtinaret, immiſit in illum ſoporem, & dormienti detraxit è latere coſtam, ex qua formavit Mulierem, eamque ſummo Parenti conſortem in individuam tradidit vitæ ſocietatem. Os de illius oſſibus, caro de carne formata fuit, ut partito corpore, animi jungerentur. Præludere tunc voluit Eccleſiæ, quæ de Chriſti latere effluxit; at quod in veteri Lege nudum erat ſignum, in nova eſt veri nominis Sacramentum; eam enim gratiam confert, quam ſignificat, efficitque, ut divinæ illius charitatis, qua Deus dilexit Eccleſiam, ſit veluti rivulus maritalis amor, quo Apoſtolus diligendas præcipit à Viris Uxores. Ne igitur more Gentium, quæ Deum ignorant, animali cupiditate ineantur conjugia: ſed honorabile ſit connubium in omnibus, & torus immaculatus, hæc decernimus, & ſtatuimus:

I. Quo-

I. Quorum unum corpus eſt, unus debet eſſe animus, qui amore non metu conciliatur. Quocirca Parochi ante denunciationes, in Eccleſia faciendas, Sponſorum, qui in ſua Parochia degunt, voluntates, & liberè præſtandum contrahendi Matrimonii conſenſum, ubi aliqua probabilis de libera voluntate ſuboriri poſſet ſuſpicio, ſervatis prudentiæ, ac maturitatis legibus, ſecretò explorent, ne quid per metum, aut dolum agatur: Debet ſiquidem plenâ ſecuritate gaudere, cujus eſt animus indagandus, ne per timorem dicat ſibi placere, quod odit, & ſequatur exitus, qui de invitis Nuptiis ſolet provenire. Datâ occaſione moneant Parentes, quòd licèt patria poteſtas hoc illis imperium concedat, ut poſſint Filios ad Matrimonia inducere, quæ re verâ decent, & expediunt; necnon levi, ac verſatili Juvenum ingenio frenum injicere, ubi libidine potiùs, quàm conſilio ducuntur; nefas tamen eſt iniquâ tyrannide, & dirâ cupiditate vim inferre in negotio, quod maximè liberum eſſe convenit. Cum maximè nefarium ſit ab iis injurias naſci, à quibus jura expectantur, Temporales Domini, ac Magiſtratus meminerint dirarum, quæ à Sacris Canonibus in eos intentantur, qui Matrimonii violant libertatem. Cogitent Parentes malos proventus ſemper habuiſſe invita, & exoſa connubia: at contrà caveant Filii, ne ab eo obſequio, & obedientia deflectant, quam ipſo naturæ jure per omnia debent Parentibus, cui nunquam magis derogare viden-

Can. De Neptis 31 q. 2.
D. Chryſoſt. hom. 31 in cap. 19. Matth.

Cap. Cum locum de Sponſal.

Can. Si verum, & ſeq. 31. q. 2. Cap. Cum locum de Sponſal.
Cap. Nos de Deſponſ. Impub.

Conc. Trid. ſeſſ. 24. cap. 9. de Ref. Matr.

S. Ambroſ. in ep. 1. ad Cor. cap. 1.

Coloſſ. 3. ver. 20.

Can. Aliter 30. q. 5. Conc. Carthag. IV. Can. 13. L. Paulus ff. de Stat. Hom. L. Filius familias ff de Rit. Nup. L. Sicut proponis Cod. de Nup. Deuteronom. 7. Exod. 34. Gen. 24. Tertull. lib. 2. ad Uxor.

videntur, quàm cùm illis inconſultis, aut refragantibus nuptias petunt, aut levi animo contrahunt, quæ meritò diſpliceant. Semper Parentibus hæc cura commiſſa fuit, ut Filiis de Uxore proſpicerent: Felix eſt Matrimonium, quod Eccleſia conciliat, & Pater ratum habet: ſecus accidit, ſi quis abſque Majorum conſilio implicat ſe vinculo inextricabili. Malè auſpicata ſunt Proli Connubia non ſolùm, quæ ab invitis contrahuntur, ſed etiam quæ ab inſciis rerum noſtræ Religionis; cùm enim non minùs in vitam, quàm in mores Filiorum influant Parentes, ab ignaris, aut nullam, aut nefariam inſtitutionem ominari poſſumus ſoboli naſcituræ. Non ſolùm igitur ante benedictionem Nuptiarum, verùm etiam antequàm veniant ad denunciationes, de Fidei rudimentis futuros Conjuges interrogent Parochi, & quos minùs inſtructos deprehendent, inſtrui curent. Virorum ipſi curam ſuſcipiant, Mulieres ad Scholas Doctrinæ Chriſtianæ inſtruendas ablegent: ſi ſecùs egerint, graviſſimas Deo, & Nobis dabunt pœnas, adeo exitialis incuriæ, quâ fit, ut in multas ætates, non ſine Religionis diſpendio, protrahatur rerum Divinarum ignorantia.

Cap. Cum in tua de Sponſ. & Matr. Cap. Cum inhibitio de Cland. deſponſ.

II. Ubi perſpecta erit utriuſque Sponſi libera non coacta, aut inconſulta voluntas tribus feſtis diebus, quoad fieri poteſt, inter ſe diſtantibus, in Populi conventu, clarâ voce, Matrimonium contrahendum proclametur, ut ſi quod eſſet inter Contrahentes impedimentum Canonicum à ſcientibus

tibus retegatur. In remedium contra furtivas nuptias nuptialia hæc Banna ſunt inſtituta, quare non confuſè, non inordinatè, ſed tribus continuis feſtis, cum Populus frequentior adeſt, edantur, & ſi feſta ſibi immediatè ſuccedant, inter unam, & alteram denunciationem dies interponatur: eâdem die, quâ ſuprema denunciatio facta eſt, Matrimonium non celebretur, ſed ſaltem in proximè ſequentem protrahatur, ne præcipiti celebratione adimatur tempus denunciandi iis, qui fortè aliquod exploratum haberent impedimentum. Sponſis in diverſis Parochiis noſtræ Diœceſis degentibus, in utraque, tribus ſtatutis denunciationibus, publicetur Matrimonium, nec Parochus aſſiſtat nuptiis, niſi habitâ atteſtatione, quod nullum inde detectum fuerit legitimum impedimentum. Cùm alter ex Sponſis per ſex continuos menſes à Diœceſi abfuerit, nedum illi nuptias inire minimè liceat, ſed ne proclamationes quidem jubere, quin priùs liberi ſtatûs conditionem certò, & ritè probaverit, & de ea Nobis conſtiterit per legitima documenta, quæ deferat, juxta Inſtruct. Sacr. Supr. Congreg. Sanct. Officii, à Curia Epiſcopali ejus loci, quem incoluerit. Quod magis ſervandum erit ſi Sponſus, aut Sponſa fuerit de externa Diœceſi. Quando alter Conjugum extra Diœceſim deceſſit, ſi Superſtes petat ſecundas Nuptias, non fiant proclamationes, niſi priùs Nobis, vel Vicario noſtro Generali per legitimas probationes, & non tantùm per probabiles conjecturas

Trid. ſeſſ. 24. de Ref. Matr. cap. 1.

Cap. Dominus de ſecund. Nupt. Cap. In præſentia de Sponſal. & Matr.

obitus exploratus fuerit, & liquidò perſpectus. Si Matrimonium intra duos menſes à peractis denunciationibus non contrahatur, iterum repetantur, niſi cognitâ dilationis causâ, Nobis aliud expedire videatur.

Conc. Mediol. V. Tit. Quæ ad Matr. pert.

III. Quia tamen nihil proficerent, aut promoverent proclamationes, ſi Populus Canonica impedimenta neſciret; ideo Parochi aliquoties in anno, ſed præcipuè dum ea imminent tempora, quibus Conjugia frequentiùs iniri conſueverunt, ea quæ obſtant, & prohibent, ne Matrimonium contrahatur, aut contractum etiam dirimunt, quæ illicitum, aut irritum faciunt, doceant, & explanent. Moneant item graviter peccare eos, qui impedimentum, ſi quod noverint, non declarant, eorumque reos eſſe malorum, quæ ex damnato Connubio naſcuntur, quibus facilè occurrere poterant intercedendo, etiamſi rem certò non noſcerent, ſed ab aliquo fide digno accepiſſent. Si adhuc foret in ambiguo aliquid obſtare, quominùs nuptiæ fierent, hoc ipſum aperire debent, quamvis probationibus legitimis deſtituti, juridicis exceptionibus non poſſent evincere; viam ſiquidem hâc ratione pandunt diligentiori inquiſitioni. Si quis tamen ſcienter, arte malâ falſum imponeret impedimentum ad diſſolvendum, vel protrahendum Matrimonium graviſſimam noſtram non effugiet ultionem. Si impedimentum aliquod ſive certum, ſive dubium ſubeſſe, aliquo deferente, Parochus reſciverit, neque ad Matrimonium,

Catechiſ. Rom. de Sacr. Matr. n. 30.

Cap. Dilectus de Elect.

Cap. Super eo de Teſtibus.
Cap. Preterea de Sponſal.

Cap. Cum Inhibitio de Cland. deſponſ.

monium, neque ad denunciationes progrediatur, ſed rem totam ad Nos quantocitiùs deferat, & noſtram mentem expectet. Quoties ſuper aliquo impedimento conceſſa fuerit Apoſtolica diſpenſatio, probatâ priùs veritate precum in noſtra Curia, & Juris ordine ſervato, à Parocho publicè ſignificetur in Eccleſia, dum præmittuntur de more denunciationes. Caveant Contrahentes, ne falſas obtrudant cauſas ad extorquendas indebitas diſpenſationes, alioquin ſuis nuptiis pro benedictione maledictionem à Deo accerſent. Quamvis maximè exploratum, & certo certiùs eſſet, inter contrahere volentes nullum eſſe obicem, nullum impedimentum, quod aut Matrimonium dirimat, aut obſtet quominùs contrahatur; nihilominùs nefas ſit, ſub pœna aureorum ſex, denunciationes privatâ auctoritate, citra noſtram diſpenſationem, omittere. Ubi ſuberit juſta, & legitima diſpenſandi cauſa à Nobis, vel à noſtro Vicario Generali in ſcriptis danda erit diſpenſatio; imò & hæc publicè in prima proclamatione Populo ſignificanda, ut ſi aliquod intercederet impedimentum, maturè, & tempeſtivè retegatur. Si urgente gravi neceſſitate contingat prædictas omnes denunciationes remittere, ſuppleantur initis jam nuptiis ante Matrimonii conſummationem.

Cap. Super literis de Reſcriptis.

Cap. Final. de Cland. Deſponſ.

Trid. ſup. cit.

Trid. ſeſſ. 24. cap. 1.

IV. Ne tentet Satanas Sponſos propter incontinentiam, & incidant in laqueos Diaboli, à quibus poſtea ægrè ſe expediant, poſt emanatas denunciationes, quàm primùm contrahant, & inte-

1. Cor. 7. ver. 5.

1. Tim. 6. ver. 9.

Digitized by Google

interim à familiaritate abſtineant. Ipſa urbanitatis officia nunquam ſemotis arbitris præſtentur; in re enim tam lubrica modeſtiæ fines prætergredi proclive admodùm eſt, & nonniſi malè auſpicata ea eſſe poſſunt Connubia, quibus peccato præluditur. Sponſi, & Sponſæ igitur ſub pœna librarum ſex ceræ albæ, poſt inita Sponſalia liberè ſimul converſari non audeant. Si id Parocho innoteſcat, denunciationes intermittat, & Nos moneat, qui etiam Parentes, & Affines, hanc cohabitationem, & pernoctationem permittentes, ſuis pœnis coerceri volumus. Ineant Fideles noſtri Matrimonia, ſicut decet ſanctos; quapropter expiati per Sacramentalem Confeſſionem ab omni crimine, ſuſceptâ ſacrâ ſynaxi, & induti veſtem nuptialem divinæ gratiæ, ſua cum pietate, & religione ad illa celebranda accedant.

S. Carol. in Inſtruct. Matr.

V. Celebratio Matrimonii fiat coram proprio Parocho Sponſæ, aut Sponſi, aut alio Sacerdote in illius locum ſubſtituto, cui per Parochum, aut per Nos facta fuerit aſſiſtendi facultas. Conſenſum Viri, & Mulieris exploraturus non corpore tantùm, ſed animo potiſſimùm præſens, interroget vernaculâ linguâ, clarâ, & diſtinctâ voce eum exprimi curet. Duos ſaltem adhibeat Teſtes, alioquin irritum erit Matrimonium, & ipſe graviſſimas noſtro arbitrio pœnas ſubibit. Proprius autem ille habetur Parochus, in cujus Parochia contrahentes majore anni parte morantur, & degunt. Alienigenæ autem, Peregrini, & Vagi, qui neque

Trid. loc. cit.

Trid. ſeſſ. 24. cap. 7. de Refor. Matr.

neque temporarium habent domicilium, non admittantur ad Nuptias, imò ne ad denunciationes quidem, niſi re integrè ad Nos delatâ, admitti permiſerimus. Incantur publicè clarâ luce in Eccleſiâ Parochiali, ſervatis conſuetis ritibus in Rit. præſcriptis, eodem tempore, quo Miſſa pro Sponſis celebratur: nunquam in privatis Eccleſiis, & multò minus in domeſticis ædibus ſub pœna trium aureorum ab aſſiſtente Sacerdote exigenda. Si id urgenti de cauſa à Nobis permitteretur, hortamur Conjuges, ut antequàm cohabitent, Eccleſiam adeant accepturi benedictionem, quam ab antiquiſſimo Eccleſiæ inſtituto habemus, ut ille idem Dominus, qui ſuâ præſentiâ nuptias in Cana Galilææ comprobavit, ſpirituali benedictione conſecravit, & illuſtres reddidit inſigni miraculo, à quo ſignorum ſuorum initium fecit; eorum quoque connubiis dignetur benedicere. Cùm auctoritate miraculi, & præſentiâ ſuâ ſanctum effecerit Matrimonium, non ſolum ut natis jam hominibus benediceret, verùm etiam naſcituris gratiam præpararet; de hoc à Parocho brevi, & gravi ſermone admoneantur, ut in ſancto Conjugii, & mutuæ Charitatis fœdere ad extremum vitæ perſeverantes Deo reſtituant, ſi quos à Deo excipient, Filios, non propter hoc ſeculum, ſed propter Chriſtum Conjuges, & Patres.

Can. Nullus & ſeq. 30. q. 5.

Tertull. ſup. cit. Conc. Carth. IV. Can. 13. Siric. ep. 1. Innoc. III. ep. 2. ad Victr.

Joan. 2. ver. 1.

S. Cyrill. lib. 2. in Joan.

S. Chryſ. hom. 2. de Anna.
S. Auguſt. de Bon. Conjug. cap. ult.

VI. Eſt tempus nubendi, eſt tempus abſtinendi à nuptiis. Nuptiarum ſolemnitates ab Adventu Domini uſque ad Epiphaniam, & à Feria IV.

Ci-

Conc. Trid. ſup. cit. cap. 10.
Can Non oportet, & ſeq. 33. q. 4.

Cinerum uſque ad octavam Paſchatis incluſivè, tempora luctui, & pœnitentiæ deſtinata, vetitæ ſunto, quibus temporibus licèt ſolæ Conjugii ſolemnitates prohibeantur; tamen etiam utcumque ſine noſtra licentia contrahi inhibemus. Cæteris etiam anni diebus inepti clamores, choreæ, aliique abuſus eliminentur. Nihil fiat, quod à Chriſtiana pietate, & Sacramenti dignitate abhorreat: & quia fieri fortè poterit, quod perditi moris homines nuptialibus conviviis excepti ſalutarem hanc legem contemnant, multaque minùs pudenter dicant, aut gerant; ne auditus, aut obtutus Sacris myſteriis deputati ſpectaculorum, atque verborum contagione polluantur, graviſſimas Nobis dabunt pœnas Parochi, qui poſt ſacrum miniſterium illis aſſidebunt Conviviis, quæ Clericis etiam omnibus vetita volumus, ut jam pridem illis per ſacros Canones interdicta fuerunt. Expletâ Sacramenti adminiſtratione, Parochus illicò deſcribat in Libro benè compacto Matrimonium, adnotet ſui ipſius, vel alterius Sacerdotis, qui de licentia aſtiterit, Conjugum, atque Teſtium nomina, diem, & locum celebrati Conjugii exprimat, aliaque omnia pro caſuum diverſitate declaret, quæ juxta formulam Ritualis Rom. erunt neceſſaria, idque ſpeciatim cavebit, ne, ubi plura eâdem die celebrari contigerit Matrimonia, ea confundat, ſed unum ab altero integrè diſtinguat. Deſides, & negligentes debitam arbitrio noſtro pœnam rependent.

Conc. Laodic. Can. 53.
Conc. Agath. Can. 39.
Conc. Laodic. ſup. cit.
Ritual Rom. de Sacr. Matr.

VII. Vi-

VII. Viduas, ſi ſic permaneant, beatiores prædicat Apoſtolus; ſi orbitatis tamen moleſtias ferre non valent nubere non vetantur: quamvis enim quandoque immaturitatis, aut intemperantiæ reprehenſionem habeant repetitæ nuptiæ; licitæ tamen fuerunt ſemper, cùm Mulier, mortuo Viro, ſoluta à lege Viri, nubendi cui vult plenam habeat poteſtatem. Quia verò viget à multis annis in noſtra Diœceſi pravus quidam abuſus, quo irreligioſo fragore, profano ſtrepitu, & immoderatis clamoribus in deriſum veniunt ſecundæ nuptiæ, Nos inhærentes Synodalibus Conſtitutionibus pientiſſimi noſtri Prædeceſſoris, illum tanquam abſonum Juri, bonis moribus, & Religioni damnamus, & prohibemus. Nemo ſit qui libertati, ac ſanctitati ſecundarum Nuptiarum obſtrepat, illaſque infeſtet, & irrideat: illi qui præcipui erunt auctores nocturni, & in licentiam effuſi tumultus, qui olim *Carivarium*, apud nos vulgò dicitur *Cempanata*, actione injuriarum tenebuntur, & graviſſimas pro modo culpæ, & contumaciæ etiam carceris pœnas dabunt. Irreligioſum eſt Nuptias irridere, execrandum autem illis faſcino, maleficio, ligatura, incantationibus incommodare: contra teterrimos hujus facinoris auctores, qui impio ligamine Conjuges devinciunt, & legitimum Matrimonii uſum impediunt, nec non contra illos, qui huic perverſo operi conſilium, mandatum, auxilium præſtant anathematis ipſo facto

1. Cor. 7. ver. 8.
S. Baſil. ep. ad Amphil. Hier. epiſt. ad Furi. Ambroſ. de Viduis. Aug. lib. de Viduit. Bono. Conc. Laodic. can. 1. Neocæſar. can. 3. & 7.
Rom. 7. ver. 2.
1. Cor. 7. ver. 29.
Cap. Super, & Cap. Cum ſecundùm de ſecund. Nupt.

Conc. Andegav. can. 12.
Turonen. can. 3.

Can. Per ſortiar. 33. q. 1. Tit. de Frig. & Malef.

incurrendæ ſententiam dicimus, quam Lib. I. Cap. III. num. I. contra Maleficos decrevimus.

Matth. 10. ver. 6.

VIII. Lex in Matrimonio præſcripta eſt, ut quos Deus conjugalis nexûs auctor, & conciliator in individuam vitæ conſuetudinem conjunxit, Homo non ſeparet; non ſolum quoad Sacramenti vinculum, ſed nec etiam, privatâ auctoritate, quoad maritalis tori, & cohabitationis commercium. Locum non habent in Evangelio licentioſa Judæorum repudia, adversùs naturalem æquitatem ob duritiem cordis indulta: Illud quidem divortii genus, quod ita dirimit domeſticam conſuetudinem, ut nihilò ſecius maneat conjugii vinculum, non fuit ignotum noſtris antiquis Patribus; at juſtis tantùm de cauſis, & ritè probatis ſemper receptum fuit; ita ut ob quaſcunque, vel vulgares offenſas non liceat conjugibus temerè ab invicem divertere. Res agi debet per Epiſcopos, ne ob inanes malorum querelas pervertatur Evangelium. Invigilent igitur Parochi, & Vicarii Foranei, ne ſibi invicem nuncium mittant Conjuges, aut alter ab altero diſcedat. Quos illicitè ſeparatos invenerint, ſi moniti redire in gratiam, & in conjugalem ſocietatem convenire detrectant, arceant à Sacramentis, & Nobis, vel Vicario noſtro Generali remaperiant, ut opportunis remediis occuramus errori, & ad conveniendum cogamus. Si juſtæ ſubſint divortii cauſæ, nemo Actor, Judex, & Accuſator ſit in re propria; eas ad Nos deferat, nec

Deuteron. cap. 24. Matth. loc. cit. Marc. 10. ver. 1.

Trid. ſeſſ. 24. can. 8.

Can. Seculares 33. q. 2. Can. Multorum 35. q. 6. Cap. Puro de divortiis. Cap. Maritis de Adulter.

Auguſt. de Adulter. Conjug. ad Pollent.

Cap. Maritis de Adulter. Cap. Quæſivit hoc tit. Cap. Literas de Reſtit. Spoliat. &c.

L. 1. C. Ut nemo in ſua cauſa. L. Si quis. in tantum C. Unde. vi.

nec ſuâ ipſius auctoritate Conjugem ædibus exigat, aut abjiciat à toro.

IX. Ut coerceamus juxta mentem Trid. effrenem illorum deploratæ conſcientiæ hominum nequitiam, qui Uxorati, vel ſoluti domi, vel extra proſtratæ pudicitiæ Fœminas retinere non erubeſcunt, diri anathematis minas intentamus, tùm flagitioſis hominibus, tùm impudicis Mulieribus: & ſi, admonitionibus Juris ordine præmiſſis, à nefaria conſuetudine minimè receſſerint, etiam affixis Cedulonibus excommunicationem publicabimus. Quamvis autem promulgata non fuerit Excommunicatio; adhuc tamen à Confeſſariis non abſolvantur, niſi pravo ablegato commercio eo ſint in ſtatu, ut reſecta ſit omnis occaſio relabendi: non ſatis enim cecidiſſe piget hominem, qui adhuc manere diſponit in lubrico. Si reſciri poterit, aut perſpici aliquem hoc Sacramento uti velle tanquam ſacrilego Lenocinio, & nubilis Mulieris Matrimonium doloſè procurare, ut faciliori prætextu nefariam conſuetudinem fovere poſſit, contra hunc tanquam impium, & deteſtabilem hominem, ſeverè cognoſcetur cauſa, & fiet actio, ut graviſſimæ etiam Corporis afflictivæ pœnæ exigantur. Quia fieri quandoque poteſt, ut quis occulto impedimento irretitus in ſtatu damnationis perſiſtat, & pereat, quia modum neſcit, quo poſſit ſe ab eo vinculo extricare, damus in Appendice Inſtructionem Parochorum, aliorumque Confeſſorum pro Caſibus, quorum

Trid. ſup. cit. cap. 8.

Can Audite diſt. 34. Can. Concubinæ 32. q. 2.

S. Ber. ſer. 2. Paſch. cap. 16.

App. num. XXIII.

abſolutio, vel diſpenſatio ſpectat ad Sacram Pœnitentiariam, ſeu Sedem Apoſtolicam.

X. Non prætermittant demum Parochi, & alii animarum Directores Parentum in Liberos charitatem, Liberorum in Parentes obſequia, unde totius Chriſtianæ Reipublicæ ſalus maximè pendet, urgere: & Conjugibus tria ea bona à Patribus commemorata Fidem, Prolem, Sacramentum conſtanter commendare. Suadeant Conjugis delectum non ex concupiſcentia, ambitione, aut avaritia fieri debere; ſed ſalutis, & pietatis potiſſimam rationem habendam eſſe. In gravi ſarcina ferenda ſibi mutuo ſint adjumento, nec faciant anguſtias, aut exhibeant moleſtias, quæ ſi occurrant, pro fide conjugali fortiter ſuſtinendæ ſunt. Si quæ moroſum, & difficilem nacta eſt Virum patientiâ emolliat, & modeſtiâ, ne ſentiat graviorem, illique ſciat, ſe ſubditam eſſe debere cum omni reverentia. Inculcat Apoſtolus mutuam dilectionem inter Virum, & Uxorem, ita tamen, ut obtemperet Uxor, Maritus præſit, cum comitate tamen, & benignitate: ſub Viro ſit Mulier, at ille nonnihil de ſuo jure, & auctoritate remittat ob infirmioris ſexûs imbecillitatem. Matres, quæ citra grave incommodum lactare poſſunt Filios, hoc pietatis officium præſtare non detrectent feris immaniores: Lamiæ ipſæ nudaverunt mammam, lactaverunt catulos ſuos; nulla ſit in populo noſtro immiſericors.

Can. Omne 27. q. 2.

S. Auguſt. de Sanct. Virg. cap. 6. & 7. & Lib. de Bono Conjug.

Epheſ. 5. ver. 22. Coloſſ. 3. ver. 18.

1. Petr. 3. ver. 7.

Thren. 4. verſ. 3.

ſericors filia, quæ crudelis ut ſtruthio, negligat fœtus ſuos, & ex delicata tantùm inertia extraneis lactandos committat. Non erubeſcat fieri Nutrix, quæ facta eſt Mater, nec pietatis inſignia abſcindat ſuperbia. Quæ ſunt ad vitam, tum corporis, tum animi Filiis neceſſaria procurent Patres, abſtinentes ab alea, crapulis, jurgiis, luxu, unde, neglectâ familiæ curâ, ſequitur miſera rei domeſticæ dilapidatio; nec in vanum, ac ambitioſum Uxorum, aut Filiarum cultum profundi patiantur opes in honeſtam familiæ ſubſtentationem conferendas. S. Chryſoſt. hom. 10. in Pſal. 50.

Majorem adhuc de moribus inſtituendis curam ſuſcipiant, ſoliciti parare potiùs bonam mentem, quàm ingentem fortunam: pro qua inſtitutione non parcant ſumptibus neceſſariis, quos facere ſi velint poſſunt, & velle debent. Vitæ emendatæ exemplis præibunt filiis, & docebunt à prima ætate timere Deum, & abſtinere à peccato, ut Fidei myſteriis, & Evangelicis mandatis imbuti ab infantia uſque ad virum perfectum adoleſcant in pietate, & ſanctitate: Magnum habent, pretioſumque depoſitum, Filios: ingenti illos ſervent cura, nec tantùm, ut ſuos reſpiciant, ſed ut rem Deo conſecratam, eòque geminus amoris ſtimulus inſitus ſit, alter à natura, alter à gratia. Filiæ potiſſimùm ſint Parentum vigiliæ, & ſolicitudo: ædificent ſuper eas propugnacula, & ab iis omnibus attentè cuſtodiant, unde vel ipſa pu- Tob. 1. ver. 10. S. Chryſ. hom. 9. in 1. ad Tim. & hom. 1. de Anna. Cant. 8. ver. 9.

doris

Geneſ. 8. ver. 21. doris fama periclitari poſſet. Quia ſenſus, ac cogitatio hominis, vel à primis annis in malum prona ſunt, & malitia ſæpè ſupplet ætatem, ſimul in eodem lecto Filios, & Filias, præcipuè jam grandiuſculas, verſari non patiantur: Multam malitiam docuit occaſio.

Eccl. 33. verſ. 19.

LIBER

Digitized by Google

LIBER TERTIUS

CAPUT I.

De Sacro-ſanctis Eccleſiis.

IN ipſis terrenis Templis imaginem quandam Cæli reſpicimus eò quòd & ipſa ſint Domus Dei, & quæ ibi geruntur, aut cæleſtia ſint, aut exemplari deſerviant Cæleſtium. Cælum implet Dominus, & plena eſt omnis Terra gloria ejus, quoniam omnia præoccupata ſunt auctore ſuo: nonnulla tamen loca elegit Deus in præcipuam habitationem gloriæ, ut ibi poneret nomen ſuum, & habitaret in eis. Has peculiares Dei Sedes decor maximè decet, & ſanctitudo. Ubi perſuaſum eſſet Fidelibus Eccleſias eſſe locum Tabernaculi admirabilis, Tabernaculum Dei cum hominibus, in quo habitabit cum eis, Solium altitudinis gloriæ, locum ſanctificationis noſtræ, ubi Chriſtus aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum, ſemetipſum victima ſimul, & Sacerdos offert Deo immaculatum, vix aliquid revocandum eſſet in mentem, quod ad earum cultum pertineret. At qui-

Geneſ.28.ver.17.
Hebræor.8.ver.5.
Jerem.23.ver.24.
Iſajæ 6. ver. 3.
Tertull.lib.1. adver. Marc. c. 11.
Deuter.12 ver.5.
Pſal.92. ver.5.
Pſal. 92. ver.5.
Jerem.17. v. 12.
Iſajæ 60. ver. 13.
Hebræor.9.ver.11.

quia non ſemper debita venerationis officia eâ, quâ par eſt, curâ, & religione præſtantur, ideò

Can. Nemo Eccleſ. de Conſecr. diſt. 1. Cap. Cum ſicut de Conſecr. Altar. vel Eccl.

I. Nemini liceat novas Eccleſias, Cappellas, aut Altaria condere, erigere, ſeu conſtruere abſque noſtra licentia, quam ſcilicet dabimus, ubi erunt, qui dotem attribuant, aut in Actis noſtræ Cancellariæ ſua obligent ad impenſas illis ſuſtinendis, & decenter exornandis neceſſarias. In recèns extructa Eccleſia ſacra obiri diſtrictè prohibemus, niſi prius à Nobis ſacris precibus fuerit benedicta, cujus benedictionis, aut dedicationis memoria, ne intereat, in Acta publica noſtræ Cancellariæ redigatur. Et ſi qua fuerit ſolemni ritu conſecrata, ſingulis annis ejus conſecrationis recurrens dies, veluti Eccleſiæ Natalis, tùm piè, tùm ſplendidè celebretur, ipſo Chriſto Domino exemplum præbente, qui ob memoriam inſtaurati Templi ſacra coluit Encæniorum: caveantque Eccleſiarum Præfecti, ne Cruces ſacro oleo delibutæ eradantur, decruſtentur, aut deleantur. Sive res Eccleſiæ in commune poſſiderentur, ſive factâ bonorum partitione, ſua ſartis tectis Eccleſiarum eſſet portio deſtinata; antiquiſſimi Eccleſiæ mores, & leges à Conc. Trident. firmatæ, hanc curam committunt Epiſcopis, ut Sacrorum Templorum reparationibus, præcipuè in Sacris Viſitationibus, proſpiciant, & inſtent. Si quæ igitur erunt Eccleſiæ, aut Cappellæ collapſæ, aut ex parte dirutæ, ab iis, ad quos ſpectat, quive illarum curam ſuſtinent, quantocyùs reparari mandamus: Et ſi Clerico

Can. Piæ mentis 16. q. 7. Can. Placuit 1. q. 2.

Can. Solemnitas cum ſeq. de Conſec. diſt. 1. Iſid. Lib. 1. de Eccl. Offic. c. 35. S. Leo ſerm. de Machab.

Jo. 10. ver. 22.

Can. Quantum 12. q. 2. Can. Moseſt. ibid. Can. Unio 10. q. 3. Simplic. ep. 3.

Can. Decernimus, & ſeq. 10. q. 3. Cap. Quicunque, & Cap. De his qui de Eccl. ædif. & repar.

Trid. ſeſſ. 7. cap. 8. ſeſſ. 21. cap. 7. & 8.

Clerico Beneficiato id oneris incumbet, fructus Beneficiorum, in neceſſarias reparationes impendendos, ſubtrahemus. Quæ pro dignitate inſtaurari non poterunt, ſatius erit ſolo æquare, tranſlatis ad aliam Eccleſiam oneribus, ſi quæ fortè ibi exiſtant, eâ tamen cautione adhibitâ, ut ſuus loco ſemper ſervetur decor; quare nunquam in rem ſordidam cedat, quamvis profanis, dummodò honeſtis uſibus deſtinari patiamur. Præfigatur Crux, & ligna, cæmenta, rudera ad ſeculares res non avertantur, ſed aliis Eccleſiis reparandis adhibeantur, aut ſerventur. Trid. ſeſſ. 21. cap. 7. Can. Ligna de Conſecr. diſt. 1.

II. Cum ad fabricas de ſuo multa contulerint, & nunc temporis quandoque conferant Laici, ſarta tecta Eccleſiarum illis permiſſa ſunt. Ubi invaluit hic uſus ab ingenio antiquioris diſciplinæ minimè abhorrens, non refragamur; dummodò laicâ tantùm, & ſeculari auctoritate freti ſe in hæc onera, & officia non intrudant: noſter expectetur aſſenſus, & ſocius addatur Clericus. Exactionum curam, & ſolicitudinem facilè committimus Laicis, ut à Clericis amoveatur invidia; Clericis tamen immineat vigil cura, ne reditus, aut quæſitæ, vel ultrò oblatæ eleemoſynæ dilapidentur, nec in alios uſus diſtrahantur, quàm in eos, qui erunt Eccleſiæ utiles, aut neceſſarii; unde Nobis inconſultis, nihil audeant moliri, & ſingulis annis ſuſceptæ adminiſtrationis rationem ſubire teneantur, in qua inter accepta non referemus eos, qui ex arbitrio facti fuerint, ſumptus. Sint qui dili- Trid. ſeſſ. 22. cap. 9.

Pſal.25. ver.8.

gant decorem Domus Dei, & in rem hanc excitent Fidelium animos; experimento enim comperimus religioſi noſtri Populi pietatem huic ſtudio non deeſſe, omniaque facilè ſuccedere, ubi non deſunt, qui rem urgeant, & promoveant. Adiri tamen volumus pro impetranda facultate, ubi alicui Eccleſiæ, aut Oratorio locanda erit capſula ad colligendas eleemoſynas, ut quid in hac parte opportunum magis videbitur, ſtatuamus; & ſi qua Nobis inconſultis eſſet appoſita, removeatur: ſolicitè enim cavere debemus, ne Religionis prætextu, aliquis in privatum commodum irrepat abuſus.

III. Ædes ſacræ ubi Deus ritè, ac religiosè colitur, tacito ipſius naturæ inſtinctu, ex communi omnium hominum conſenſu, exquiſitiore operâ conſtrui, elegantiore apparatu, & decore exornari conſueverunt. Sumptuoſas, & magnificas oſtentare non poterant priſci Fideles, quoniam ſæviente perſecutione, religioſos conventus propalam agere vetabantur, & ut plurimùm ſub effoſſa terra ad divina myſteria celebranda locum præbebant abditi receſſus: at pace, & libertate redditâ, auctis rebus, religio etiam profecit Templorum, quæ magnificentiſſimè ſunt excitata. Si ob pauperem cenſum auro, & argento fulgere nequeunt noſtræ Diœceſis Eccleſiæ, nec in illis gloriæ, & divitiæ eſſe poſſunt, omnia ſaltem pietatem, & religionem ſpirent, nitidus in paupertate ſit cultus, & ipſa decorè ſplendeat ſimplicitas. Pavimentum ſit ſolidum, & benè inſtratum; nullum

Euſeb. lib. 7. Eccl. Hiſt. cap. 11. & lib. 8. cap. 2.
Cornel. Pont. in ep. ad Lupic.
Hieron. lib. 2. in Ezech.

Euſeb. Hiſt. lib. 9. cap. 10. & lib 4. Vit. Conſt. cap. 60.
Niceph. lib. 8. cap. 30

Pſal. 111. ver. 3.

lum ſit in parietibus vitium, quo aut rimas agant, aut ruinam minentur, & albo benè inducantur, ubi non ſunt exornati ſacris picturis. Nec proclinatum, nec fatiſcens ſit tectum, ita ut defluos admittat imbres, & ſtillicidia deducat. Satis tutæ ſint Valvæ, ſeris ac clavibus benè munitæ. Feneſtræ vitreis ſpecularibus obſerentur, & quæ à ſolo non multùm eminent calathris ferreis communiantur. A Laica domo, nec aditus, nec proſpectus pateat in Eccleſiam, quare ſi quæ eſſent portæ, vel feneſtræ, quæ hanc inducerent ſervitutem, obducto muro, claudantur. Sacellis, ubi Miſſa celebratur, non imponantur Porticus, Ambulacra, Dormitoria cubicula, aut quæcunque alia ſecularis habitatio. Sacriſtæ, & Præfecti Eccleſiarum, quibus Domûs Dei cura commendata eſt, curent, ut ruinoſa reſtaurentur, erigantur collapſa. Soliciti ſint, ut nihil ſqualleat, aut ſordeat, niteant Altaria, munda ſint vaſa, pavimentum frequenter everratur, pulvis à parietibus excutiatur, & aranearum telæ ſubmoveantur. Minima quæque accuratione maximâ in divino cultu perſequenda ſunt, & maximè Sacerdoti convenit ornare Templum Dei decore congruo, ut etiam hoc cultu aula Dei reſplendeat. Primarium Templorum decus pietas eſt, ſed eam exterior quoque mundities, & nitor promovet.

Sac. Congr. Conc. in Luſitan. 16. Martii 1612.

Sac. Cong. Epiſcop. in Andrien. & Teleſ. 1. Martii 1619. in Piſaur. 3. Octobr. 1692.

Ead. Sac. Congr. in Melfiẽt. 2. Octob. 1626. in Neap. 13. Apr. 1646.

S. Ambr. lib. 1. offic. cap. 1.

IV. In Campeſtribus præcipuè iſta ſerventur. Qui illarum Eccleſiarum curam ſuſtinent, caveant, ne animantibus ad eas pateat aditus.

A rubis, & ſpinis purgentur, & lapidum congeſtus, & maceries amoveantur. Ab humiditate, à pluvia, à ventorum vi, & cæteris temporum injuriis vindicentur: apertæ tantùm ſint, ubi in illis Miſſa celebratur, ſemper deinde præſertim noctu claudantur, ne vagi homines illic poſſint pernoctare, & in loco lucis opera agantur tenebrarum. Domeſticis uſibus non profanentur: Oratorium ſit id quod dicitur, nec ibi quicquam aliud geratur, vel condatur, quam quod divinis myſteriis conveniat: quare Vicariis Foraneis hanc impertimur facultatem, ut ubi reſciverint, ibi fruges, legumina, aut quid ſimile ſervari, non ſolùm curent amoveri; ſed ſtatim in pauperes diſtribuant: hanc enim pœnam amiſſionis rerum, præter alias noſtro arbitrio luendas, indicimus illis, qui ſibi commiſſâ Eccleſiarum tutelâ in profanos uſus abutuntur. Squallore, & ſitu obduci non permittant, nec patiantur Domum Dei fieri ſpeluncam animantium.

Can. Oratorium diſt.42. Cap. Relinqui de Cuſt. Euchar.

V. Rei ſacro-ſanctæ invidiam iniquè faciunt, qui à Gentilium profanis aris repetunt originem noſtrorum Altarium, quorum nomen non ſolum Legis, & Prophetarum, ſed etiam Apoſtolorum literis legitur frequentatum. Ex vetuſtiſſimi temporis ritu, non ſine myſtica ſignificatione, lapidem habere debent conſecratum: hic cooperiatur ceratâ telâ, & ejus ſit latitudinis, ut calicem, & hoſtiam commodè continere poſſit. Ad eorum decorem, & Sacrificii ceremonias hæc eſt ſupellex.

Hebræor.13. ver.10. Exod.20. ver.24. D.Auguſt. ep.86.

Can. Altaria 31. & 32. de Conſec. diſt. 1. Conc. Agath. c. 14. Greg. Nyſſen. Orat. In S. Baptiſm. Cap. Ad hæc de Conſecr. Eccl.

lex neceſſaria. In medio Altari collocetur Crucifixi imago ænea ſaltem, vel lignea, ſed aptè elaborata. Duo ad minùs ſint candelabra, & vaſa, quæ arte textos flores ſuſtineant cum tribus mappis ad Miſſæ celebrationem neceſſariis: Tabellæ item ſecretarum Miſſæ, quæ expleto Sacrificio ſub panno demiſſæ condantur. A fronte nudum non ſit, nec laceris, aut ſordidis pannis inſtratum, ſed tectum pallio, vel ex corio deaurato, vel ex alia materia ſerica, & diverſi coloris, quantùm per Eccleſiæ facultatem licebit, pro Feſtorum diverſitate, conveniente ritu, adhibendo. Suam unumquodque Altare habeat lampadem; quod ſi dote, vel neceſſariâ ſupellectili deſtitutum fuerit, moneantur ii, quorum tutelæ commiſſum eſt, ut infra duos menſes provideant, alioquin ſuo excutiantur jure, aut interdicatur Cappella, donec honeſto cultui ſatis perſpectum fuerit. Semper lateritia, & benè materiata ſint Altaria, & quæ adverſum habent ad principem aram conſpectum, vel columnis adhærent, aut januis ſunt nimis proxima, amoveantur. Cuilibet ſubſit ſuppedaneum ſcabellum, quod vocant *Pradella*; & ubi aſſervatur Sacramentum, ſicut etiam Aræ majori, Umbella, ſeu Baldachinum ſit ſuperimpoſitum, quod ſingulis Altaribus ſuperimponi debet, ubi Eccleſia, nec lacunari, nec fornice, ſed nudo tecto operitur.

VI. Adyta Presbyterii, quæ ſolùm Clericis pſallentibus patent, rarò Laicis, nunquam per Di- Cap. Ut Laicis de Vit. & honeſt. Cler.

Can. Pervenit. Can. Sacerdotum de Conſecr. diſt. 2.

Divini Officii tempora ſunt permiſſa Fœminis, quæ proximiore etiam Altarium acceſſu prohibentur. Inter ſepta igitur Altarium præcipuè dum ſacra peraguntur, Mulieres cujuſcunque gradus ſint, & conditionis non ingrediantur: ubi verò clauſtra non ſunt, à gradu Altaris remotæ conſiſtant; ſi quas huic Decreto minimè morigeras advertant Parochi, moneant priùs in charitate, deinde ſi monitæ loco non decedant, puſillo, & ignavo non ſint animo, ſed eccleſiaſtico zelo, eâque fiduciâ, quam ſuggeret pietas, repellant, & arceant. Si ante inchoatam Miſſam advertat Sacerdos aliquam, vel intra ſepta, vel propè nimiùm gradus Altaris commorari, non exeat Sacriſtiâ celebraturus ad illud Altare, niſi monita receſſerit. Si qua erit, quæ petulantiùs inſoleſcat, etiam interdicto punietur. Piiſſimis quibuſdam Fœminis curam committi ſupellectilium alicujus Altaris, vel Oratorii non improbamus, dummodò circa Altare non operentur, nec ea obeant munera, quæ Clericorum ſunt propria. Iratus eſt indignatione Dominus, & ſuper temeritate percuſſit eos, qui intempeſtivè audaces manus admoverunt ad Sacra, quamvis in ſpeciem religioſum officium præſtare ſibi viderentur. Maribus quoque Laicis ingredi chori clauſtra nefas ſit, niſi fortaſſe aliquod ibi in ſervitio Miſſæ, vel in alio munere obeant officium. Pro cujuſvis ſecularis perſonæ uſu, ſtatui prohibemus ſedilia intra cancellos Chori, ubi quandoque nec ipſam quidem Principum Majeſtatem

Conc. Laodic. Can. 44. Conc. Nannet. Can. 3. Capitul. Carol. lib. 7. cap. 29.

Can. Sacratis diſt. 23.

2. Reg. 6. ver. 7.

Theodor. lib. 5. ca. 17. Sozomen. lib. 7. c. 24. Niceph. lib. 2. cap. 41.

tem paſſa eſt conſiſtere Sacerdotalis conſtantia. Irreverens eſt, & irreligioſum aſſidere ſub conſpectu Dei, cui veluti exprobare videmur, quod nos Oratio fatigat: ut occurreret tamen neceſſitati, & ſerviret attentioni veterem ſtandi rigorem, quem poſterior delicatior ætas ferre non poterat, emollivit, & ſedilia permiſit Eccleſia. Hâc pię Matris indulgentiâ non abutantur Fideles; nec ita tumultuariè diſperſa ſint ſedilia, ut ſacram Ædem ſubeuntibus, & præcipuè Sacerdoti ad Altare accedenti ſint impedimento. Quæ ſunt Virorum, juxta antiquiſſimum probatum morem, quantùm fieri poteſt ſecreta ſint ab illis, quæ in uſum cedunt Fœminarum. Nulli inſit cubitale precatorium, cui oraturus innitatur. Nemo præſumat ſibi in Eccleſia, quaſi jus certi loci; nolumus tamen cuilibet propriâ auctoritate fas eſſe ſuo ſedes movere loco, aut quem maluerit occupare. Si oriatur contentio, rixoſis, & contrafacientibus amovebuntur ſcamna, & ſpe ipſa excident iterum reponendi. Laico ad excipienda ſuaviter genua pulvinorum uſus non permittatur; ubi verò ad Eccleſiam convenirent Principes Viri, & Mulieres, quibus dari mos eſſet, habeantur in hunc uſum parata, non autem exhibeantur ea, quæ in Altaribus ad Miſſæ Sacrificium ſunt deſtinata; & meminerint omnes non elatione ſuperbâ, ſed humili proſtratione regias in Cælo ſedes obtineri.

Tertull. lib. de Orat. cap. 12. Optat. Milevit. lib. 4. S. Cæſar. ſer. 42.

S. Cyrill. Catech. 16. S. Auguſt. de catech. rudib. cap. 13.

Cyrill. in Præfat. Catech. Conſt. Apoſtol. lib. 2. cap. 61. S. Auguſt. de Civit. lib. 22. cap. 8.

Sac. Cong. Epiſcop. in Narnien. 8. Maii 1693. Sacr. Congr. Rit. in Fund. 8. Oct. 1697. & in Verul. 6. Septemb. 1698.

VII. Ab illa reverentia, quam Deus impendi voluit Templo Judaico, ducere poſſumus argu-

Levit. 9. & 16.

argumentum, quantò ſanctiora habenda ſint Chriſtianorum Templa. Hîc igitur potiſſimùm in Parochis, in Confeſſoribus, in Concionatoribus imperterritum zelum deſideramus, quo crebrò, & acriter inculcent Fidelibus, ut ſupplices tantùm ad Eccleſias conveniant; venerentur ſacra, non mirentur pulchra, nec augeant peccata, quæ venerant imminuturi: proteſtentur, quod ſi quis Templum Dei violaverit, diſperdet eum Dominus, ut majeſtatem, quam non reverentur improbi, ſaltem timeant, & quos Dei præſentia non movet, juſtitia deterreat. A Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento nunquam averſi ſtent, aut ſedeant. Altaribus, Fonti Baptiſmali, Vaſculo aquæ benedictæ non innitantur, aut incumbant, nec in Confeſſionalibus aſſideant. A ſecularibus curis avocati Divina tantùm cogitent, & ſe ſe in utrumque genu abjiciant adoraturi. In illiberales jocos, in effuſos riſus, in ſcommata non acuant linguas, & os reſolvant. Vitent negotia ſecularia, non obambulent, oculis non vagentur, turpia horreant colloquia, cum per Divina myſteria, & alia ſanctitatis ſigna, quæ in oculos incurrunt, quidquid in templo eſt, aut ſanctum ſit, aut loquatur ſanctitatem, & dicat gloriam. Clerici cæteris exemplo præluceant, ideoque vitent quidquid animi parùm Religioſi ſpecimen præſeferat: modeſtè regant oculos, componant vultum, ſibi silentium imperent, ne vel de animi levitate ſuboriatur ſuſpicio.

D. Bernard. de Vit. & Mor. Rel. c. 12.

1. Cor. 3. ver. 17.

Pius V. in Conſt. Cum primum.

Conc. Turonen. Can. 38.

Trid. ſeſſ. 22. in Decret. de Obſerv. &c.

Pſal. 28. ver. 8.

VIII. De-

VIII. Deteſtandus ſuper omnia, ac omni ſtudio arcendus, & inhibendus pravus mos colendi in Eccleſia profanos amores, quo fit, ut inductam videamus in loco Sancto abominationem deſolationis ab illis, quæ quaſi Deo præripere vellent cultum, prodeunt in Templum compoſitæ, ut Templi ſimilitudo, & ponunt offendicula ſua in Domo, in qua nomen Domini invocatur. Omnis Mulier orans non velato capite deturpat Caput ſuum; ut igitur Viros aperto, ita Mulieres velato capite propter Angelos ad ſacra convenire Canonum exigit diſciplina. Parochi itaque in frequenti, & publico Fidelium conſeſſu denuncient, Sibi, ac Sacerdotibus omnibus indictam hanc Synodalem Conſtitutionem, quâ inhibentur, quominus porrigant Euchariſtiam Fœminis iis, quæ decenti habitu, & ad modeſtiam compoſitæ non acceſſerint. Confeſſarios autem omnes, tùm Seculares, tùm Regulares per manſuetudinem Chriſti hortamur, & obſecramus, ut idem ſentiant; ſi quam vident ad ſacram Synaxim non in veſte nuptiali, ſed in peregrina, reſerato potiſſimùm pectore, ac nudis brachiis accedere, inter communicandum prætereant.

Matth.24. ver.15. Pſal. 143. ver.15. Jerem.7. ver.30. 1.Cor.4. ver.4. Can. Mulier 13. q.5.

IX. Imitati exemplum Chriſti, qui erat pernoctans in oratione, ſecuti mores Apoſtolorum qui media nocte orantes laudabant Deum, priſci Fideles de nocte ſurgebant ad confitendum nomini Domini; & adeò religioſè ſacras ſuas Vigilias, & antelucanos cœtus colebant, ut hoc nomine

Luc.6. ver.12. Actor.16. ver.25. Pſa. 118. ver.62. Clem.Alex. Pædag. lib.2.cap 9. Tertull. lib.1. ad Uxor cap.5. S. Ambroſ. in Pſal. 118. ſer.8.

Tertull. Athenag. Arnob. Juſtin. Minut. in Apologet.

Nazianz. orat. 2. de paſch. Auguſt. lib. 4. Confeſſ. cap. 7. Caſſiodor. lib. 3. Tripar. Sidon. lib. 1. ep. 17.

Con. Altiſſiod. Can. 5. Clement. Gravi de Celebrat. Miſſar.

S. Congreg. Epiſc. de mand. Innoc. XI. 1. Octob. 1684.

veluti Natio lucifugax apud Ethnicos traduceretur. Vigiliarum diſciplina diu etiam ſubſecutis ſeculis, apud Chriſtianos obtinuit; ſed quia nocturni conventus, qui in oratione, & pietate quondam exigebantur, in profana licentia agi cœperunt, rem olim pro temporum ratione ſalubriter inſtitutam, mutatis nunc Chriſtianorum moribus, eodem Eccleſia mutat conſilio, quo olim illam conſtituerat; quare Nos etiam omnes nocturnas vigilias prohibemus, unâ illâ exceptâ, & relictâ, quæ in honorem Nativitatis Chriſti adhuc colitur. Hanc cantibus, ludis, vel alio quopiam inſolenti abuſu violari caveant Curati, & Vicarii Foranei, quibus ea quoque datur auctoritas, ut à Nobis plectendos rapi faciant in Carceres, qui eo privilegio inſolentiùs abutuntur. Per reliqua anni tempora, ſub pœna unius aurei ab eo ſolvenda, cui Eccleſiæ cuſtodia commiſſa fuerit, ante auroram nondum albeſcente luce non aperiantur, & poſt Solis occaſum, imminente nocte, dato ſigno Salutationis Angelicæ Veſpertinæ, claudantur fores nemini aperiendæ, niſi pro Sacramentis neceſſariò, etiam intempeſtâ horâ, miniſtrandis: Quare ſacræ functiones in noctem non protrahantur, ſed horâ ſerotinâ præcipuè ubi Mulieres conveniunt, abſolvantur, nec inchoentur ante diurnam lucem clarè albeſcentem. Regulares ipſi memores Apoſtolicarum Conſtitutionum, huic etiam ſe componant mori, quo maximè Chriſtiana juvatur diſciplina.

X. In

V. In Sacro-ſanctis Eccleſiis nefas eſt aliam, quàm propriæ ſalutis cauſam agere; quare nulli ibi ineantur contractus, nec conſcribantur ſtipulationes, niſi fortè in cauſa pacis: non vocentur, tùm in cauſa civili, tùm criminali ad examen Teſtes, etiam extra Eccleſiam jurati. In Valvis, & parietibus nihil affigatur, quod ad rem ſacram non pertineat. Omnes profanos conventus vetamus, & ad tractanda, ſive publica, ſive privata negotia eò Laicos cogi prohibemus. Procul ſint ab Eccleſia tabernæ, ſtabula, & alia loca ad ſordidos uſus deſtinata. Juxta Eccleſiæ parietes ſordes, & immunditiæ non deponantur, qui fuerit in fragranti deprehenſus, gravem noſtram non declinabit ultionem, quam etiam ſubibunt, qui ante fores Eccleſiæ, vel in ejus veſtibulo, Atrio, vel Cœmeterio, tempore potiſſimùm Concionis, Doctrinæ Chriſtianæ, aut Divinorum Officiorum, nugis, ſtrepitu, colloquiis, Sacris functionibus inferent moleſtiam. Propè Eccleſias Circulatores ſua non ponant ſcamna, non edant ſpectacula, nec perſonati ſubſiſtant: talis enim Eccleſiæ exhibendus eſt honor, ut ne vicinia quidem obſcænis actibus deturpetur, Eccleſiaſtica officia, & Fidelium preces importuna Pauperum incurſio, & expoſtulatio non perturbet, eos proinde ad fores Eccleſiæ ſubſiſtere jubeant Eccleſiarum Moderatores ex vetere uſu, cui præivit exemplum Judæorum claudos mendicos ad portam Templi ſtatuentium.

Cap. Decet de Immunit. Eccleſ. in 6.

Cap. Cum Eccleſia hoc tit. Trid. loc. cit.

Baron. ad an. 57. Nazianz. orat. 27. de Pauper. Amor.

Actor. 3.

XI. Domum pacis minimè decent arma: Sedulò igitur incumbant in hanc curam Eccleſiarum Præſides, ne quis Eccleſiam ſubeat armatus. Quicunque in Eccleſia, vel ſolo verbo indecenter, & clamosè contendendo quemquam laceſſere auſus fuerit, ſcuta tria in pœnam ſuæ temeritatis ſolvet. Ibi irrogata injuria tanquam longè gravior, etiam acerbiùs mulctanda eſt: eaque petulantia, quæ alibi mediocrem reprehenſionem mereretur, gravem in Eccleſia ultionem provocat, ubi nedum verbis parcere, ſed tacitam cuſtodire mentem fas eſſet. Si obortâ rixâ, fuerit ſanguine polluta, & cruentata, curet Rector, ut quamprimùm Epiſcopali benedictione in priſtinam dignitatem, & nitorem reſtituatur: interim verò ſacris ſit clauſa, & interdicta. Ne, quod in Judæis Dominus damnavit, Templa degenerent in Forum; caniſtros, lagenas, ſarcinas, & alia hujuſmodi illis inferri facilè non permittant; nec ſubindè tranſportari patiantur; ita ut ad captandum fortè itineris compendium, ibi veluti ad tranſitum viam aperiri, videatur. Singulari demum anxietate à Templo avertere ea omnia ſatagat, quibus decor, & ſanctitudo Divinæ Domûs imminuerentur.

Conc. Aurel. III. can. 38. Cabil. c. 17.

Can. Eccleſiis diſt. 68. Can. Si motum de Conſecr. diſt. 1. Cap Fin. de Conſec. Eccleſ.

Marc. 11. ver. 16.

XII. Multa in Templis religiosè agi ſolebant, quæ poſterior ætas mutatis moribus improbare coacta eſt: Publicæ charitatis, & hoſpitalitatis convivia, quæ Agapas nuncupabant, piè inſtituta, ac religiosè ſervata feſtis diebus penes

Tertull. Apolog. cap. 39. S. Chryſoſt. hom 27 in 1. Cor. 11. Conc. Gang. can. 11.

penès Eccleſiam, univerſa teſtatur antiquitas. Senſim autem à Chriſtiana pietate deſciverunt, & laudabilem uſum turpis crapula, & intolerabilis luxus contaminavit: quo factum eſt, ut primùm coerceri, mox vetari, ac aboleri debuerint. Quare ſub quocunque prætextu etiam pietatis, vel fictæ neceſſitatis intra Templorum ſtrata comeſſationes, & compotationes fieri diſtrictè vetamus: jentacula præſertim, & cænulas, non ſine indecoro tumultu, in majori Hebdomada celebrari ſolitas, non ſolùm in Eccleſiæ ſtrato ſolo, ſed nec etiam in Sodalitiis inſtrui volumus. Eas tamen ſub hac prohibitione non comprehendimus Menſas, quæ pauperibus poſt pedum lotionem, ſub mandati nomine antiquiſſimo uſu commendata, impenſo Charitatis ſtudio, extra Sacellum inſtruuntur; nec vetamus edulia Pauperibus diſtribui: quare ſi quæ Sodalitas id habeat inter onera, vel in probata conſuetudine, pium morem commendamus; hoc ſolùm monentes, ut extra ambitum Eccleſiæ, & ſine tumultu fiat diſtributio, & qui id curæ commiſſum habent, ſibi meliora quæque non ſeponant.

August. lib. 6. Confeſſ. cap. 2. Cart. Can. 30. Trull. Can. 70. Can. oportet diſt. 42.

Conc. Laod. Can. 27.

CAPUT

CAPUT II.

De Bonis Eccleſiæ.

Bed. in Luc. 12. lib. 4. cap. 54.

NOn excidit Eccleſia à Sanctitate, ex quo ſe expedivit ab inopia: præceptum ſiquidem non eſt, ut nihil poſſideatur à Sanctis, quo vel ſuis, vel pauperum uſibus, & neceſſitatibus proſpiciant; cum & ipſe Dominus, cui miniſtrabant Angeli, tamen ad informandam Eccleſiam ſuam loculos habuiſſe legatur. Apoſtolus licèt ſine ſumptu poneret Evangelium, & ne quem gravaret manuario opere ſibi, & iis, qui cum illo erant, victum quæreret; nihilominùs inſtantiſſimè urget, ut beneficia rependat, qui doctrinam accipit, & catechizanti ſe communicet omnibus bonis; quoniam æquum eſt, ut partem accipiat cum ſacrario, qui ſacrario deſervit; carnalia metere poteſt, qui ſeminat ſpiritualia; & qui ad onus eligitur, repelli non debet à mercede. Vetus Eccleſia vix alios habuit reditus, quàm oblationes; at hæ quoque, fidelium pietate, eò excreverant, ut apud Ethnicos haberent invidiam. Poſt adeptam pacem nova illi, eaque ingens facta eſt bonorum acceſſio: pollicitus erat Deus, daturum ſe Sponſæ ſuæ Reges ipſos Proviſores, & Nutricios: Pro eo quod fuiſti abjecta, ponam te in ſuperbiam ſeculorum, & ſuges lac gentium, & mamillâ Regum lactaberis:

1. Cor. 9. ver. 18.
1. Theſſ. 2. ver. 9.
Actor. 20. ver. 34.

Ad Gal. 6. ver. 6.

1. Cor. 9.
Cap. Cum ſecundùm de Præben.

Ammian. Marcell. lib. 27.

Iſaiæ 60. ver. 16.

fidem.

fidem profectò liberavit; certare enim viſi ſunt Principes religioſiſſimi Viri, ut Eccleſiam opibus augerent. Hanc temporalem dotem Sponſæ Chriſti, non in cupiditatis irritamentum, ſed in charitatis materiam adminiſtremus, ſervemus, tueamur veluti rem ſacram Divino cultui, Miniſtris alendis, Pauperibus juvandis deſtinatam.

I. Cum vix aliud in tota Eccleſiaſtica hiſtoria execrabilius, aut frequentius occurrat, quàm rerum Eccleſiaſticarum facta per Laicos improba invaſio; Parochi inter Miſſarum ſolemnia ſæpè doceant, eam graviſſimam pœnam in ſacrilegos Invaſores bonorum Eccleſiaſticorum eſſe intentatam, ut diro Anathemate perculsi ſint, qui ſive Clerici, ſive Laici quacumque dignitate præfulgeant, aut quocumque uſi ſint quæſito colore, Eccleſiarum, Beneficiorum, Piorum Locorum, jurisdictiones, bona, cenſus, jura, fructus, & emolumenta per ſe, vel per alios, aut incuſſo timore, aut adhibito dolo, & arte in proprios uſus tranſtulerint, vel adhuc detinent, & impediunt ne iis, ad quos ſpectant, reſtituantur, aut ab illis percipiantur. Cujus Anathematis vincula relaxari non poſſunt, niſi emendetur id, in quo peccatum eſt; reſtituantur, ſcilicet ad quos pertinent bona, & à Summo Pontifice abſolutio obtineatur. Conſcientiæ ſtimulos acuant, & religioſum terrorem incutiant, ne de Bonis Eccleſiæ, quicquam vel extremo digito attingant, ni velint Deum habere ſeverum Judicem, & ultorem: oſten-

Cap. Qui res de Rebus Eccl. non alien. Cap. Tua, & Cap. Dudum de Decim. Can. Qui Chriſti, & ſeq. 12. q. 2. fer. per tot. Can. In Canonibus 16. q. 1.

Can. Quicumque. Can. Nulli. Can. Indigne 12. q. 2.

Nicol. ep. 6. ad Aquitan.

oſtendant ſic malè quæſita cæteris opibus, etiam legitimè partis, ſuam veluti inſerere maledictionem; ita ut improbas rerum Eccleſiæ invaſiones certum exitium, & familiarum extinctio miſerè ſequatur. Quia verò magis adhuc iniquum eſt, quòd Eccleſia domeſticos ſuos inimicos ſentiat, & eos direptores experiatur, quos in ſui tutelam, & ſervitium advocavit; Clerici, qui hujuſmodi invaſionibus, & uſurpationibus Duces, Auctores fuerint, imò vel conſenſum alienationibus, & uſurpationibus præbuerint, nedum eandem pœnam excommunicationis Sanctæ Sedi reſervatam, & in Bulla Cœnæ Domini indictam incurrent, ſed Beneficiis etiam privari debent ex Sac. Trid. Synod. præcepto, & in poſterum ad ea obtinenda efficiuntur inepti. Interpellent igitur, & urgeant, ut ſi qui reperiantur hujuſmodi viæ Viri, à rebus Eccleſiæ religioſè abſtineant, ſolicitâ reſtitutione eluant facinus, & quamprimùm ſe à vinculis eximant pravitatis.

Bulla in Cœn. Dom. §. 11.
Trid. ſeſſ. 22. cap. 11. de Reſor.

II. Cum res, & bona Eccleſiæ Eccleſiaſtici negligerent, aut in iis malè ſe gererent, ſeculares Viri prius curam, deinde proprietatem ſibi vindicarunt, itaut improvidâ Adminiſtratorum incuriâ factum ſit, quòd in bona Eccleſiæ toties nefariæ injectæ ſint manus: ex defenſoribus enim in invaſores tandem degenerarunt Laici, ex hoc in primis, quòd in hac cura eſſent Clerici remiſſiores, & omninò deſides, aut pulchrè cum raptoribus convenientes omnia perderent, prodigerent, & de-

Ex Capit. Mart. Bracar. XIV. & ſeq.

decoquerent. Memores igitur Beneficiati juramenti præſtiti, aut in noſtris, aut in Vicarii noſtri Generalis manibus, dum Beneficiorum poſſeſſionem adierunt, res omnes, ac jura Beneficiorum malè diſtracta, & ſacrilegè occupata ſolicitâ curâ redimere ſtudeant, & ab injuſta vindicent occupatione. Poſt adeptam igitur Beneficii poſſeſſionem in eam curam invigilent, & inveſtigent, ſit ne aliquid ex Eccleſiæ, aut Beneficii bonis imminutum: quòd ſi compererint, damna acri ſtudio ſarciri, ac reparari procurent. In noſtris Viſitationibus Inventarium conſcribi curavimus à quibuſcunque, ſive Beneficia obtinerent, ſive pia loca adminiſtrarent, de bonis omnibus ſtabilibus, cum ſuis confiniis, lateribus, juribus, partibus, & etiam de mobilibus, cenſibus cum indicatione temporis fundationis, & Notarii, juriſdictionibus, juribus Emphyteuticis, Canonibus &c. recenſitis etiam oneribus, quibus ea gravari contingeret. Si ab aliquo in Sacra Viſitatione omiſſum foret, intra duos menſes, ſub pœna aureorum quinque, ad Nos tranſmitti curet. Et quia lapſu temporis ſæpè accidit multa in his immutari, ideò præcipimus ſingulis decenniis hoc Inventarium, ut ſupra renovari, ne unquam de bonorum identitate ſuboriri poſſit controverſia, aut longâ oblivione redituum pereat memoria: & ne quid inde emergat damni, addatur ſemper clauſula, quod per hæc Inventaria nullum Eccleſiæ, aut Beneficio detrimentum creari poſſit, ſed ſua illi inte-

App. num. XXIV.

Cap. De Precariis hoc tit.

gra ſint jura, & bona, quoties aliquid, quod ibi foret omiſſum, tandem ad Eccleſiam, vel Beneficium pertinere dignoſceretur.

III. Sacræ prædæ quà vi, quà fraude inhiarunt ſemper Lupi rapaces, ut quod vi extorquere non poterant, arte obtinerent, & ut poſſunt occuparent: obviam eundum fuit non ſemel huic labi; ita ut cum eo fuco deprehendat Eccleſia invadi à Laicis ſuos proventus, quod eos conducant, & ex conductoribus Domini fiant, & Proprietarii, & ubi urget irritamentum malorum omnium cupiditas, ab æqua locatione facilis ſit excurſus ad iniquam invaſionem; omnes adhibet cautiones, ut occupet, & intercludat artes, quibus nefarii in ea bona graſſantur. Quamobrem ne temporis diuturnitate, & intercidente memoria, ut propria ſpectentur, quæ ut locata adminiſtrabantur; ſedula Apoſtolicæ Sedis providentia res Eccleſiæ ultra triennium utile, locari prohibuit. Pontificum Sanctionibus Nos quoque inhærentes locationem omnem ad triennium, ut ſupra, arctamus, irritas, & inanes eas omnes declarantes, quæ ad longius tempus factæ forent: uti exploſum volumus tanquam Legis eluſivum pactum illud ab initio initum, quòd à triennio in triennium cenſeatur facta iterata locatio: & quoties appoſita eſſet clauſula reſervato Apoſtolicæ Sedis Beneplacito, rei poſſeſſionem non adeat Conductor, niſi ea confirmatio fuerit prius impetrata. Repræſentatâ pecuniâ, & anticipatâ ſolutione factas in præ-

Cap. Ad Audientiam de Rebus Eccleſ. non alien. Extrav. Ambitioſæ.

Conſt. Urban. VIII. Humanæ.

præjudicium Succeſſorum, privatâ auctoritate, locationes ex Conc. Trid. Decreto irritas declaramus, ut ne temporis quidem tractu poſſint convalidari. Ad eas quantùm fieri poteſt Conſanguinei, vel Affines ſuo, aut vicario, & alieno nomine non admittantur, ut quorum in his fides magis nutat, & labat: Item finitimi ne propriorum agrorum fines cum Eccleſiæ detrimento proferendi exitialem habeant occaſionem, aut confuſis finibus, jurgia exurgant, & lites: quòd ſi ſecus fieri neceſſitas cogat, aut utilitas ſuadeat, in Syngrapha locationis agrorum per ſuos fines diſcretio exactè deſcribatur. Locationes non fiant ſecreto, ſed affixis publicis edictis meliorem offerenti conditionem, & plurimùm licitanti decernantur, accedente ſemper per idoneam fidejuſſionem adpromiſſore legitimo, ut magis cautum ſit locationi. Suus tamen habeatur modus inter faſtidioſam moroſitatem, & deſidem ſocordiam: juſtitiam enim colit Eccleſia, & nimiùm cupidos eſſe non oportet Eccleſiaſticos.

Can. de Precariis 11. q. 3. & cap. 2. de Precariis. Trid ſeſſ. 25. cap. 11. de Ref.

Conſt. Alex. VIII. In Suprema. Can. Decenter diſt. 89.

1. Tim. 3. ver. 2. & Tit. 1. ver. 7.

IV. Levitarum poſſeſſio ſempiterna eſt: Eccleſiæ Rectores, atque Adminiſtratores Beneficiorum, Piorumque Locorum, ni velint ſibi in damnationem perpetuam iram Dei theſaurizare, eorumdem bona immobilia, & mobilia pretioſa vendere, donare, permutare emphyteuſi, cenſui, pignori, canoni, hypothecæ, ſervituti ſubjicere, aut alio quovis modo contra Apoſtolicas Conſtitutiones alienare, vel obligare minimè præ-

Levit. 25.

Roman. 2. ver. 5.

Cauſ. XII. q. 2. fer. per tot. Cap. Nulli, & ſeq. de Reb. Eccl. non alien.

Urban. VIII. In Conſt. ſup. cit. Extravag Ambitioſæ. Trid. ſup. cit.

ſumant, ſub pœna, & cenſuris per eaſdem Conſtitutiones ſancitis, ipſoſque celebratos contractus irritos, & nullos declaramus; & quamvis addita ſit clauſula apponi ſolita, reſervato Sedis Apoſtolicæ beneplacito, adhuc tamen ſuſpendatur contractus, donec illud, ut mox de locationibus ultra triennium præcepimus, fuerit impetratum. Bona exigui valoris, mobilia non pretioſa, & quæ ſervando ſervari non poſſunt, quæve ex juris diſpoſitione auctoritate Ordinarii alienari poſſunt, non vendantur, non permutentur, aut quomodolibet obligentur, vel diſtrahantur ſine noſtra licentia, quæ danda erit in ſcriptis, quando juſta ſuberit cauſa, legitimo judicio probata, eam annuendi: alia ratione initi contractus inanes ſint, & irriti, & gravem arbitrariam mulctam dabunt, qui Nobis inconſultis illos celebraverint. Quando extinctâ lineâ, aut alia de cauſa Bona erunt ad Eccleſiam devoluta, quamvis jam olim in Emphyteuſim tradi conſueverint, non tradantur, niſi ſub auctiore, ſi fieri poterit, Canone, & ſervatis ſolemnitatibus, quæ in cæteris emphyteuticis bonorum Eccleſiaſticorum contractibus ſervandæ præſcribuntur. Numquam autem

App. num.XXV.

ex Sacræ Congreg. præſcripto bona Eccleſiæ ipſis Eccleſiarum Rectoribus, aut eorum Propinquis uſque ad quemcunque gradum Emphyteuſi, vel alio quocunque nomine alienari patiemur, ne Sion in ſanguinibus ædificetur. Arbores frugiferæ, & quæ virent, niſi cæduæ ſint, non incidantur,

niſi

niſi habitâ à Nobis facultate ſub pœna arbitraria pro modo damni, & etiam in ſubſidium excommunicationis ferendæ in Beneficiatos, ſi notabilis erit inciſura: cæteri tenebuntur gravi actione damni illati, prout de jure puniendi. Ubi autem incidi permiſerimus in Eccleſiæ, aut Beneficiorum uſum, & utilitatem vergant, & convertantur, ſuper quo eorum Conſcientiam graviter oneramus. Nemo item ſine noſtro conſilio, & auctoritate de rebus, & juribus Eccleſiæ tranſigere audeat, aut componere. Cap. Statuimus de tranſact.

V. Aliquando Romani Pontifices ſupplicantium precibus annuentes, & Eccleſiarum conſulentes neceſſitatibus alienandi facultatem, diſcuſſâ prius rei veritate, Epiſcopis permittere conſueverunt; aliquando ubi res exigui ſunt pretii, & evidens Eccleſiæ utilitas intercedit, diſtractiones noſtro arbitrio fieri jura concedunt. Sed hîc jam quæritur, ut fidelis quis inveniatur, ne aut falſis precibus obrepat, aut malis artibus Bona Eccleſiæ ſubripiat. Ad indagandam veritatem nonniſi alieno teſtimonio, ut plurimùm uti poſſumus, ideoque Teſtes, quos adhibebimus, ubi delegatâ, aut ordinariâ auctoritate proferemus ſententiam, omnia veritati, nihil gratiæ tribuant, aut favori: penſi ducant conſcientiam fallere, alioquin præter perjurii reatum, cujus abſolutio nobis eſt reſervata, ſciant ſe teneri ad reſtitutionem damni, quod inde Eccleſiæ, vel Loco Pio eveniret. Bona, quæ aliquid pendunt Eccleſiæ, Cap. Ad Aures de Reb. Eccleſ. Can. Terrulas 12. q. 2. 1. Cor. 4. ver. 2.

per-

permutari, aut ſubrogari in alia ſtabilia non poſſint, niſi cum ſpecifica ejuſdem oneris expreſſione. Si ſecus fiat, Venditores, Emptores, Notarii, aliique, qui in hanc rem, aut conſilium dabunt, aut ſuam quomodocumque operam conferent, ſubeant pœnam ſcutorum decem, & alias arbitrio.

VI. Non ſibi tantùm, ſed & poſteris conſulere debent Beneficiati; quare caveant, ne de colligendis fructibus plùs æquo ſoliciti, nullam, aut tenuem de ſervandis Fundis curam agant, ex quo fit, ut rebus in pejora, & deteriora deductis, congrua deſint Succeſſoribus vitæ præſidia, qui preſſi anguſtiis pro onerum reductione ſupplicare coguntur, non ſine Divini cultûs imminutione; & pia eorum voluntas fraudatur, qui Beneficia inſtituerunt. Beneficiorum ſuorum domos, & hiantia ædificia reſtaurent, alioquin Nos ipſi eorum impenſis reparari curabimus. Nunquam tamen ſub hoc reparationis prætextu, aut ut in meliorem redigant formam, ex toto, vel in parte, Nobis inconſultis, diruere præſumant, ſed noſtra licentia in ſcriptis accedat. Fidelem noſtrum Populum hortamur, ut quoties cernit Chriſti Patrimonium dilapidari, Nos moneat, qui ſeveris legibus agemus, ut damna reſarciantur, nec abeat inulta incurioſa negligentia. Ut vitent laqueos improbæ cupiditatis, & liberent ſe à verbo aſpero invidorum hominum, à quibus diffamari poſſunt, quaſi Villici iniquitatis bona Domini diſſipaſſent, Rectores

Conc. Londinen. Can. 18.

Pſal. 90. ver. 3.

Luc. 16. ver. 4.

Digitized by Google

res Eccleſiarum , & Beneficiorum pecunias, cujuſcunque ſint ſummæ, Eccleſiis , Beneficiis , Capellaniis, ac Locis Piis , quocunque nomine , vel titulo, cum onere reinveſtiendi provenientes penes ſe non retineant: ipſi non accipiant, & qui reſtituunt, liberè non ſolvant Rectoribus , Beneficiatis , Cappellanis , ſeu Adminiſtratoribus ſub pœna , ſi perirent, reiteratæ ſolutionis; in Monte Pietatis deponantur cum eo onere , & vinculo reinveſtiendi , quod non fiet , niſi adhibitis cautionibus mox perſcribendis .

VII. Nedum in ſpirituali , ſed etiam in temporali rerum Eccleſiaſticarum adminiſtratione primæ fuerunt ſemper Epiſcopi partes ; tunc maximè quando adhibito Cleri conſilio, ex communi Chriſti Patrimonio pro modo laboris , & meriti ſingulis , prout cuique opus erat , dabatur portio . Non ita deſcivimus à vetere conſuetudine , ut primævæ illius auctoritatis , & moris , vel factâ bonorum diviſione , ſua non ſuperſint veſtigia , & communicatis cum Clero conſiliis, in rationabilem rerum Eccleſiaſticarum adminiſtrationem , ſedulò vigilare non debeamus , ne cuique privato , hæc eouſque permittatur , ut ubi creditur diſpenſatio, etiam ipſa permiſſa videatur diſſipatio . In hanc rem igitur in utraque noſtra Civitate Montisfaliſci , & Corneti , & in populoſioribus noſtræ Diœceſis Locis Congregationem inſtituimus ex quatuor probatis Viris , quorum integritati , & diligentiæ ſatis tutò fidere poſſumus , quorum

Can. Apoſt. 39. Conc. Antioch. Can. 24. Gangren. Can. 7. & 8. Gelas. ep. 10.

Can. Sine exceptione 12. q. 2. Can. Regenda 10 q. 1. Can. Epiſcopus ib. q. 2. Cap. Irrita & ſeq. de his quæ fiunt à Prælat.

hæc

hæc erit cura, ut ubi de inveſtienda pecunia deliberatur, videant, an perſona, cum qua aut inſtituendus eſt cenſus, aut ineundus eſt contractus, tuta ſit, & idonea, tutus ſit fundus in quo implicanda eſt pecunia: ad ſtipulationem deveniri non poſſit, niſi duorum ſaltem accedat aſſenſus, quem non dabunt niſi diligenti præmiſſâ perquiſitione, & maturâ deliberatione, communicatis Conſiliis, illis conſtiterit utile, ac tutum eſſe inveſtimentum. Ubi igitur ex his pecuniis inſtituendus erit Cenſus, aut emendus Fundus, iſte ſervetur ordo: ab ipſo Beneficiato, vel Pii Loci Adminiſtratore, detur Congregationi ſupplex libellus, in quo quantitas pecuniæ inveſtiendæ, nomina, item cognomina Vendentis, aut Principalis Cenſuarii, & Fidejuſſoris unà cum Fundo, ejuſque finibus exprimatur: ubi Deputati, Pio Loco, & Beneficio pro ſua conſcientia ſatis cautum eſſe cenſebunt, preces admittant proprio ſubſcripto nomine in calce libelli, Vicario Generali pro interpoſitione reſcripti iterum porrigendi. Ubi autem à Deputatis fuerit approbatus, & reſcripto munitus Vicarii Generalis, inſeratur Inſtrumento deſuper conficiendo: qui ſecus Cenſus conſtituet, & Beneficii pecuniam implicabit ſemper de evictione tenebitur, ita ut in eum ſemper actio competat pro refectione damnorum.

VIII. Bonis Eccleſiæ intulit non leve damnum antiquarum Tabularum vitium, aut interitus. In poſterùm huic malo ſedulò proſpiciatur,

tur, & ſtudioſiſſima detur opera, ne Eccleſiæ jurium intercidat memoria; recuperentur ſi fieri poteſt, quæ deperditæ eſſent Scripturæ, & quæ extant, diligentiſſimè cuſtodiantur. Primùm igitur Parochi, & Confeſſores curent, ut Populi religioni ducant occultare, lacerare, ſupprimere, vitiare, aut iniquè detinere inſtrumenta, & ſcripturas cujuſcunque generis ſint, quæ ad Eccleſiam ſpectant, ejuſque jura tùm ſpiritualia, tùm temporalia reſpiciunt. Neque hoc obtentu ſibi quis ea vindicare poſſe credat, quòd in Majorum Commentariis habeat, aut in privato, & domeſtico Chartophylacio repererit: Beneficiato, aut Eccleſiæ Adminiſtratori retegat, & pactâ, ſi æquum fuerit, honeſtâ mercede, inde authenticum exemplum permittat exſcribi. Si alicubi eò res poſitæ eſſent, ut præſentiori operâ indigerent, ſupradicti Adminiſtratores Nos moneant, qui opportunè per ſua juris remedia malo ſolicitè occurremus. Intra trimeſtre inſtituatur etiam in ſingulis Eccleſiis Liber, in quo Inventaria ipſa, de quibus ſupra meminimus, exſcribantur cum expreſſione ſtabilium, effectuum, fundorum, ac jurium quorumcunque ad Præbendas, Reſidentias, Confraternitates, Loca Pia, aut Beneficia quæcunque pertinentium cum ſuis finibus cohærentiis, titulis, acquiſitionibus, & Notariorum nominibus, per quos excepta, & rogata fuerunt de his omnibus facta Inſtrumenta. Extruatur item in Sacriſtiis Armarium clave, & ſerâ munitum, ſive

Archivium, in quo præter Parochiales libros Baptizatorum, Mortuorum, Confirmatorum, & Matrimoniorum, etiam ſcripturæ omnes, & monumenta, quæ ad Eccleſiam pertinent, ſerventur, & quantùm fieri poteſt, ab injuria temporum cuſtodiantur. Horum omnium fiat Catalogus inſerendus ſupradicto Libro, nec ulli, ne ad publicum quidem uſum, commodentur, niſi de conſenſu Capituli, & acceptâ reſtitutionis cautione. Archivium duplici clave muniatur, quarum una ſit penès Eccleſiæ Rectorem, altera penès Sacerdotem aliquem ejus probitatis, & peritiæ, ut illi regendo, tanquam maximè idoneus, præfici mereatur. Non detrectabit hanc curam ſuſcipere, qui noverit quàm latè pateret poteſtas, & quanto eſſet olim in pretio dignitas Chartophylacis, cujus officium primùm fas eſt credere inſtitutum, ut Actorum Eccleſiæ, & Tabularum vigilem haberet cuſtódiam.

Anaſtaſ. in Schol. ad Act. 2. Synod. VIII. Codin. de Offic. Eccl. Conſtant. cap. 1.

CAPUT III.

De Eccleſiaſtica Immunitate.

Religio, & pietas Perſonis, Locis, ac Rebus ſacris eam impendi, & ſervari volunt immunitatem, quam ipſe tacitus naturæ ſenſus, etiam apud Barbaras Gentes, tribuerat. Dolendum ſanè foret deterioris eſſe conditionis in Evangelica Lege

Cap. Non minus de Immun.

Lege noſtros Clericos, quàm fuerint profani Sacerdotes ſub Pharaone, qui cum cæteros omnes ſervitutibus ſubegiſſet, Sacerdotes ſuos, & poſſeſſiones eorum in priſtina libertate dimiſit. Princeps Provinciarum Eccleſia fieri non poteſt ſub tributo: à Cælo delapſum habet hoc privilegium, & Imperatores, cùm primùm Chriſtianam Religionem profeſſi ſunt aucta potiùs, quàm imminuta voluerunt ipſius jura. Ad figuram perpetuæ libertatis præcepit Dominus, ab omni publica functione liberam eſſe Leviticam Tribum, ſacris tantùm curandis reſervatam. Suo, & Petri nomine ſtaterem pendi voluit Chriſtus Dominus, ſed prius ſuam, & Filiorum proteſtatus eſt libertatem. Non debebat Filius Dei, non debebat Petrus in adoptionem adſcitus à Patre; ſolvit ne ſcandalizarentur. A Perſonis, & Bonis ad ipſa Sacra Loca derivatur Immunitas, ut ſicut ſua Gentibus Aſyla, ſua Hebræis fuerunt Refugia, ſuam quoque in Templis haberent fideles tuitionem.

Gen. 47. ver. 26. Thren. 1. ver. 1. L. Sancimus. L. Placet. L. Jubemus. L. Privilegia &c. Cod. de Sacroſ. Eccleſ. Petr. Bleſen. ep. 112. Numer. cap. 2. & 8. Exod. 30. Matth. 17. ver. 3. S. Ambroſ. ep. 1. Exod. 21. Num. 35. Joſue 20.

I. Quantæ præſumptionis, & temeritatis exiſtat in Clericos manus injicere violentas in Evangelio Dominus proteſtatur, qui ſe in Miniſtris ſuis affligi aſſeruit, & ſperni: quare prima, & potiſſima Lex immunitatis Sacrarum Perſonarum conſervationi intenta eſt, quas ab omni vi, tum privata, tùm publica tuetur, & protegit, ita ut citra Excommunicationis pœnam à nemine iniquè lædi poſſint, nec ſeculari auctoritate capi,

Cap. Quantæ de Sent. excomm. Luc. 10. ver. 6.

Can. Si quis ſuadente 17. q. 4. Cap. Super eo, & ſeq. de ſent. Excomm.

vel violenter detineri. Quicumque ſuadente Diabolo in Clericum, vel Monachum violentas manus injecerit, ſciat ſe anathematis vinculo ipſo facto eſſe innodatum, cujus abſolutio, ſi gravis ſit percuſſio, Romano Pontifici reſervata eſt. Nec pœnam hujus Excommunicationis evadunt Laici, qui Clericos, etiam citra læſionem, detrudunt in vincula, aut in publica, vel privata cuſtodia violenter detinent. Ne autem ſolos violentiæ auctores aliquorum præſumptio crederet eſſe punitos, facientes, conſentientes, & fautores pari pœna plectendos Canonica Cenſura condemnat.

Cap. Cum deſideres. Cap. Nuper de ſent. Excomm. Can. Si quis deinceps 17. q. 4.

Cap. Quantæ. Cap. Mulieres de ſenten. Excomm. Cap. Cum quis hoc tit. in 6.

II. Non ſolvunt tributa, quorum Deus portio eſt: & ne duplici onere gravarentur Clerici, ipſæ ſeculares leges memores magis religionibus, quàm officiis Rempublicam contineri, nefas duxerunt, publicis ſervitiis fatigare, quos Deus in libertatem adſcivit, ut ſuo addiceret miniſterio. Immunes igitur eos volumus ab omni laico officio, & juxta canonicas ſanctiones ab omni perſonali profano onere ſubeundo exemptos declaramus: eſto illis permiſſum ſit legitimam tutelam adire, ubi urget pietas, nullâ tamen ratione ad id cogi poſſint, & obligari. Domini eſt univerſa terra, & plenitudo ejus, at quæ in partem cedit Eccleſiæ Miniſtrorum, Deo peculiari ratione addicitur, & in bonis hominum non cenſetur: unde pendendis vectigalibus non eſt obnoxia. Niſi aliter Apoſtolico Diplomate conceſſum ſit, ſub anathematis diſtrictione vectigalia, & tributa exige-

S. Ambroſ. loc. cit. Can. In qualibet 23. q. 8. ex Cod. Theod.

Can. Generaliter 16. q. 1. Tit. de Immun. & Tit. Ne Clerici, vel Monachi.

Pſal. 23. ver. 1.

Cap. Non minus. Cap. Adverſus de Immun. Cap. Quan-

exigere, nec non quæcunque alia onera Clericis, ac Eccleſiaſticis rebus imponere vetitum eſt. Ne ſponte quidem illis permittitur aliquid ſolvere; nec Laicis à ſponte ſolventibus titulo tributi, aut vectigalis illud exigere, & accipere etiam ſine vi, niſi de noſtro conſenſu, & obtentâ Apoſtolicæ Sedis licentiâ: Liberum nobis non eſt noſtra jura aſpernari, nec privilegio in favorem totius Clericalis Ordinis inducto poteſt privatus quis renunciare. Ubi verò nedum ſuadet utilitas, ſed ipſa jubet neceſſitas conferre aliquid in publicos uſus, cùm ferendo oneri pares non ſunt Laici; onus non ſubeant Clerici, etiamſi ad publicas exactiones id non pertineat, ſed communem reſpiciat utilitatem, quæ in Eccleſiaſticos ipſos derivatur, niſi Nobis conſultis, & obtentâ, quando opus fuerit, Apoſtolicâ facultate, ut re perpensâ, quid fieri debeat præcipiamus: nunquam tamen vis, aut auctoritas Judicis Laicalis interponatur, nec Eccleſiaſtica jura Civiles invadant Magiſtratus. Sciant autem Excommunicationem latæ ſententiæ iis inflictam eſſe, qui editis ſtatutis, aut pravis inductis conſuetudinibus libertatem Eccleſiaſticam violant, quive ad ea ſtatuenda, inducenda, vel ſervanda utcumque operam contulerint, aut auxilium, conſilium, favorem præſtiterint: & ſi non ſingulares Perſonæ, ſed Univerſitates Civitatum, aut Locorum iſta attentaverint, ſubjacent Interdicto.

III. In ſuæ Charitatis officiis benigniſſima ſemper Mater Eccleſia non ſuffragatura peccato, ſed

quam de Cenſib. in 6. Clem. Præſenti Cod. tit.
Trid. ſeſſ. 25. cap. 20. de Refor.
Bulla in Cœn. Dom. §. 18.
Conc. Lateran. ſub Leone X. ſeſſ. 9. ſub fin. Cap. Clericis de hoc tit. in 6.
Cap. Significaſti. Cap. Si diligenti de Foro compet.
Cap. Pervenit. Cap. Adverſus. Cap. Non minus ſup. cit.
Cap. Gravem. Cap. Noverint de ſenten. Excomm.
Can & Conſt. ſup. cit.

ſed peccatum emendatura ſolemne habuit impendere tutelam Reis, qui ad eam confugerent, ut loci ſancti reverentiâ, & interceſſione defenderentur. Hanc ſibi auctoritatem, & honorem, adeò ſolicitè vindicat, & religiosè cuſtodit, ut Excommunicationi latæ ſententiæ, à qua abſolvi non poſſint, niſi à Summo Pontifice, ſubjacere voluerit illos, qui in Reos ad Eccleſiam confugientes manus injicerent, aut illos caperent, conſtringerent, extraherent, raperent in Carcerem. Imò iiſdem diris devoti ſunt, qui prohiberent, quominùs ad eos alimenta, veſtes, cæteraque ad vitæ ſubſtentationem neceſſaria deferrentur: qui Eccleſiam more Caſtrorum circumvallarent, obſiderent, obſervarent, ne inde elabi poſſit Reus; incuſſo metu, aut vi eum in fugam conjicerent: nec vis tantùm prohibetur, ſed etiam dolus, ita ut reus læſæ Religionis, & excommunicatus exiſtat ille, qui blandis quoque verbis, vel promiſſâ ſecuritate ad deſerendam Eccleſiam alliceret. Non ſolùm majores Eccleſiæ, ſed ipſa Sacella, & Cappellæ, dummodò fuerint Divinis obſequiis deputatæ, ſicut etiam Ædes Epiſcopalis, Seminarium, Monaſteria, Domus Regulares, Sacra Religioſa Loca, quamvis ſecularia, quæ pietati, & Religioni deſerviunt, ut Hoſpitalia Pauperum, Virginum, aut Mulierum reparatarum eâdem gaudeant immunitate, & aſyli honore: quæ immunitatis ſpatia ad portas, ad gradus, ad Veſtibula, ad Atria ſacrorum locorum extenduntur.

Conc. Arauſic. Can. 5.

Can. Definivit. Can Frater, & ſeq. 17. q. 4 Conſt. Gregor. XIV. Cum alias

Cap Nullus. Can. Si quis contumax. Can. Mirum. Can. Frater 17. q. 4.

Cap. Eccleſię de Immun. Eccl. Can. Si quis in atrio. Can. Conſtitu mus &c. 17. q. 4 Cap. Ad hęc de Religioſ. Domib.

IV. Ne-

IV. Ne foveamus peccata, dum impertimur miſerationem, nulli confugium ad Eccleſiam denegetur; ita tamen ut honori, & Sanctitati illius ſemper proſpiciatur. Volumus igitur primò, Confugas intra Eccleſiam ſupplices, non armatos conſiſtere. Si quis illuc cum armis confugiat, conveniatur à Vicario Foraneo, ut arma deponat. In Dei ſunt protectione, & ea illis datur ab Eccleſia fiducia, ut melius religionis nomine, quàm armorum præſidio muniantur. Indecens ibi cubare, edere, ſi alium igitur locum immunem habeat Eccleſia ad hæc officia, eò ſe conferant. Vetiti item ſint ludi, & comeſſationes. Mandamus inſuper Eccleſiarum, Confraternitatum, & Piorum Locorum Rectoribus, ne de facili contumaces, & facinoroſos homines in tutelam recipiant: nunquam illis inhiberi volumus confugia, præcipuè ubi à Satellitum manibus elabuntur, ſed intra triduum, ſub pœna etiam amotionis ab officio, Nos moneant, ut quid fieri oporteat videamus; præcipuè ſi de quopiam pravo, & verſipelli ageretur, cui impenſa tutela non ad augendum Dei cultum, & Eccleſiæ exiſtimationem, ſed ad creandam invidiam conduceret. Non ſolùm Perſonæ, ſed res omnes in Eccleſiam deportatæ beneficio gaudent immunitatis, & à nefaria ſacrorum deprædatione temerarias manus deterrere debet exemplum Heliodori, qui Hieroſolymitani Templi gazam expilaturus, ſuſcepti ſacrilegii pœnas dedit non leves. Ne fraudibus aperiatur

L. Pateant. L. Si Servus Cod. de his, qui ad Eccl. confug.

Leg. Pateant ſup. cit.

Can. Omnes Eccleſiæ. Can. Sicut qui. Can. Quiſquis 17. q. 4.

2. Machab. 3.

tur aditus ſub immunitatis prætextu ; graviſſimis pœnis, pro gravitate culpæ noſtro arbitrio luendis, Rectoribus Eccleſiarum inhibemus, ne à publicorum Vectigalium Fraudatoribus eò invehi, aut reponi permittant merces vetitæ invectionis, cum publicorum redituum detrimento, & ſacræ ædis dedecore.

V. Ex Religione deſcendit officium, quod ad ſe confugientibus præſtat Eccleſia, ubi ſui Sponſi imitata manſuetudinem non vult mortem Peccatoris; ſed ut convertatur, & vivat: quia tamen nihil adeò ſanctum eſt, quo humana perverſitas non abutatur, & nimia indulgentia perditis hominibus peccandi eſt irritamentum; ideò prudenter, ut ſemper habuit in more, Romana Eccleſia, ſtatuit è Divino, & Eccleſiæ honore eſſe, caſus quoſdam ab Aſyli gratiâ, & beneficio excipere; quas exceptiones in variis Canonum locis permixtas collegit, & confirmavit Greg. XIV. in Bulla : *Cum alias*. At quia cauſæ cognitio ad Nos pertinet, ideo non ſolùm, ubi dubium foret, ſitne perpetratum ſcelus ex eorum claſſe, quæ Eccleſiæ immunitati ſubtrahit atrocitas, verùm etiam ubi adeo notorium eſſet, ut nulla poſſet tergiverſatione excuſari, nihil Curia ſecularis moliatur, Nobis inconſultis, ſed in utroque caſu Nobis inſtituendam cognitionem reſervet, noſtramque declaratoriam ſententiam expectet, donec præmiſſa debitâ diſquiſitione, de notorietate docti, aut ſummariè ſine Judicii figura,

Can. Ad Epiſcopos 17. q. 4. Cap. final. de Immun. Eccl. Conſt. Greg. XIV. ſup. cit. §. 8.

aut

aut ſervato juris ordine providam feramus ſententiam. Ubi autem Judici Seculari tradendus erit Reus, impediatur, quantùm fieri poteſt, tumultus, & Eccleſiæ decori conſulatur. Sac. Cong. Immun. in Milevit. 15. Julii 1638.

VI. Memores quàm acriter ſemper, & quâ ſummâ, ac prorsùs ſingulari animi fortitudine Patres noſtri pro Eccleſiaſtica libertate, & immunitate pugnaverint, nihil de illa imminui permittant, nec in ſacra jura labem aliquam invehi patiantur Eccleſiaſtici: unà nobiſcum inexorabili, & indeflexâ conſtantia in juxta Canonicas Conſtitutiones ea tueantur, & obſervari ſatagant, ne unquam jura Dei, & jura Cæſaris confundantur. Ab omni tamen tumultu caveant, & quantùm fieri poteſt, ſine perturbatione ſe gerant, ne jactantiæ cauſa potiùs, quàm miſerationis, & juſtitiæ noſtra privilegia tueri velle videamur. Nos interim, ſi quæ Conſtitutiones, Conſuetudines, Statuta inducta, & inſtituta fuiſſent immunitati, & libertati Eccleſiaſticæ contraria, nulla, irrita, & caſſa declaramus, & Leges omnes Eccleſiaſticæ immunitatis in Bullis Summorum Pontificum, & Decretis Sacr. Congreg. immunitatis contentas ad amuſſim impleri mandamus, propoſitis iis Excommunicationis pœnis, quibus per ſacros Canones violatores feriuntur: ſed quia nefariis, & impiis hominibus, parùm de ſua ſalute ſolicitis, minima eſt animæ jactura, & quandoque Cenſuras aut contemnunt, aut negligunt; ideò ubi opus fuerit, horum temeritatem graviſſimis

Ambroſ. Off. lib. 2. cap. 2.

mis,etiam temporalibus pœnis,coercebimus. Quoniam quandoque Populi peccant, quia ignorant; Parochi, & Concionatores indignantes Eccleſiæ iras, & Canonicas has pœnas illis aperiant,oſtendantque, nunquam proſperos habuiſſe ſucceſſus, quæ in Eccleſiam fuerunt attentata: Contritio, & infelicitas fuit ſemper in viis eorum, qui ſacra invaſerunt.

Petr. Bleſen. ep. 112. ſup. cit.

Pſal. 13. ver. 3.

CAPUT IV.

De Capitulis, & Canonicis.

Luc. 6. ver. 13.

CHriſtus ex numero Diſcipulorum elegit duodecim, quos & Apoſtolos nominavit. Hos ire juſſit in Mundum univerſum, & ampliſſimam impertitus facultatem inſtituendis Eccleſiis, certiſque legibus, ac ritibus ordinandis, & regendis præfecit. Aucto fidelium numero, nata ſunt partium ſtudia: alii alios ſuæ Fidei auctores præferebant, & dicebatur in populis: Ego ſum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ. Hinc ad vitandas diſſenſiones, & præcavenda ſchiſmata in majoribus populis, & frequentioribus Urbibus conſtituere oportuit certos Præſides, qui ſalvâ in omnibus Apoſtolicâ auctoritate, haberent cathedræ dignitatem, & in cura Dominici gregis ſuum gererent Epiſcopatum. Iis ſumma regendarum rerum commiſſa fuit, ita tamen, ut ſuum haberent

1. Cor. 1.

Can. Olim diſt. 95.

Can. Urbes, & ſeq. diſt. 80.

Can. Epiſcopus, & ſeq. 12. q. 1.

Digitized by Google

rent Presbyterium, & ſacrum, ac peculiarem Clericorum Cœtum, cujus conſilio, & miniſterio in gravioribus Eccleſiæ negotiis, tùm in ſpiritualium, tùm in temporalium rerum adminiſtratione, uterentur. Ab hoc cœtu, & veluti Sacro Senatu Sacerdotum, qui erant Epiſcopi Aſſeſſores, & Conſiliarii, fas eſt ducere originem Cleri, quem jam diu Capitulum dicimus Eccleſiæ Cathedralis. Eſt quod gloriemur,&gaudeamus nobiliorem hanc noſtri Cleri portionem bene inſtitutam de manu Domini ſuſcepiſſe: ut illuſtrior eſt illius locus, ita excellentior eſt pietas, & doctrina, & dignitati egregiè reſpondet integritas diſciplinæ. Ne tepeſcat ardor ſpiritûs, ſed nova in dies ſumat incrementa virtutum

Conc. Carth.IV. Can.22.&23.

S.Ignatius ep.5.

I. Meminerint Canonici, nomen illis non ex eò tantùm factum eſſe, quòd in Canonem, ſeu Matriculam Eccleſiæ relati,ſtatutam de illius bonis percipiant portionem: Canonici dicuntur, quia obſervandis regulis Eccleſiaſticis cæteris arctiùs ſe devoverunt: rem igitur ſui nominis impleant, canonicè vivant, & eſſe ſtudeant, quod dicuntur. Ad conſervandam, augendamque Eccleſiaſticam diſciplinam inſtitutæ ſunt eorum Dignitates, unde qui eas obtinent, hoc oneris habent impoſitum, ut operâ, & officiis juvent Epiſcopum, & quia in iis, quæ pertinent ad Divinum cultum, & Eccleſiaſticos mores,eorum facta,& dicta poſita ſunt inferiori Clero ad imitationem, præbere ſe debent in omnibus exemplum bonorum operum. Sunt ipſi Ec-

Con.Antioch.can.6. Chalced. c.2. Trullan. can. 6.

Iuo Carnot.ep 59.

Can. In omnibus de Conſecr. diſt.5.

Trid.ſeſſ.24. cap 12. de Ref.

Can.de iis diſt. 12.

Tit.2. ver. 7.

Trid.ſup.cit.

 cleſiæ

cleſiæ Senatus, & in partem ſolicitudinis, ac ſacri illius Imperii veniunt, à quo reliquus pendet Clerus, & populus; quapropter Epiſcopo maximè devinctos eſſe oportet, ut tum temporalis, tum ſpiritualis Diœceſis gubernatio rectè procedat. Benè novimus, quòd nos Caput ſumus, illi membra eſſe probantur: unde non decet membra à capite diſcedere, aut Caput membris non providere. Ubi de re gravis momenti agetur, cum illis noſtra conſilia communicabimus, & quem cuique videbimus aptum muneri, illi eum deſtinabimus, ſervatis ſemper legibus charitatis, quam in Filios, & Fratres decet habere ſinceram, non ſimulatam. Ultrò, citròque officiis certare par eſt, ut dum reverentiam minores potioribus exhibent, & potiores minoribus dilectionem impendunt, vera concordia fiat, & rectè officiorum geratur adminiſtratio ſingulorum. Ad ſocietatem conſiliorum, aut Eccleſiæ regiminis vocati, quæſitis coloribus, moras minimè nectant, nec ſe unquam præbeant minùs obſequentes in præſtandis iis miniſteriis, quæ Deo, Eccleſiæ, & Epiſcopo deſponderunt.

Cap. Novit. de his, quæ fiunt à Prælat. Can. Non decet diſt. 12.

Tit. ſup. cit. de his &c.

Can. Ad hoc diſt. 89.

II. Præter ſolemniora ea Capitula, quæ in feſtis D. Lucæ, & Dominica in Albis apud Monteſaliſcum, in die SS. Innocentium Corneti celebrari ſolent, ſingulis ſaltem menſibus alia cogantur, in quibus omnes, & ſinguli Canonici conveniant ad pertractanda ea, quæ Dei cultum, & res Eccleſiæ reſpiciunt. Juſſu Decani, ſive Archidiaconi,

diaconi, vel iis abſentibus, proximè ſequentis Dignitatis indicantur die & horâ, quæ Divinis Officiis non incommodet: & ſinguli, qui intereſſe debent perſonaliter, aut delato ad privatas eorum domos mandato, per Clericum moneantur. Quinque ad minus ſint, qui cum jure ſuffragii conveniant, ſi pauciores fuerint, irritum conventum declaramus. Ut hæc ſacra comitia ritè procedant, piè ineunda ſunt, maturè, liberè, & fideliter habenda. Pridie diei, quo erunt obeunda, edicantur; niſi ſubitus caſus præſens conſilium poſtularet, & pro re nata, aut pro levi negotio, ſtatim in Capitulum Canonicos convenire aut ferret occaſio, aut urgeret neceſſitas. Quia à Deo recta conſilia, & juſta ſunt opera, eumque auctorem habent felices benè conſultorum ſucceſſus, ab invocatione Sancti Spiritus inchoentur, cum gratiarum actione à Præſide concludantur. Ne quid præcipitanter fiat, ubi de rebus arduis agendum erit tempeſtivè quidem, ſed providè capiantur conſilia: quare in uno Capitulo re propoſitâ, ad aliud remittatur deliberatio, ſi id negotium ſit, cui à mora periculum non immineat. Privatis commodis non ſtudeant, ſed ab ira, odio, amicitia vacui in ferenda ſententia Dei gloriam, & publicam utilitatem præ oculis habeant: metu offenſionis non ſileant, quæ proſunt; nec proferant, quæ placent ad captandam alicujus gratiam. Uſus, & experientia ſcientiam afferunt, proindeque Juniores Senioribus deferant, Seniores tamen

tamen non ſint adeò moroſi, & propoſiti ſui tenaces, ut Juvenes rectè ſentientes ſpernant: quoniam etiam in virente ætate cani eſſe poſſunt ſenſus hominis. Nihil obſtet, quominùs ſententiæ candidè, & ingenuè ferantur, nec ſit, qui ſuo ſibi ex cerebro plus cæteris ſapere videatur, ut velit præſidentiæ ſuæ aliorum omnium obnoxiam libertatem. Abſint jurgia, ſtrepitus, contentiones, & partium ſtudia, ita ut etiam ubi abitur in varias ſententias, ſtudeant ſervare unitatem ſpiritûs in vinculo pacis. Qui in convicia erumpet, quinque aureis, & aliis pœnis, pro convicii gravitate, mulctabitur. Quinque julios in pœnam ſolvet, qui licentiâ à Præſide non impetratâ, diſcederet nondum dimiſſo, & abſoluto Capitulo. Si alicujus Canonici, aut ejus Conſanguinei, & Cognati intra ſecundum gradum res agatur, is à Capitulo recedat, & nonniſi re peractâ admittatur. Suffragia ſecretò ferantur, & ut ſilentii fides integra ſervetur, vetitum cuilibet ſit de rebus in Capitulo actis, cum exteris miſcere ſermones, alioquin graviter punietur, & etiam jure ſuffragii privabitur. Collatis conſiliis, quod optimum eſt, eligatur: grave nimis, & reprehenſione digniſſimum, quòd pauci quandoque non tam de ratione, quàm de propria voluntate ordinationem multorum impediant: re integrâ ſingulis diſſentire fas eſt; peractâ, quod pluribus placet à cunctis tuendum eſt; quocirca ſtatuimus, ut illud prævaleat ſemper, & ſuum conſequatur effectum, quod à ma-

Sap. 4. ver. 9.

Epheſ. 4. ver. 3.

Cap. Cum in cunctis de his, quę fiunt à major. par. Capit.

majori parte fuerit conſtitutum. Adeò benè nobiſcum agi ſperamus, ut meliora pluribus placeant, & ſuffragia numeraſſe, ponderaſſe ſit. Nemini item liceat officia, vel munia ſibi à Capitulo delata recuſare, & ſi recuſaverit, opportunis remediis ea ſubire a Nobis compelletur: imò in eos, qui renuerent, non viâ juriſdictionis, ſed ſpecie quadam conventionis poſſint Capitulares Canonici pœnam indicere, cui ipſimet aſſentiantur, dummodo ea ſit, quam etiam privati poſſunt infligere, nec illi ſubjiciantur Succeſſores.

Cap. ſin. hoc tit.

Sacr. Congreg. apud Fagnan. lib. 1. Decr. p. 1. Cap. Cum omnes de Conſt.

III. Quamvis extremâ hâc noſtrâ ætate, aliis in diſciplinam inductis moribus, exoleverit, & penè occiderit pars maxima decoris, & juris, quod ex miniſterio Epiſcopis impenſo, ita accreverat Archidiaconis, ut non ſemel coerceri debuerit faſtus, & reprimi ſupercilium nimiùm audentibus animis; nulla tamen ad Nos uſque decurrit ætas, quæ Archidiaconalis muneris etiamnum præſtantis non ſervet veſtigia cum antiquis inſtitutis conſentientia, eâ potiſſimùm parte, quâ Epiſcopi manus, & oculi dicuntur. Ne de nomine tantùm ſpectabiles ſint Præſides noſtrarum Cathedralium Decanus, & Archidiaconus, ſciant, ſe Cleri moribus præpoſitos inſpectores, adjutricem Nobis operam præſtare debere, ut parte oneris levent, & ſolicitudinis. Illis igitur incumbat ſtudere, ut quæcunque à Nobis in Dei cultum in Eccleſiæ diſciplinam, in Cleri mores ſtabilita ſunt, exactè impleantur. Si quem ex Clericis cujuſcunque ſit

Conc. Nicæn. can. 14. Laod. can. 24. Agath. can. 61. Gelaſ. ep. 9. S. Hieron. epiſt. ad Evagr. rel. in Can. Legimus diſt. 91. Q. 101. in Vet. Teſt. int. oper. Aug.

Tit. de Offic. Archidiac. Trid. ſeſſ. 24. cap. 12.

ſit ordinis, & gradûs in ſuo munere negligentem cognoverint, aut Decretis noſtris parum obſequentem, moneant, & corripiant, nec ſint Speculatores cæci, qui neſciant: aut Canes muti, qui non valeant latrare. Quòd ſi graviore manu opus fuerit, rem quantocyùs ad Nos deferant, ut pro modo culpæ pœnas decernere poſſimus, & opportuna adhibere remedia. Illud autem in primis ab eorum fide, & induſtria deſideramus, ut inquirant juxtà veterem diſciplinam in vitam, & mores eorum, qui ſe ſiſtunt ordinandos, ne ſola ſit inutilis ceremonia ea, quæ adhuc ſervatur, ubi quos requiſito Populi teſtimonio non indignos reputat Archidiaconus, eos offert Epiſcopo ordinandos. Bene præſtiti officii ratio conſtet, & ſi noſtræ ſunt manus, non torpeant; ſi noſtri ſunt oculi, ad errores, & ſcelera, nec caligent, nec conniveant.

Iſajæ 56. ver. 10.

Con. Carth. IV. Can. 5. 6. 9.

Pontific. Roman.

IV. Ad intelligibilia ſenſus menti quandoque præire ſolent, & quia animus Corpori adhuc inditus ex his, quæ novit, ſurgit ad incognita, quæ non novit: ex ipſo apparatu, ac veſtium nitore, excitatur in Sacerdotibus incorruptibilis, quam ſervare debent, ſanctitatis memoria: & altiùs in Populorum animis infigitur ſacrarum rerum reverentia. Id tanti viſum eſt Majoribus noſtris, ut juxta probatos antiquos mores ex inſtitutione Urbani V. in Cathedrali Montisfaliſci evectum ſit in Dignitatem munus Sacriſtæ, cui Sacrarum Veſtium, & vaſorum cura eſſet commendata: Quæ igitur, vel de Eccleſiæ nitore, vel de ſacra-

Tit. de Offic. Sacriſtæ.

ſacrarum ſupellectilium cuſtodia, & munditie generatim præſcripſimus, exactiſſimè ab Æditio, quem ſuis expenſis ſibi ſubſtituit, curet obſervari; & invigilet, ne ſtatæ pro perſolvendis Divinis Officiis horæ à quopiam invertantur. Eam demum in curanda ſupellectili ſacra adhibeat ſolicitudinem, ut inde cæteræ Eccleſiæ ſumere poſſint, quod imitentur. Et quoniam non ſemel pii Sacerdotes apud Nos conqueſti ſunt, in privatis Eccleſiis multa ſordere, in Monteſaliſco Sacriſtæ, Corneti verò Præpoſito hanc committimus facultatem, ut quater ſaltem in anno eas privatas Eccleſias non exemptas adeant, ibique noſtro nomine, & vice ſacram ſupellectilem inſpiciant, & recognoſcant, eaque provideant, quæ è re divini cultûs eſſe videbunt.

V. Præcipuum excipiendæ Exomologeſis onus ſemper ſuſtinuerunt Epiſcopi: huic muneri, cum magnus non erat Fidelium numerus, per ſe vacare poterant; at eo aucto, operoſo nimium oneri ferendo impares, & aliis curis intenti, adjutorem adſciverunt Presbyterum, cui in regendo Pœnitentiæ Tribunali ſuas vices commiſerunt. Hinc unus in Principe Eccleſia decretus eſt Sacerdos, qui publicis confeſſionibus præeſſet, & Preſbyter Pœnitentiarum dicebatur. Ab hoc præfecto publicis Confeſſionibus Sacerdote originem ducit conſpicuum Pœnitentiarii officium, noviſſimo etiam jure, in Cathedralibus reſtitutum, & in Beneficii gradum evectum. Ex impoſito igitur ſibi

Euſeb.hiſt lib.5.cap. ult. Tertull.lib. de Pœnit. cap. 9. Conſtitut. Apoſt. lib. 2. cap. 15. & ſeq.

Socrat.lib.5.cap. 19. Sozom.lib.7 cap 16. Niceph.lib.12.c.18.

Cap Inter cætera de Off Jud. Ordinar. Trid. ſeſſ.24. cap.8.

Digitized by Google

munere Canonici noſtri Pœnitentiarii ſatis prævidere poſſunt, quantùm præſtare debeant pietate, & doctrinâ, ut pro officio ſuo cum peccatorum audierint varietates, ſciant, quis ligandus ſit, & quis ſolvendus: ſi quæ enim in Foro Pœnitentiali emergunt difficiliores ambages, ipſos conſuli oportet, & graviores peccatorum ſarcinæ ut plurimùm ad illorum aures deponuntur. Hoc illis facimus privilegium, ut à caſibus Nobis reſervatis abſolvere poſſint: ſecundùm Domini diſciplinam, ad ædificationem non ad oſtentationem hanc poteſtatem exerceant. Aſſidui ſint in Confeſſionali ſede præcipuè ſolemnioribus diebus, & tempore Adventûs, & Quadrageſimæ, ut facilè adiri poſſint à Populo, quoties erit ex uſu: & ubi excipiendis confeſſionibus vacant, Choro, & Officiis Divinis præſentes cenſeantur.

S. Hieron. in cap. 6. Matth.

VI. In veteri Eccleſia, dum Clerici colebant communem vitam, ne in invidiam venirent Epiſcopi; neve miniſtraturi menſis à ſpiritualibus miniſteriis ii avocarentur, quibus Verbum Dei, & divina officia erant commiſſa; inſtituti ſunt Oeconomi, qui primitias, oblationes, eleemoſynas, ac reliquos Eccleſiæ reditus redigerent, & ex arbitrio Epiſcopi ſingulis, pro modo laboris, & meriti, diſtribuerent. Mutato temporali rerum Eccleſiaſticarum regimine, cùm in unam adhuc bonorum ſocietatem conveniant Capitulares Canonici, neceſſe eſt, unum quem aliis veluti devoveri, & temporalis adminiſtrationis curam reci-

Actor. 6. Conc. Chalced. can. 26. Conc. Nicæn. II. can. 11. S. Greg. lib. 1. ep. 22. & lib. 9. ep. 66

Can. Epiſcopus 10. q. 1. Can. Ex his, & ſeq. 12. q. 1.

recipere, ut cæteris ab omni terrena ſolicitudine ſolutis liberum ſit Deo vacare. Qui igitur in adminiſtrandis Capituli, vel Sacriſtiæ reditibus inſtituti erunt Oeconomi, ſeu Camerarii, in hoc pietatis officio ita debent occupari, ut ipſa terrena ſtudia ad Dei cultum referantur. Res Eccleſiæ eâ diligentiâ, & bonâ fide curent, & diſpenſent, quæ Deo debetur omnium Judici, & Proviſori: ſuperfluas expenſas reſecari ſtudeant, & ſingula ita accuratè moderentur, ut Eccleſiæ, & Miniſtrorum neceſſitatibus commodè poſſit provideri. Ne vel ſuſpicio ſuboriri poſſit improbæ adminiſtrationis, ſingulis annis rationes exhibeant duobus iis Syndicis, qui à Capitulo inſtituentur: hi diligenter inſpectis rationum libris, & rebus omnibus ad calculos exactiſſimè revocatis, publicum ferent de adminiſtratione teſtimonium. De bonis, & juribus Eccleſiæ ſinguli ſtudeant edoceri ab iis præcipuè, qui per ætatem, & uſum expertiores ſunt, ut omnes in ſocietatem veniant laboris, & ſemper in Capitulo reperiantur, qui pares negotiis ſint, & miniſterio: Ante omnia autem quærant Regnum Dei, & omnia ſibi adjectum iri confidant.

Can. Quæcumque 10. q. 7.

Matth. 6. ver. 33.

CAPUT V.

De Horis Canonicis, & Chori Diſciplina.

IPſa natura hoſtiam laudis Deo docuit offerre, & ſecula omnia hoc religionis officio Deum proſecuta ſunt. In veteri Lege horarum ſpatia jampridem ſpiritualiter determinantes Adoratores Dei, ſtatis, & legitimis ad precem temporibus ſerviebant: & manifeſta poſtmodum res facta eſt, Sacramentum olim fuiſſe, quòd ante Juſti ſic precabantur. Proditum id tandem eſt ſub Evangelio, ubi ad recolenda præcipua Dei beneficia hominibus collata, præter horas antiquitùs obſervatas, orandi ſpatia, & ſacramenta creverunt. Hoc divinæ ſervitutis obſequium, certis temporum intervallis diſtinctum vetuſtiſſima Nobis monumenta commemorant, & commendant; itaut ad Apoſtolicam traditionem referri poſſit illius inſtitutio. Apoſtolos ſtatis horis orationi, ac divinis laudibus vacaſſe, non ſemel referunt Acta Apoſtolica: ſæviente etiam perſecutione definitas precandi horas habebant fideles, qui ſervatâ, ut poterant, temporum lege, quo dabatur loco, ſacros ſuos agebant conventus: quare ex primæva hac inſtitutione, & uſu Horas Canonicas in conſuetudinem Chriſtianorum perveniſſe non dubitamus. Inde

Cypr. lib. de Orat. Dominic. ſub fin.

Gloſſ. in cap. 1. de Celebrat. Miſsar.

Actor. 2. 10. & 16. Lib. 8. Conſt. cap. 34. Tertullian. lib. de Jejunio cap. 10. Caſſian. de Cœnob. Inſt. lib. 3. cap. 3. & ſeq.

Inde acceptæ religioſè obſervantur: pſallunt utique etiam in exilii loco, & lacrymarum valle Eccleſiæ Filii, ut cæleſtis Hieruſalem æmulentur gaudia, cujus imitantur miniſteria, & ut anima curis ſecularibus impedita ex intervallo ſaltem ad divina reſpiret: ne aſſuetæ autem beatorum Spirituum concentibus aures noſtra faſtidiant Cantica, hanc Choro præſcribimus diſciplinam. S.Leo ſer.4.de Jejun. ſept. menſ.

I. In Choro eos Præfectos confirmamus, & quatenus opus ſit, iterum deputamus, & conſtituimus, quos Eminentiſſimus Prædeceſſor noſter declaravit, ſcilicèt in Cathedrali Montisfaliſci Decanum, in Cathedrali Corneti Archidiaconum: In Collegiatis Priorem, Archipresbyterum, aut reſpectivè Præpoſitum, iiſque abſentibus, qui poſt illos primum obtinent locum: quorum partes erunt diſciplinam Chori exactè tueri, vel quoquo modo collapſam reſtituere. Caveant, ne ex incuriâ, indulgentiâ, vel alio humano motivo irrepant abuſus, aut inducti inoleſcant, & noverint hanc Chori diſciplinam nulli præſtandam exactiùs, quàm ipſis, à quibus ratio etiam aliorum exigitur. Quos deſides, & errantes adverterint, in ſpiritu lenitatis, & Eccleſiaſtica gravitate, & modeſtia moneant; intendentes quidem correctioni, ſed parcentes pudori differant, ſi fieri poteſt, poſt officium monitionem, ne ex publica objurgatione creetur ſcandalum. Per Punctatores notari curent, aut ad diſtributiones, quacumque ratione illis competentes, non admittant: quòd ſi hæc minùs juvare viderint,

I.Synod.cap.10.

Ad Galat.6.verſ.1. 1.ad Tim.2. ver.25.

S. Auguſt. de Verb. Dom.ſer.16.cap.4.

rint, contumaces ad Nos deferant, ut duræ cervices in ſpiritu vehementi conterantur, & qui increpationibus non ſunt correcti, dignum judicium experiantur. Nos uti illis integrè fidimus, ita illis imputabimus, ſi quid minùs rectè fiet, & onerata illorum conſcientia, nedum Nobis, ſed ſupremo etiam Judici parùm religiosè obiti muneris rationem reddent.

Pſal.47. ver.8. Sap.12. ver.22. Clem.1. de Celebr. Miſſ.

II. Non mercenariè, ſed voluntariè ſacrificandum eſt Domino, quoniam bonus eſt: gratis amandum eſt, quod laudatur, & gratuitum ſit, quod amatur, & laudatur: at quia Clericorum Collegia fundos conſecuta, hac in parte, multum de primævo fervore remiſerant, & Chori frequentia magis magiſque in dies imminuebatur; pro ſua æquitate, & ſapientia ad diſciplinam pertinere judicavit Eccleſia, ut diariæ diſtributiones pro præſtito in Divinis officiis miniſterio inducerentur; iiſque exciderent, qui ſuo deſunt muneri ne deſides, & otioſi Chriſti, & Pauperum patrimonium iniquè conſumerent. In hanc rem juxta probatas conſuetudines duo ad Punctatoris officium eligantur, qui ſi hoc onus ſuſcipere detrectaverint, noſtrâ cogentur auctoritate. A Capitulo electi Nos, vel noſtros Vicarios Generales adeant, & de munere fideliter exercendo præſtent ſacramentum. In Collegiatis noſtrarum Diœceſium juramentum præſtetur coram Vicario Foraneo adſtante Cancellario, qui rogatus atteſtationem actæ rei ad Nos quantocitiùs tranſmittet. Memores

Pſal.53. ver.8. Auguſt.in Pſal.55. Ivo Carnot. ep.2. Conc. Carthag. IV. Can. 49 Cap. Licet de Præbendis. Cap. Unico de Cleric. non reſid. in 6.

res tunc Punctatores ſui muneris, & præſtiti juramenti conſuetas punctandi leges exactiſſimè ſervent, & ea præ oculis habeant, quæ in hoc Cap. præſcribuntur. Citra omnem indulgentiam, offenſionis metum, aut gratiæ affectum obſervent, & notent; ſecus præter perjurii reatum, & alias pœnas, quas noſtro arbitrio ſubibunt, reſtitutionis lege obligantur, ſi eſſent in vitio, quòd luerent pœnam innoxii, aut immerentes diſtributiones perciperent, quę accreſcere deberent pręſentibus. Facta puncta ſub pœna aureorum trium nemini liceat privatâ auctoritate, & quovis prætextu, delere, vel moderari. Qui ſe iniquè læſum crederet, ſolvat primùm, inde jura ſua ad Nos deferat. Qui ante finem Pſalmi: *Venite exultemus* in Matutinis Domini, ante finem Capituli in Matutinis B. Virginis, & primi Pſalmi in reliquis horis, poſtremi item *Kyrie Eleiſon* in Miſſa, ante invocationem Sanctiſſimæ Trinitatis in Litaniis, Choro non adfuerit, tanquam abſens notetur, aut reſpectivè illius horæ careat diſtributione. Non poſſunt Canonici alii aliis ſuas abſentias gratificari, aut condonare; imo nec in ipſius Capituli poteſtate eſt, ut remittat pœnas in abſentes conſtitutas: unde quâvis colluſione, aut remiſſione excluſâ, in partem diſtributionum nunquam vocentur abſentes, nec alicui punctaturæ ſub quovis quæſito colore, etiam de totius Capituli conſenſu condonentur, aut remittantur; qui in cauſa eſſet, quod ſecus fieret, de ſuo duplum reponet Sacriſtiæ applicandum.

Trid. ſeſſ. 21. cap. 3. ſeſſ. 22. cap. 3. ſeſſ. 24. cap. 12. Conſt. ſup. cit.

Cap. Presbyter de Celebr. Miſsar. Can. Si quis diſt. 92. Conc. Lateran. ſub Leone X. ſeſſ. 9. §. Statuimus Conſt. Pii V. Ex proximo.

dum. Qui aut proviſi ſunt de Eccleſiaſtico Beneficio, aut in Sacris Ordinibus ſunt conſtituti, etiamſi Choro addicti non ſint, adhuc tamen quotidianæ privatæ recitationis lege tenentur, ita ut, ſi hoc penſum Horarum Canonicarum non perſolvunt, nedum illis crimini vertatur, ſed etiam reſtituere teneantur, quidquid ſacri reditûs, prætermiſſo Divin Officio, perceperunt.

Baron. ad ann. 58. ex ep. S. Ignat. ad Smyrnen. Vvalfr. Strab. de Reb. Eccl. cap. 5. Genebr. in Chron. ad ann. 604. Panvin. in Sabinian.

III. Urgente perſecutione, ſecretiùs agebant ſuas Synaxes Chriſtiani, quam ut cogi poſſent patente ſigno: per Diaconos, totidem veluti Domini Curſores, acciri conſueverant, & nonniſi adultâ ætate inductus eſt, aut invaluit Campanarum uſus, quo ad divinum opus convocarentur. Pietatis, ac religionis ſtudium potiùs, quàm data ſigna, cogat noſtros Clericos, ut maturè in Sacriſtiam conveniant. Ibi conſiſtentes ab otioſis ſermonibus auditum caſtigent, & linguam; cum enim recurrant ad animum, ubi perſolvitur officium, ea, quibus prius fuerat occupatus, & ægrè ſe colligat in vana diffuſus, præparandus eſt, ante divinas preces, & laudes. Dum inſtat hora officii, meminerint Dei, & inſtauratâ rectâ intentione, proponant ſibi Hieruſalem in principio Pſalmodiæ ſuæ, ut mentem deferant ad Chorum ab omnibus curis, & vanis cogitationibus expeditam. Elapsâ ſemihorâ, gravi, nec nimis propero, nec nimis tardo acceſſu, cum ſolitis ſignis à Sacriſtia bini, & bini decenter progrediantur. Ubi ad Chorum acceſſerint, ingredi ſe meminerint in locum

Beda de Templ. Salomon.

Eccl. 18. ver. 23.

Pſal. 136. ver. 7.

Pſal. 41. ver. 5.

cum

cum Tabernaculi admirabilis uſque ad Domum Dei, præmiſſa Aræ majori debitâ reverentiâ, factâ mutua ſalutatione, accedant ad ſedes ſuas, & poſt brevem orationem divinas laudes aggrediantur. Nec flores, nec chirothecas deferant, aut alia, quæ ſecularem præſeferunt faſtum, & ineptam redolent levitatem, alioquin, ac ſi abſentes eſſent, notentur. Abſolutis officiis, eodem ordine redeant ad Sacriſtiam poſituri ſua ſine ſtrepitu inſignia. Si quis inchoato officio Chorum adiret, pauliſper oret ante Altare, & cæteris de more demittens caput, ſuam adeat ſedem.

IV. Quomodò miſeretur Pater Filiorum, miſeretur Dominus timentibus ſe, quoniam ipſe cognovit figmentum noſtrum, ubi involuntariæ mentis evagationes obrepunt invitis: at ubi quis volens rapitur ineptis cogitationibus, in labore labiorum ſuorum fruſtra fatigat linguam, ſi corde non orat. Quoniam autem ad mentis, & animi attentionem multùm confert etiam exterior compoſitio, quâ decet gravitate omnes, qui Choro adſunt, corpus componant, & externos ipſos motus Deo, ejuſque laudibus conſecrent. Stabant olim inter pſallendum Clerici, nec reprehenſione caruit aſſidere: indultâ noſtrorum temporum conſuetudine, quâ alternatim ſtare, & ſedere permittitur, non abutantur; crura nimirum non protendant, nec divaricent, ut jacere potiùs quàm ſedere videantur. Flectant genua, ſedeant, ſurgant, inclinent omnes caput pro rerum, ac

Pſal. 102. ver. 14.

Pſal. 139. ver. 10.

S. Aug. lib. de cur. pro mort. cap. 5.

S. Petr. Damian. opuſ. 39. Tertull. de Orat. cap. 12. Optat. Milevit. lib. 4.

Ll tem-

temporum exigentia. Deum reverentes, ac homines, oculorum circumvagationes licentioſæ levitatis, ac parùm compoſiti moris indicia cohibeant. Colloquia non miſceant, in immodeſtos riſus non effundantur, epiſtolas non legant, per aliena ſubſellia non curſitent, nec à ſuo unquam divertant loco, niſi ubi ad Lectorile accedendum eſſet, vel alicui ad organum muſicis modis, inter Miſſæ, vel Veſperarum ſolemnia, canendi munus demandaretur. Abſtineant à Tabacho, cujus intemperans uſus ubique dedecet Eccleſiaſticam dignitatem, & munditiem. Qui grave aliquid contra decoris, & modeſtiæ leges committeret, tanquam abſens à Punctatore notetur, aut congruentibus illi horæ fructibus privetur, & re ad Nos delatâ, ubi graviùs in hac parte peccaret, ſeverioribus etiam pœnis ſubjicietur. Si quis nondum divinis officiis abſolutis, è Choro diſcederet, notetur, aut reſpectivè diſtributione privetur; quando verò ſuberit legitima abeundi cauſa, modeſto, & officioſò vultu licentiam petat à Præfecto Chori, quam primò facilè dabit, & annuet; at ſi aliquem adverterit eâ facilitate abuti, mox privatim moneat, deinde neget.

S. Bernard. ſerm. 47. In Cant.

V. Cogitent Sacerdotes, pſallere ſe in conſpectu Angelorum, & Domini; pſallant igitur ſapienter. Integrè, rectè, & ſine errore cantent, & legant: uno veluti impetu verba non glomerent, non deglutiant, non præcidant; ſed trium puerorum exemplum imitati, quaſi ex uno ore lau-

laudent, & benedicant Dominum diſtinctè, & æqualiter verba proferentes. Alternum Pſalmorum cantum à vetuſtiſſimo tempore in Antiochenſi Eccleſia primò inductum, mox à reliquis omnibus feliciter ſuſceptum, teneant, & accuratè exerceant noſtri Clerici: viciſſim ſileant, & pſallant, & pauſâ in medio verſiculi interpoſitâ, alternis choris ita ſeſe invicem excipiant, ut pars una non incipiat, niſi altera expleverit. Dum cæteri divinæ ſimul vacant Pſalmodiæ, nemo ſibi, vel alteri privatim obmurmuret Pſalmos, quibus aliis obſtrepat, & incommodet. In Domino non delectantur, qui dormitant, & oſcitant præ tædio: & iniquè faſtidium concipiunt ex eo, quòd pro temporum conditione, hoc pietatis officium quandòque producatur; quoniam ex prolixiſſimo illo, quod habebant in uſu Majores noſtri, ſatis abbreviatum, nuperis temporibus, noſtrum prodiit Breviarium. Quia mens ſine fructu eſt, ubi ſola lingua pſallit, & precatur; hoc verſetur in corde, quod profertur in ore: Provideant Pſallentes Dominum in conſpectu ſuo ſemper, innovando intentionem, & attentionem identidem excitando, ne per productiores moras hebeſcat; alioquin præcepto de Officii Divini recitatione non ſatisfaciunt, ſi illud abſque attentione perſolvunt. Verba quæ loquuntur, ſpiritus, & vita ſunt: intelligere ſatagant, quæ legunt, & à litera ad myſterium pro viribus mentem erigant: qui aſſequi myſteria non poſſunt, cogitent utcunque ſubeſſe, &

Socrat. lib. 6. cap. 8. Theodor. lib. 2. Hiſt. c. 24 Nicet. in Theſaur. lib. 5. cap. 30.

Pſal. 103. ver. 34. & 118. ver. 28.

1. Cor. 14. ver. 14.

S. Aug. ep. 109.

Pſal. 15. ver. 8.

Cap. Dolentes de Celebr. Miſſ.

Joan. 5. ver. 64.

S. Th. 2. 2. q. 83. art. 5.

S. Auguſt. ſerm. 83. de temp.

& dum in manibus verſatur divina lectio, ſit in ſenſu animi dominica aliqua cogitatio.

VI. In celebrandis divinis officiis, Eccleſiaſticus ritus ſtudioſiſſimè ſervetur, vel in iis, quæ minuta videntur: nihil enim hîc caret myſterio, & arcana habent ſacramenta, quæ nobis quandoque arbitraria videntur, & fortuita. Magiſter Ceremoniarum ſedulam ponat operam, ut ſacræ omnes functiones ritè, & rectè peragantur, quas tamen modeſtis nutibus potius, quam voce diriget, & moderabitur. Tempeſtivè omnia Chori officia diſponet, & quod quiſque præſtare debet munus, in Tabella patente in loco exponenda adnotabit. In obſervantia, & miniſterio Ordinum minorum priſtinos mores reſtituere cupiens Tridentina Synodus, præcipit, & hortatur, ut quantùm commodè fieri poteſt, hujuſcemodi ſacra miniſteria nonniſi per conſtitutos in dictis Ordinibus exerceantur: Curent igitur Ceremoniarum Magiſtri, ut ſaltem in ſolemnioribus Miſſis quiſque ſuo fungatur ſuſcepti Ordinis officio; nec unquam Eccleſiæ functiones rudibus, ineptis, & vilibus perſonis permittantur. Qui in Eccleſia Cathedrali inſtitutus eſt Ceremoniarum Magiſter hanc in ſe recipit curam, ut quotannis Divini Officii de more perſolvendi rationem in ordinem digerat. Hunc Ordinem non ſolùm in Sacriſtiis exponi mandamus, verùm etiam in uſum privatæ recitationis à ſingulis, qui horarum recitandarum lege obligantur, privatim haberi volumus,

Trid. ſeſſ. 23. cap. 17.

ut

ac ritu concordi in quotidiano pietatis munere conveniant omnes, eamque ſervent unitatem, quæ in Divinis precibus maximè commendatur.

VII. Sublimior pars Sacræ Ædis, quam Chorum dicimus, pſallentibus Clericis deſtinata eſt: eò ſemper conveniant Canonici ad perſolvenda Divina Officia: ubi tamen ſæviente hyeme riget aer inclementiſſimus, in Sacello intra Eccleſiam poſito celebrari indulgemus. Canonici Cathedralis noſtræ Montisfaliſci ſuâ utantur jam olim inducta conſuetudine, quâ pio Beatiſſimam Virginem obſequio demerituri, illius Horas quotidiano officio adjungunt, ubi de Feria, vel de Simplici fit officium. Duplex Miſſa celebretur occurrente officio novem Lectionum, tempore Quadrageſimæ, Quatuor temporum, Rogationum, & Vigiliarum. Horæ matutinæ ſaltem his ſolemnioribus diebus integrè canantur, videlicet in Nocte Nativitatis Domini, in die ſancto Paſchatis, & Pentecoſtes, & in Feſto Sanctæ Margaritæ, ſub cujus nomine, & titulo utraque noſtra Cathedralis nuncupata eſt: cæteris diebus feſtis, & Dominicis *Te Deum* cum reliquis, quæ poſt hymnum ad Laudes ſequuntur, & Tertia, vel alia hora ante Miſſam. Quolibet die feſto, & Dominico Canonici, & Dignitates Veſperas cantent per gyrum: ſerventur autem recepti mores, & leges in cantandis Veſperis, & Miſſis cum Diacono, & Subdiacono: ſi Hebdomadarii, quibus incumbit Miſſam, aut Veſperas cantare, aut illi, qui

Can. Ut Laici de Vit. & honeſt. Cler. Trid. ſeſſ. 24 cap. 12 de Reform.

qui munus Diaconi, & Subdiaconi debent obire; nullo legitimo detenti impedimento, ſua præſtare officia detrectaverint, præter punctaturas, tres julios in diebus feſtivis, unum in ferialibus ſolvent illis, qui eorum vices ſuppleverint. Eandem pœnam ſubibunt, qui primis legitimè impeditis, ſuo ſequuntur ordine: curent Chori Præfecti, ut hæc pœna vigeat inexorabilis. In Collegiatis omnibus, Feſtis ſaltem diebus, & Dominicis perſolvantur horæ Canonicæ, & Miſſa Conventualis de more cantetur; & quantùm fieri poteſt, ſe ad mores Cathedralium componant inferiores Eccleſiæ: æquum enim eſt, ut ſedes, quæ unicuique ſacerdotalis dignitatis fuit Mater, ſit eccleſiaſticæ Magiſtra rationis. Qui Choro ſunt addicti, etiam inCollegiatis punctaturis ſubjaceant irremiſſibiliter ſolvendis, juxta ea, quæ in Sac.Viſit.decrevimus,quæve iterum confirmamus, & innovamus.

Conc.Agath.can.30 Can. De iis diſt. 12.

VIII. Par eſſet à Clericis benedici Dominum in omni tempore: at quia ab infirmitate noſtra rationabile tantùm obſequium, quod pati poſſit humana imbecillitas, exigit Deus: ideo trimeſtre permiſit Conc. Trid. quo Canonicis Horis, & cæteris choralibus officiis abeſſe quotannis liceret: at hac licentia uti non debent continuatâ menſium ſerie, ſed intermiſſis vicibus; ita ut in duas partes diſtributi, alternis hebdomadis inſerviant Eccleſiæ; excepto tamen tempore Adventûs, & Quadrageſimæ, nec non octavâ Corporis Chriſti, tunc enim omnes Choro addictos volumus:

Pſal. 33. ver. 1. Rom. 12. ver. 1.

Seſs. 24. cap. 12.

Sac. Cong. Conc. in Interamnen. 21. Julii 1640.

mus: In abſentes, tanquam contra non reſidentes procedemus juxta ea, quæ à Card. Zacchia cap. 37. ſancita ſunt, & à Card. Barbadico in prima Synodo cap. 10. ſunt confirmata, uti etiam innovamus, quæ in utraque Synodo de variis Dignitatum, & Canonicorum officiis præſcribuntur. Et quia jus Commune, & Concilia non otioſam, & inertem reſidentiam, ſed operoſam, & exertam præſcribunt Canonicis, ut ſua obire poſſint officia; adhibitis juris remediis, ad ſua munera revocabimus eos, qui inertes, & otioſi ſederent utique in Civitate, ſed rarò admodum, nullo legitimo impedimento detenti, adeſſent Choro. Cenſeri autem non debent abſentes ab Eccleſia duo illi Canonici, qui in regenda Diœceſi præſto ſunt Epiſcopo curarum Conſortes, & Socii: & illi potiſſimùm duo, aut plures, quos Nobis Comites adjungemus, & Miniſtros in Viſitatione Diœceſis: imò ii, qui à Nobis erunt adhibiti in Viſitatione Sacrorum Liminum, ne dum fructibus Beneficii, ſed etiam diſtributionibus fruantur. Non habeantur item abſentes, qui Nobis non ſolùm in Eccleſia Cathedrali, verùm in quacumque alia urbana, aut ſuburbana ſolemniter ſacra celebrantibus, vel Pontificalia exercentibus aderunt. Excuſantur etiam ab ea intereſſendi lege, ita ut quamvis abſint, pro præſentibus haberi debeant, qui cum conſenſu Capituli, & licentia Epiſcopi Eccleſiæ negociis occupantur; Ægrotantes febri, vel aliâ corporalis infirmitatis neceſſitate

Trid. ſeſſ. 24. cap. 12. de Ref.

Cap. De cætero, de Cler. non reſid.

Sixtus V. in Conſt. Roman. Pontif.

S. Congreg. Conc. in Cavillic. 3. Julii 1677.

Cap. Unic. de Cler. non reſid. in 6.

ſitate prohibiti, ſi modo dum valebant Choro ſolerent intereſſe; Canonici, vel Dignitates, qui Parochiam habent adminiſtrandam dum animarum curæ, tum intrà, tum extra Eccleſiam incumbunt; Theologi, dum docent, iis menſibus quibus legunt; Pœnitentiarii, dum excipiunt Confeſſiones; qui de noſtro mandato Sacramenta præcipuè Pœnitentiæ miniſtrant; qui Miſſas Capitulares ſtatis horis celebrant. Qui autem dilabitur à Choro ſine Præfecti licentia, ut pro ſuo, non pro Eccleſiæ, vel Populi commodo ſacris operetur, notetur à Punctatore, aut reſpectivè ad diſtributiones percipiendas non admittatur.

Trid. ſeſſ. 22. cap. 3.

S. Congr. Conc. in Theat. 18. April. 1643.

S. Congreg. Epiſc. in Aprut. 18. April. 1617. Sac. Congreg. Conc. in Lunen. Sarzanen. 4. Junii 1701.

IX. Illi ſemper orare, & ab oratione minimè deficere cenſentur, qui certis, iiſque Canonicis horis quotidie, juxta ritum Eccleſiaſticæ traditionis pſalmodiis, precibuſque conſuetis Deum laudare, & rogare non deſiſtunt. Ut hoc ſervitutis penſum horis competentibus, & ſignis deſignantibus perſolveretur, Tabellam horariam pro diverſi anni temporibus de ipſorum Canonicorum conſilio ſtatuimus. Eam in conſpicuo Sacriſtiæ loco affigi mandamus: nemini autem ne omnibus quidem Canonicis capitulariter congregatis eum ordinem ſemel inſtitutum invertere, & perturbare liceat, Nobis inconſultis, ſub pœna arbitrio noſtro exigenda, tàm ab eo, qui conſueta ſigna maturari, vel retardari mandaverit, quàm ab illo, qui mandatis paruerit, toties quoties deliquerint: vetitum tamen nolumus, quominùs, communi-

Lucæ 18. ver. 1. S. Eligius Noviomen. Hom. 11.

Can. Presbyter diſt. 91. Cap. Presbyter de Celebr. Miſſ.

catis

tis conſiliis aliquid immutari poſſit, ubi publica
extraordinariæ alicujus functionis ratio id exigere
videatur: & quia orandi vices Eccleſia propoſuit,
ut faciliùs, & commodiùs hoc penſum perſolve-
retur: ita ſemper diſpenſentur functiones, ut quan-
tùm fieri poteſt, inter illas, per certum temporis
intervallum ſuus ſit quieti locus.

X. De Hymnis, & Pſalmis canendis ipſius S.Auguſt.ep.119.
Domini, & Apoſtolorum habemus documenta, Conc. Toletan. IV. Can.12.
& exempla: Rex Propheta ad laudandum Deum
ſono tubæ, pſalterio, & citharâ, cordis, & or- Pſal.150.ver.3.
gano homines invitat; & ſi cæleſtis gloriæ prælu-
dium eſt eccleſiaſtica pſalmodia, auditæ profectò Nazianz orat.40. in fin.
ſunt in Cælo voces etiam Citharœdorum. Primi- Apoc.18 ver.22.
tiva Eccleſia ita pſallebat, ut modico flexu vocis Rab.in.lib 2 de Inſt. Cler.cap 48.
faceret pſallentem reſonare, & pronuncianti vici-
nior eſſet, quàm canenti: admiſſi deinde ſunt
muſici modi; verùm quia illud muſicæ genus in
divinum cultum quandoque inducitur, quod no-
ſtrorum myſteriorum gravitatem minimè decet,
ſuæ etiam cantui præfiniendæ ſunt leges, ne dicat
nobis Dominus: Aufer à me tumultum carminum Amos 5.ver.23.
tuorum, & cantica lyræ tuæ non audiam.
Is igitur ſit cantus in Eccleſia, qui ſenſum literæ
non evacuet, ſed fœcundet, ideoque Pſalmos, Bernar. ſuper Cant. ſer.47.
vel Hymnos mutilari vetamus. Præſtat cantu
Gregoriano clarè, & diſtinctè canere, quàm mo-
dos ita flectere, & ducere, ut ſonus tantùm feriat
aures, & voces nunquam integrè percipiantur.
Cantiunculas latino-vernaculas, veluti prorſus

Clem. Alex. lib. 2. Pædagog. ca 4 lib. 6. Stromat. Conc. Laodic. can 15. Nicæn. II. can. 22.

ineptas prohibemus: ſacræ ipſæ Antiphonæ modis muſicis, iiſque gravibus aptentur, nec audiantur in Eccleſia molles, & inconditæ illæ minuritiones, quibus ludunt, & laſciviunt Theatra. Muſici, qui debitam religioſo muneri modeſtiam non ſervant, nunquam ad canendum admittantur. Si ſecus fiat, Phonaſcus, & qui fecerit, qui juſſerit, qui permiſerit Nobis pœnas luent arbitrarias, eaſque graves. Tempore Quadrageſimæ, & Adventûs exceptis duabus Dominicis *Lætare*, & *Gaudete*, vocali tantùm cantu, aſſâ voce, & ſine muſicis inſtrumentis celebrentur officia.

Conc. Trull. can. 75.

XI. Dulcem decet reſonare ſonum ex eorum labiis, qui canticum laudis Deo debent celebrare: & indecens admodùm eſt, quòd ob imperitiam, quidam taceant intempeſtivo ſilentio, aut diſſonent hiulco ore, & inconditâ voce clamitent, potiùs quàm canant, ubi cæteri Divina præconia modulantur. Cùm igitur compertum habeamus, Clericos noſtros in dies Gregoriani cantûs, non ſine maximo Divini cultûs detrimento, incurioſiores fieri: ſciant omnes, qui ad Sacros Ordines promoveri deſiderant, etiam quoad cantum Gregorianum, ſe examen, ubi Nobis videbitur, ſubituros; & quando Beneficium in noſtris Cathedralibus, & Collegiatis vacare contigerit, ſive ad Nos ſpectet collatio, ſive teſtimoniales literæ à Nobis tradendæ ſint: illud inter potiſſima attendemus, calleatne cantum Gregorianum, & ſcientiam habeat vocis, ut potis ſit partes ſuas im-

implere, qui de illo provideri deſiderat. In hanc rem ſuos deſtinavimus Examinatores, quorum conſcientias gravamus, ne noſtra fallant vota, neque inſidâ indulgentiâ, vel comitate in Eccleſiæ deriſum, & choralis diſciplinæ perniciem idoneitatis dent teſtimonium iis, quos ineptos repererint, ubi eorum exquiremus ſententiam. Neminem pudeat eum cantum addiſcere, qui ſummos Viros habuit Inſtitutores, & Magiſtros.

Jo. Diac. in Vit. S. Greg. lib. 2. cap. 6. Vualfr. Strab. de Reb. Eccl. cap. 22.

CAPUT VI.

De Supplicationibus.

SIve Divinam exoret opem, ſive pro collatis beneficiis gratias agat, religioſam Sacrarum Supplicationum conſuetudinem ad ſuos ritus à Populo Dei tranſtulit Eccleſia. Quoties neceſſitas incumbit propitiandi Numinis ad avertendas, quæ ſæpiùs imminent, aut quas etiam patimur calamitates, Populum univerſum ad concordes preces cogit, illius fiſa promiſſis, qui dixit: Si duo ex vobis conſenſerint ſuper Terram de quacunque re, quam petierint, fiet illis à Patre meo. Deus veluti reveretur multitudinem unanimem, & conſentientem in precando, & ubi in publicas ſupplicationes effunditur Populus, multiplicatis interceſſoribus largitur, quod privato negaret. Hæc vis grata eſt Deo: humili igitur, & contrito corde

Matth. 18. ver. 19.

S. Chryſ. hom. 2. in ep. ad Corin.

Tertull. in Apol. cap. 19.

Pſal. 94. ver. 2.

præoccupent faciem Domini Fideles, in ſuis Proceſſionibus, & viſcera miſericordiæ Dei noſtri ſuppliciter deprecaturi, cùm Civitatem, & Loca circumeunt, noverint, quod habebunt Omnipotentem pacatum, ſi mundi, & recti inceſſerint.

Job 8. ver. 5.

I. Eas tantum Proceſſiones haberi volumus, & mandamus, quæ ex Eccleſiaſtico inſtituto, vel laudabili de more haberi conſueverunt. Novas verò indici, & per Civitatem, & Loca, vel ab ipſis exemptis obiri ſine noſtra, vel Vicarii noſtri Generalis licentiâ ſub graviſſimis pœnis vetamus. Eas item proſcribimus, quæ cum interventu Mulierum de nocte habentur, & ſi alicujus obeundæ à Nobis fieret facultas, hæc eâ lege ſemper data cenſeatur, ut abſint Mulieres. In tranſgreſſores pœnam ſtatuimus ſcutorum decem. Quoties habendæ erunt Proceſſiones indicantur pridie, & ſignificentur per conſueta campanæ ſigna. Ad eas conveniant, qui de jure, vel conſuetudine intereſſe debent, & ne ulla ex ignorantia abſentiæ ratio poſſit allegari, præcipuè ubi pro gravi re nata, aliqua à Nobis extra ordinem indicetur; dies, & hora Proceſſionis ab Eccleſiæ Rectoribus tempeſtivè per Clericum intimetur, imò præcedenti Feſto Populus, ut pius, & frequens conveniat, de indictæ Proceſſionis motivo moneatur. Neminem ex ſeculari Clero ab illis exemptum volumus: qui citra legitimam cauſam publicis Supplicationibus, vel Proceſſionibus Litaniarum majorum, & minorum, Corporis Chriſti, ſeu aliis legitimè, &

Cap. Cum inter de ſent. & re judic.
S. Rit. Congr. in Caballic. 18 Feb. 1617. in Camerin. 24. Auguſt. 1619.

Cap. Nimis prava de exceſſ. Prælator.
Trid. ſeſſ. 25. cap. 13. de Regul.
Conc. Lateran. ſub Leone X. ſeſſ. 11.

& ex cauſa publica, & gravi indicendis adeſſe dedignabitur, mulctâ plectetur juliorum trium pro qualibet vice. Canonici ex Capitulo, ut habent de more, notent abſentes, niſi in quem plus æquo negligentiorem, gravius eſſet animadvertendum. Regulares, quos nullum eximit privilegium, quoties de jure, & conſuetudine adeſſe debebunt, adhibitis iis remediis, quæ Nobis jura permittunt, compellemus.

II. In eum locum conveniant omnes, unde procedere debet Supplicatio, nec ullus in publica via, pro Templi foribus, aut alibi expectet, ut cùm cæteris miſceatur inter eundum. Dum paratur Proceſſio, qui Eccleſiæ præſunt, curent ab adventantibus debitam ſervari modeſtiam, & religionem, & irreligioſum eorum morem compeſcant, qui quaſi res ludicra ageretur, obſtrepunt, incompoſitè ſe habent, aut indecorè vagantur per Eccleſiam. Magiſtris Ceremoniarum id oneris incumbit, ut ſuo tempore Proceſſiones diſponant, eas præcipuè, quæ pleno, & longo agmine ducendæ erunt, ſubſtitutis etiam aliis idoneis Clericis, qui gravi, non interrupto, aut propero inceſſu ordinem ſervari procurent. In divinæ, & geminæ Charitatis ſignificationem, bini bini, ut Chriſtus Diſcipulos miſit, Confratres, Religioſi, Clerici, à quibus potiſſimùm pendet majeſtas, & decor ſacræ itionis, devotè procedant. Id quoque ſervent, quod idem Chriſtus Diſcipulis præcepit: Neminem per viam ſalutaveritis. Uni Deo vacet, ac

Marc. 6. ver. 7. Luc. 10. ver. 1.

Luc. 10. ver. 4.

ac intentus ſit animus. Procul abſint confabulationes, ſed Deo preces, & cantica perſolvantur. Laici verò, vel meditentur divina myſteria, vel precariam coronam ſubmiſsè recitent. Caveatur ne Mulieres de feneſtris proſpiciant, ipſæ quoque procedant ſupplici corde, demiſſo vultu, & modeſtâ corporis compoſitione, à Viris tamen ſemper ſegregatæ. Ad Eccleſiam uſque ſequantur omnes, unde primum procedere cœperunt, & ſi quis ſupplicationi obligatus, eâ nondum dimiſſâ recedet, dabit pœnas, quas indiximus in abſentes. Indecorum maximè eſt, & ſuâ luendum pœnâ, quod quis ab Eccleſia vix digreſſus, mox à peracta Proceſſione, cum veſte Confraternitatis ſeſe prorupiat in popinam, ibique reliquum diem compotando traducat.

Sacr. Congr. Epiſc in Fanen 16. Febr. 1595. Sacr. Congr. Rit. in Syracuſ.6. Sept. 1636.

III. Ut cuſtodiantur Fideles in viis ſuis, nec ad lapidem ſcandali in ſacra itione pedem offendant, ita ut Deum habeant propitium, non ultorem: curandum eſt, ne vagæ, oſcitabundæ, garrulæ, & potiſſimùm rixarum plenæ ſint. Si quis prævideatur exceſſus, aut de præcedendi dignitate oriantur contentiones, tempeſtivè ad Nos deferantur, aut Vicarios noſtros, ut ſcandalo poſſimus occurrere, & amicabiliter, vel prout juris erit, ſine Judicii ſtrepitu, rem componamus. Si anguſtia temporis, & res in habenda ipſa Proceſſione nata Nos, vel Vicarios noſtros adiri non permittat, partes in Domino precamur, & obteſtamur, ut ad dirimenda ſcandala præmiſſis ſolitis proteſta-

Trid. ſeſſ. 21. cap. 13. Greg. XIII. in Conſt. Expoſcit.

ſtationibus de propriis juribus, quibus nunc pro tunc nullum inferri præjudicium decernimus, pro ea vice ſibi invicem cedere haud gravatè ferant. Contentione ortâ inter Diſcipulos, quis major eſſe videretur, hoc fuit Chriſti decretum: qui major eſt, fiat ſicut minor, & qui præceſſor eſt tanquam Miniſtrator. Qui rixas, aut jurgia miſcuerit, præter pœnas de jure, vel conſuetudine, etiam Carcerationis pro qualitate delicti infligi ſolitas, luet aureum, ſi verbo tantùm contenderit; at ſi ad facta proceſſerit; verbera ſex; vulnera viginti aureis plectantur. Ex ſingulis Sodalitatibus, decem ſaltem interveniant Confratres, alioquin non admittantur: incedant induti Saccis talaribus, qui tamen non ſint ita formâ incompoſiti, aut vetuſtate detriti, ut contemptum moveant: Si quis armatus Fraternalem veſtem indueret, etiamſi nullo ſe obſtringeret delicto, ſubibit pœnam ſcutorum viginti quinque. Feſtivi ſcloporum, radiorum, & ſimilis generis tormentorum crepitantium ictus procul à via, quâ Proceſſiones incedunt, explodantur, ne ex eorum timore Populi devotio remittatur, aut ordo incedentium perturbetur. Quia ex vetere inſtituto frequentior eſt Proceſſionum uſus in Quadrageſima: hæ potiſſimùm, ut ratio temporis expoſcit, in ſpiritu compunctionis peragantur.

Luc. 22. ver. 26.

Conc. Bracar. III. can. 9.

IV. Solemnes illas Proceſſiones, quæ triduo ante Aſcenſionem jam olim celebres in Eccleſia fuerunt, enixè præ cæteris commendamus, ut

Sidon. Apollin. lib. 1. ep. 7. Greg. Turon. in Hiſt. Fran. lib. 2. cap 34. Conc. Aurel. I. can. 27.

Joan. 16. ver. 24. ut eâ, quâ par eſt devotione, & Populi frequentiâ obeantur, ne cadant irritæ preces, & Vota, quæ nuncupamus veluti abeunti in Cælum Domino, & dicenti: Petite, & accipietis; Benedicat Dominus coronæ anni benignitatis ſuæ, & eâ repleantur campi ubertate, ut de rore Cæli, & de pinguedine Terræ datam Nobis divinitùs gratulemur abundantiam. Solemnem Sacratiſſimi Corporis Chriſti feſtivitatem præſertim commendat triumphalis illa Proceſſio, quam in ſignum reportatæ de Hæreſi, & mendacio victoriæ, ad firmandam fidem, & augendam venerationem pariter, & amorem erga auguſtiſſimum Sacramentum, non ſine divino afflatu, inſtituit Eccleſia. Juxtà formam Ceremon. ab omnium ordinum concurſu, ſplendidiore pompâ, & majore luminum quâ poterit copiâ, eam volumus celebrari. Religioſus ſit tamen ſemper apparatus: emundentur viæ, & floribus inſpergantur, eaſque Ceremoniarum Magiſtri inſpiciant ſemitas, per quas inceſſura eſt Proceſſio, ne in illarum apparatu aliquid eſſet indecorum, aut minus grave. Repræſentationes, quibus geſta Sanctorum à Viris, vel Fœminis perſonatis, vel habitu mentito exhibentur, cùm potiùs riſum moveant, quàm excitent devotionem, proſcribimus ſub pœna aureorum vigintiquinque etiam ab Eccleſiæ Rectoribus luenda, ſi eas permittant. Moneantur autem Populi de uberibus Indulgentiis, quas Summi Pontifices iis impertiti ſunt, qui Proceſſioni, & Eccle-

Pſal. 64. ver. 12.

Gen. 27. ver. 28.

Trid. ſeſs. 13. cap. 5.

Urban. IV. in Conſt. Tranſiturus Clem. Unic. de Reliq. & venerat. SS.

Eccleſiaſticis officiis per ejus feſti octavam, interſunt, ſicut oportet.

CAPUT VII.

De Parochis.

SI ad originem, & inſtitutionem ſuam Parochi mentem referant, facilè perſpicient, proximè poſt Epiſcopum, cujus ſunt Adjutores, ſuam poſitam dignitatem. In Apoſtolorum locum ſuffecti ſunt Epiſcopi; ipſi verò ad formam ſeptuaginta Diſcipulorum in miniſterio Eccleſiaſtico ſunt promoti. Certos primùm titulos tùm ruſticos, tùm urbanos legimus inſtitutos, quos ipſi Patres noſtri Parœcias dixerunt. Ad has regendas delegati ſunt Presbyteri, qui Sacramentorum adminiſtrationi, Plebis inſtitutioni, Pauperum curæ incumberent. Singulis Eccleſiis ſinguli præficiebantur; ſed auctâ poſtmodum Fidelium multitudine, cùm unus ſuſtinendo oneri non ſufficeret, plures in ſingulis Parœciis conſtituere neceſſum fuit, quibus tamen, ne qua oriretur confuſio, unus præeſſet, quem modò Rectorem, Plebanum, Parochum appellamus. Non uſqueadeo efferat animum dignitas, ut mentem effugiat concreditæ villicationis exactio. Cùm augentur dona, rationes etiam creſcunt donorum: tantò ergo in exequendis ſui muneris partibus promptiores eſſe

Conc. II. Aquiſgr. can. 5.

Capitul. I. Theodulf. Aurelian.

Conc. Carth. IV. Can. 102. Agath Can. 21. Chalc. Can 17. Epiphan. Hæreſ 68.

Can. 1. & ſeq diſt. 80. Can. Eccleſias 13. q. 1.

S. Greg. in Evang. hom. 9.

debent, quantò ſe obligatiores eſſe conſpiciunt in reddenda ratione. Satis autem illis proviſum eſſe arbitramur, ſi leges revocemus in memoriam, quibus ſuas Oves Chriſtus regendas committit.

Joan. 21. ver. 17.

I. Chriſtus Dominus paſcendum ovile credidit Petro, poſtquam trina conteſtatione probavit amorem, nec quemlibet amorem, ſed præ cæteris ferventiorem: hunc produnt Parochi, ſi paſcunt verbo, exemplo, & ſacramentis. Quos dedit Paſtores, eos profectò unâ ſimul Doctores conſtituit Deus: quare in paſtorali munere hoc eſt præcipuum, & maximè ſpectandum, ut Parochi moneant, doceant, inſtituant creditam plebem. Ne indiſpenſabile hoc onus ulla tergiverſatione poſſint declinare, ea quæ de habenda Catecheſi, & Concionibus ſupra præſcripſimus, iterum repetitâ ſanctione, repetitis eiſdem pœnis præcipimus, & mandamus. Væ illis, ſi taceant: de verbo, quod ex illorum ore procedit, vivit potiſſimùm populus, quare ſi non paverunt, occiderunt. Anxiam, & operoſam elocutionem non exigimus, nec amamus: maximè enim commendatus eſt in Parochis ſimplex, & perſpicuus orationis habitus, qui procul ab omni ſpecie oſtentationis, ad populi captum ſeſe demittit. Quoniam verò, qui attendit exhortationi, attendere ſimul debet lectioni, & doctrinæ, ut diſcat, & bene meditata habeat, quæ docet, ſeriò, totiſque animis ſacris ſtudiis inſiſtant, ut ritè tractandæ conſcientiæ modos teneant. Conveniant inter primos, ſtatis temporibus

Ephes. 4. ver. 11.

Lib. 1. cap. IV. & V.

1. Cor. 9. ver. 16.
Iſajæ 6. ver. 5.

1. Tim. 4. ver. 25.

S. Ambr. lib. 1. Offic. cap. 1.

bus ad Collationes Caſuum, & Lectionem Sacræ Scripturæ: privato item ſtudio ſtrenuè vacent, in quam rem comparatos eos libros habebunt, qui ſanam Fidei, & Morum doctrinam tradunt, pietatem fovent, legitimam in adminiſtrandis Sacramentis rationem docent. Lectioni addenda eſt Oratio, alterius enim altera opem poſcit, ne aut ſuperba ſit ſcientia, aut iners precatio. Oratio juſti clavis eſt Cæli, juvet igitur neceſſe eſt ſtudium, & lectionem, ut eum librum aperiat, in quo arcana Patris, & ſcientia Sanctorum continetur. D. Aug. in Pſal. 31. Apoc. 3. ver. 7. Prov. 9. ver. 10.

II. Qui prædicant verbum, inſtare debent opportunè, importunè, arguere, obſecrare, increpare in omni patientia, & doctrina. Ut hominum mores ſemper ſunt ad deteriora proclives, ſedulam Parochi ponent operam, ne in fidelem populum pravi uſus irrumpant, recèns natis pro viribus obſtent, ne latiùs ſerpant, & zizania illa in medio tritici non ferant, quæ ita ſuccreſcunt, & largiùs progrediuntur, ut ſuffocent bonam ſementem. Idcircò vigiles morum Cenſores providè excubent, & videant, an in ſuis Parochiis verſentur publicè Criminoſi, puta Sacrilegi, Inconfeſſi, Blaſphemi, Concubinarii, morum corruptores, Uſurarii, Invaſores bonorum Eccleſiæ, Legatorum piorum fraudatores, aut alteri gravi culpæ notoriè obnoxii. Ne intempeſtiva remedia vim morbi exaſperent; hos primùm moneant paternâ charitate, mox ſacerdotali conſtantia ob- 1. Tim. 4. ver. 2. Matth. 13. ver. 25.

jurgent, & acuant in emendationem ſcelerum tanquam gladium linguas ſuas: quòd ſi hæc minùs proficere videantur, dicant Eccleſiæ, Nobis ſcilicet hos nefarios denuncient,ut perditas oves,ſi fieri poterit, ad meliora revocemus, nec perire ſinamus, etiam perire volentes. Fortè aliquando continget, ut ad ſarcinæ moleſtiam hoc accedat, quod ingratis, imò & iniquis deſudent, & inde moliantur vindictam, unde par erat gratias reponere. Patienter id ferant, nec deficiant, ut faciant voluntatem Dei, & reportent repromiſſionem. Ne verò vexationis, aut calumniarum timor eos in obeundo Paſtorali munere ſegniores reddat, Noſtrum erit illis conſulere. Vituperatores non ita de facili audiemus, antequam eorum diſcutiatur exiſtimationis ſuſpicio: & probè cognoſcentes poſitos eos eſſe tanquam ſignum ad ſagittam, cautè procedemus ne quis illis criminentur injuſtè; cavebimus tamen,ne & ipſi delinquant inſolenter.

Matth. 18. ver. 17.

S. Aug. in Pſal. 63. Hebr. 10. ver. 36.

Trid. ſeſs. 23. cap. 6. de Ref.

Can. Si qui ſunt 2. q. 7.

Cap. Qualiter de Accuſat.

III. Sint Animarum Rectores bonæ Pacis cultores ſtudioſiſſimi, & cùm illorum partes ſint agere veluti Patrem-familias, ſi quæ Domi ſuæ naſcuntur jurgia, & lites, domi ſopiantur: ubi rem ad factiones ſpectare vident, protinus concordiam ſarciri ſtudeant, antequam obfirmato odio, & implacabili diſſidio committantur animi. Hoc illis feliciter cedet, ſi ii ſint, quorum auctoritatem Populus revereatur: certiſſimè autem reverebitur, ſi toti vivent honeſtis ſtudiis, & à ludis, venationibus, comeſſationibus, & omni aliâ ineptâ familia-

Can. Studendum. Can. Placuit diſt. 90

miliaritate abſtinebunt. Quia verò malè proſpicit aliis, qui iiſdem obnoxius eſt affectibus, magni refert, quòd à ſe amoliantur notam jurgioſi, aut parùm tractabilis ingenii. Sacerdotes omnes, & potiſſimùm Parochos eſſe non oportet litigioſos, aut lucri nimiùm cupidos: ſi pro Parochialibus juribus lites moveri, aut querimonias exoriri contingeret, amicè illas componere ſtudeant, alioquin antequam quidquam temerè tuendum ſuſcipiant, Nos adeant, qui Patrem libentiùs agentes, quàm Judicem, ne ſubeant offenſiones, rem ita tractabimus, ut nec partium utilitas detrimentum, nec ſentiat gratia læſionem.

Can. Primùm diſt. 25.

1. Tim. 3. ver. 3.

S. Greg. lib. 1. ep. 2.

IV. Bonus Paſtor cùm proprias oves emiſerit, ante illas vadit, & oves illum ſequuntur, quia ſciunt vocem ejus: Chriſti igitur imitatores, factique forma gregis incipiant Parochi facere, & docere, & quæ vel ad componendos mores Populi, vel ad formandam Eccleſiæ diſciplinam variis in locis, ſed præcipuè in Cap. de Vita, & honeſt. Clericor. ſtabilita ſunt, ipſi religioſiſſimè expleant primi; adeò ut reliquus Clerus, & Populus ab illis tutò ſumere poſſit exempla ſuis moribus. Apoſtolici præcepti eſt, & exempli, ut rationem habeamus non conſcientiæ tantùm, ſed etiam famæ: in eos omnium oculi conjiciuntur, quapropter ne ſecus quàm dignum eſt, vel invidi obtrectatores de iis poſſint ſuſpicari, nihil ſit, quâcumque ſpectentur, quod aut qui reprehendere volunt, dignè laceraſſe videantur, aut quod à recta ſe-

Joann. 10. ver. 4.

S. Hieron. ep. ad Celan.

S. Hieron. epiſt. ad Heliod. in Epitaph. Nepot.

ſemita eos deducat, qui ſuum Paſtorem ſtudent imitari. Ipſa Parochi Domus in honeſto decore præſeferat ſanctitatem: omnia ad modeſtiam ibi ſint culta, & ipſa domeſtica compoſitio inhabitantis animum, moreſque bene compoſitos oſtendat. Scripturas omnes, vel ad Beneficium, vel ad Eccleſias pertinentes, quas præ manibus habere oportet, & Parochiales Codices, quibus in dies indiget, tuto in loco cuſtodiat, eoque decedente, facto legitimo Inventario, Vicarius Foraneus ſecum aſportet, & ſub quocumque prætextu ſurripi, occultari, occupari ſub pœna Excommunicationis vetamus. Si deſit Vicarius Foraneus, aut ille idem ſit Parochus, qui Vicarius, ſeniori Sacerdoti, aut proximiori Parocho hanc curam demandamus.

V. Parochialium jurium, & officiorum ſumma in eo potiſſimùm poſita eſt, ut pabulo divinorum Sacramentorum nutriantur concreditæ oves. Aſſiduos igitur in cultu Sacrorum eſſe oportet Parochos, & per ſemet Parochialia munera in ſolemnibus Sacrificiis, in prædicatione Verbi Divini, in adminiſtratione Sacramentorum ſedulò exercere. Revocabiles Vicarios, alioſque conductos Miniſtros non admodum amamus: Mercenarii enim iſti, ad quos parum, aut nihil pertinet de ovibus, facilè Lupis gregem produnt, aut ſaltem errare patiuntur. Ipſa vetus Eccleſia ejuſmodi temporariis Miniſtris parum fidit: pro varia rerum neceſſitate, per Eccleſias, & Titulos

Joan. 10. ver. 12.

ſive

ſive urbis, ſive ruſticos delegare primùm conſueverat Presbyteros, eoſque pro nutu revocare: at viſum deinde eſt longè utilius, aliquos ibi conſtituere, qui perpetuò miniſtrarent. Suum igitur quælibetEccleſia ex antiquiſſimo more perpetuum, ac peculiarem habeat Paſtorem, eximiæ, nec facilè laſſandæ ſolicitudinis. Bonus Paſtor ita comparatus eſſe debet, ut animam ſuam ovibus impendere non refugiat, quando ejus diſpendia eſſent gregi neceſſaria. Stabiles igitur ſint Animarum Curatores, & immobiles, abundantes in omni opere bono, ſcientes, quòd labor eorum non eſt inanis apud Deum. Quando gravis neceſſitas extorqueret illis Adjutorem adſciſci, ſe ab omni onere abſolutos non credant, debent enim, & ipſi pro viribus laborare, ut ſuum impleant miniſterium. Nemo autem audeat ſibi privatâ auctoritate ſufficere Coadjutorem, etiam pro tempore, alioquin gravem dabit arbitrio noſtro pœnam. Si opus erit, aut à Nobis illi deſtinabitur Vicarius, qui ſubſidiariam operam conferat, aut ab ipſomet propoſitus, prævio diligenti examine approbatus, & data in ſcriptis coadjuvandi in adminiſtratione Sacramentorum facultate, confirmabitur. Ubi autem in amplioribus Eccleſiis Rectori alii accedunt Canonici Coadjutores perpetui, ſua cuilibet ſarta ſint legitima jura; ſerventur tum in partiendis reditibus, tum in ſubeundis oneribus probatæ conſuetudines, juxta ea, quæ in Sacr. Viſit. à noſtris Prædeceſſoribus, & à No-

Càn. Eccleſias 13. q. 1. Can. Præcipimus 25. q. 2.

Trid. ſeſs. 24 cap. 13

Joann. 10. ver. 11.

1. Cor. 15. ver. 58.

2. Tim. 4. ver. 5.

Trid. ſeſſ. 21. cap. 4. & 6.

Nobis ſancita ſunt. Dedecet autem Paſtores de terreno fructu litigare, ubi ſolùm de colligendis cæleſtium meritorum manipulis deberent eſſe ſoliciti; & iniquum eſt quòd fingant ſibi laborem in præcepto, ubi æmulari deberent chariſmata meliora. Rixoſos, & deſides gravi arbitrariâ pœnâ, pro modo culpæ, puniemus.

Pſal. 93. ver. 10. 1. Cor. 12. ver. 31.

VI. Vitio ducant Eccleſiarum Rectores in alios rejicere ſacras illas functiones, quæ ex pia Eccleſiæ conſuetudine per annum celebriores recurrunt, & ad recolenda eximia quædam noſtræ Religionis myſteria ſunt inſtitutæ. In his cenſemus benedictionem, ac diſtributionem palmarum, quibus triumphalis plauſus exhibetur, quo Chriſtus Jeroſolymis eſt exceptus: benedictionem item, & diſtributionem candelarum, quo ritu profanas gentilium luſtrationes expiavit Eccleſia, ubi quem Ethnica ſuperſtitio, diis manibus juſta reddituraa, Februo ſacrum voluit diem; hunc vera Religio Chriſto Domino in Templo præſentato, ac Mariæ Virginis purificationi dedicavit: eòque ſpectare voluit in Occurſu Domini agi ſolitas ceremonias, ut non jam in memoriam terreni imperii quinquennem, ſed ob recordationem cæleſtis regni perennem Chriſto Sponſo obviam prodiremus cum lampadibus. Feriâ illâ IV. quæ ab uſitato more imponendi cineres capitibus pœnitentium nomen obtinuit, æquum eſt, ut Fideles ſuæ mortalitatis monitorem habeant Parochum, à quo inſpergantur cinere, ut per eam favillam cineris perpendant mor-

Beda in Martyr. V. Id. Septem. Durand. in Ration. lib. 7. c. 7.

S. Ildeph. ſer. 2.

Can. In Capite diſt. 50.

mortis ſententiam, ad quam peccando pervenimus. In Collegiatis etiam, & Parochialibus Eccleſiis religioſiſſimè obſervetur vetuſtiſſimus ritus benedicendi aquam quolibet die Dominico, eâque Clerum, & Populum adſpergendi. Solemnis inter alias, utpote ab Apoſtolica traditione profecta, ſemper fuit benedictio aquæ in uſum Baptiſmi peracta in ſacris vigiliis Paſchatis, & Pentecoſtes: priuſquam ſacra olea miſcerentur, ab antiquiſſimo tempore ſolemne fuit, ut fideli populo, etiam Domum deferenda, & ſervanda diſtribueretur: pium hunc morem probamus, & commendamus: imò eâ aquâ ſacris precibus expiatâ utantur Parochi, dum Sabatho Sancto ſingulas ſuæ Parochiæ ædes de more obeunt, conſpergunt, & benedicunt, ut ſicut domus Hebræorum in profectione de Ægypto Agni cruore illitas Angelus vaſtator præterivit, ita mittere dignetur Dominus Sanctum Angelum de Cælis, qui ea habitacula cuſtodiat, & omnes inſidias inimici longè repellat.

S.Iſid. de Eccl.Offic. lib.2. cap.16.

Can. Aquam de Conſecr. diſt. 3.

S.Baſil. de Sp.Sanct. cap.27.

Can. In Sabat.Sanct. de Conſecr. diſt.4.

Exod. 12.

VII. Sacri Paſtoris ſolicitudo, & charitas, nunquam magis ſe prodit, quàm ubi is uritur, ubi aliquis ex commiſſa ſibi Plebe infirmatur. hoc enim illud tempus eſt, quo neceſſitate, & indigentiâ creſcente propenſum in ſe, paternumque, tùm in temporalibus, tùm in ſpiritualibus ſubſidiis ſentire debent Populi animum Parochi. Quoties igitur morbus præcipuè gravis aliquem invaſerit, labori non parcant, ſæpè inviſant, &

2.Cor.11. ver.29.

quà verbis, quà factis, prout illis datum erit, per charitatis, & miſericordiæ opera erigant, & ſolentur. Neminem, vel de infima plebe, faſtidiant: non habemus enim fidem Domini noſtri Jeſu Chriſti in diſcretione Perſonarum, ut ex divitiis, vel dignitate quenquam æſtimemus. Redarguuntur à lege,qui perſonas accipiunt, & pauperes habent contemptui, in quibus ſuperexaltanda potiùs erat miſericordia. Profectò Redemptor noſter,ut oſtenderet,quia quę deſpecta ſunt hominum deſpicienda non ſunt, ad filium Reguli ire noluit, ad ſervum Centurionis ire paratus fuit. Illud in primis cordi illis ſit, & curæ, ut tempeſtivè Sacramenta miniſtrentur, & de ſpirituali ſalute provideatur. Si quis autem propter eorum negligentiam Sacramentorum præſidio deſtitutus interierit, Deus in altera vita, Nos in iſta, per graviſſimas pœnas ſanguinem illius de manu Parochorum requiremus: à quibus pœnis non erunt immunes, etiam quando de animarum ſalute parùm ſoliciti in mortis periculo aſſiduâ, quantùm fieri poterit, charitate in extremo vitæ agone adjutores non aſtabunt. Nunquam tam opportuna, imò & neceſſaria ſpiritualis Paſtoris præſentia, conſilium, & cura eſt, quàm ſupremo die, & extremo illo in diſcrimine, quando ſtatuendum eſt de rationibus ſummo Judici mox reddendis, ideò tunc promptiorem, & efficaciorem præſtent opem. Ubi in exitu anxiatur anima, eam juxta Eccleſiæ ritus Deo commendent, & præſto ſem-

Jacobi 2. ver. 1. & ſeq.

S. Greg. hom. 18. in Evang.

Ezech. 3. ver. 18.

ſemper ſint adversùs Dæmonum inſultus, qui periculoſiores in mortis articulo inſtruunt inſidias.

VIII. Paſtores ex hominibus aſſumpti pro hominibus conſtituuntur in his, quæ ſunt ad Deum, ut offerant dona, & Sacrificia pro peccatis, ideoque Populi neceſſitas poſtulat ab illis divini Sacrificii frequentem uſum. Dominicis, & Feſtis quibuſcumque diebus horâ congruentiore, & populi commodo magis accommodatâ ſacrum in propriis Eccleſiis peragant: & quia divino præcepto iis, quibus animarum cura commiſſa eſt, mandatur pro ovibus ſuis Sacrificium offerre, ut ſæpè ſacra cenſuit Congregatio Concilii, Parochi tenentur pro Parochianis Sacrificium applicare, etiamſi reditus ſint tenues, ſaltem diebus Feſtis.

Hebr. 5. ver. 1.

Trid. ſeſſ. 23. cap. 1. de Reform.

Sac. Cong. in Lucan. 10. Maii 1681. in Cremon. 20. Decem. 1692. in Pampelon. 18. Novemb. 1702. in Camerin. 28. Junii 1704.

IX. Nemo eos ferat Paſtores, qui ne de exteriore quidem vultu Gregem norunt. Boni Paſtoris eſt, ne Lupus furetur, & mactet, dominici gregis oves identidem recenſere. Hoc Parochi diligentiſſimè exequantur, præcipuè iis in Locis, ad quæ novi identidem advenæ ſolent convenire. Sub pœna igitur trium aureorum præcipimus Parochis, ut quotannis oves ſuas recenſeant, & agnoſcant, earumque indicem inſerant libro in hanc rem parato eâ normâ, quæ in Rit. Rom. præſcribitur, & hanc pœnam certiſſimè ſolvent, niſi poſt quindecim à Paſchate dies hunc ſtatum, & numerum Animarum ad Nos tranſmiſerint, juxta formulam in ſacra Viſitatione præſcriptam. Nomina item ad Nos deferant Puellarum, & Pue-

Prov. 27. ver. 23.

rorum, quibus primâ vice ſacram Euchariſtiam impertierint, & hac in parte illis iterum commendamus, ut cùm primùm ad tanti Sacramenti perceptionem erunt idonei, eos admittant benè priùs inſtitutos juxta ea, quæ ſupra præſcripſimus. Quando novi advenæ in Parochia ſedem ponunt, inquirant in eorum fidem, & mores. Si Mulieres cum Viris convivere reſciverint, qui vel de contracto Matrimonio, vel de arcto ſanguinis nexu ſua non habeant documenta, à cohabitatione prohibeant, nec ſibi facilè imponi patiantur. Pluries in anno, ſed potiſſimùm ubi noſtra imminet Viſitatio, Parochiam circumeant, Eccleſias luſtrent, ut earum ſtatum Nobis poſſint aperire haud impunè laturi, ſi ob minùs ſedulò præſtitam operam divino cultui, Eccleſiarum nitori, ſupellectilium apparatui ſatis proſpectum non erit, vel aliquid omiſſum reperietur, quod eorum curæ erat commendatum. Urgeant ſaltem, quæ abſolvi non poſſunt, & appareat multa ſatagentis ſtudium, ut cùm aderimus, rebus bene cœptis ſuprema tantùm manus à Nobis ſit apponenda.

Lib.I.cap.IV.

X. Parochiales Codices, nempe Baptizatorum, Confirmatorum, Defunctorum, nec non Matrimonia contrahentium, ac Statûs animarum bene compactos, atque, ut ajunt, chartulatos habeant, & ſingula in eis ad normam Rit. Rom. non per notas compendiarias, nec dies, & annos per arithmeticas figuras deſcribant; ſed per extenſum regerant, & cùm aliquod inde documentum,

mentum, aut teſtimonium extrahi oportebit, prout jacet, nullâ prorsùs interjectâ variatione, exſcribatur. Ut autem hæc omnia ſedulò impleantur, nedum in ſacra Viſitatione, ſed etiam aliàs pro re nata, explorabimus præmemoratos libros, & qui defecerint pro arbitrio, punientur. Omnes autem Codices, ſicut & illos, in quibus exſcribi volumus Viſitationum Decreta in Capitulari, vel Parochiali Archivio, de quo ſupra, aſſervari mandamus, eoſque tantùm privatim retineri poſſe permittimus, qui in quotidiano ferè ſunt uſu.

XI. Sacris Operariis, qui digni ſunt mercede ſua, in juſtitiæ tributum, in vitæ ſubſidium decimas divinis, ac humanis legibus conſtitutas perſolvi jubet Religionis ſenſus, naturæ inſtinctus: bonâ igitur fide, ac chriſtianâ alacritate eas pendant Fideles, ne opem ferre etiam per anathemata, ſi opus fuerit, cogatur noſtra legum præſidio munita auctoritas. Spectent in illis religioſum officium, quandoquidem Deus, qui dignatus eſt totum dare, decimam à nobis dignatur repetere, non ſibi, ſed nobis ſine dubio profuturam. Sibi conſulunt, dum temporali Parochorum ſubſidio proſpiciunt; ex decimarum enim fraudatione factum non ſemel, ut ingentia mala populos invaſerint: accedit indictio Fiſci, quando decedit devotio Dei, totumque non rarò perit, quod cum Deo non dividitur. Servetur in illis exigendis cujuſcunque Loci probata conſuetudo, & Parochi præcipuè ab egente Plebe eas eliciant piis mo-

1.Tim.1.ver.18.

Exod. cap.22.& 29. Levit. 27. Num. 18. Deuter. 12. Luc.11. Matth.23.

Cauſ.XVI.q.1.Can. I. Admonentes, & ſeq. Can. Decimas quæſt. 7. ib. De Decimis in III. Decret.

Trid. ſeſſ. 25. cap.12.

Cap. In aliquibus hoc tit.

Can. Decimæ 16. q.1.

Can. Majores 16. q. 7.

Conc. Franceford. can. 25.

Can. Revertimini 16. q.1.

monitis potiùs, quàm improbâ exactione, ne videantur nimiùm lucris temporalibus inhiare. Cùm Decimæ non ab hominibus tantùm, ſed ab ipſo quoque Domino ſint inſtitutæ, poſſunt utique quaſi debitum exigi; nihilominùs, ubi moroſi erunt ſubditi, vel parùm fidi in ſolvendo, non illatâ vi, ſed legitimâ actione jura perſequantur, eaque vindicaturi Nos adeant, ut abſque judicii formâ, rei tantùm veritate inſpectâ, urgeamus ſolutionem, litem dirimamus. Singulis annis diligenter, & diſtinctè deſcribant quidquid ex Decima acceperint, ac commentarium inter Eccleſiæ ſcripturas collocent ſibi, & ſucceſſoribus uſui futuram: nec in illis excipiendis, illarumve jure tuendo ſive utile ſit, ſive honorarium, aliquod Eccleſiæ ſuæ damnum, aut incommodum inferri patiantur. Ubi plures erunt Parochi, intra ſuos quilibet ſe contineat terminos poſſeſſionis antiquæ, degat ſub vite, & ficu ſua; nec faciant ſibi invicem anguſtias, ubi dilatanda ſunt ſpatia Charitatis.

Cap. Ex parte de Cenſibus. Cap. Parochianos de Decimis.

Clem. 2. de Judic.

Trid. ſeſs. 24. cap. 13 §. In iis &c.

3. Reg. 4. ver. 25.

XII. Non admittitur Paſtoris excuſatio, ſi Lupus oves comedit, & Paſtor neſcit: quare per perſonalem in ſua Parochia reſidentiam gregi Parochus attendat neceſſe eſt, & datus ſpeculator Domui Iſrael, & ſuper muros Jeruſalem cuſtos conſtitutus, nunquam debet ſtationem deſerere, ne poſt diſceſſionem ejus intrent Lupi rapaces non parcentes gregi, irruant hoſtes depopulantes civitatem. In Parochiali igitur juxta Eccleſiam Domo,

Trid. ſeſſ. 6. cap. 1. Ezech. 3. ver. 17. Iſajæ 62. ver. 6. Actor. 20. ver. 29.

Digitized by Google

domo, vel in alia intra Parochiæ fines de noſtra licentia perſonaliter reſidere teneatur: nec extra Parochiam pernoctet, præſertim cùm aliquis malâ premitur valetudine, & ubi neceſſitas admodùm urgens extra Parochiam, vel unam noctem exigere cogeret, relinquat idoneum à Nobis approbatum ad Confeſſiones excipiendas Sacerdotem, qui adminiſtrare poſſit Sacramenta. Si ſubitus caſus, & urgens neceſſitas Loco compellat excedere, eâdem impoſitâ lege, poſſit Vicarius ad triduum tantum non reſidendi indulgentiam prorogare. Pro diuturnioribus induciis à Nobis peti debet, & obtineri licentia, quam ubi, juſta aderit cauſa, ſcripto ad duos tantùm menſes dabimus, idque potiſſimùm Nobis erit curæ, ut celebriores feſtos dies, & tempora Adventûs, & Quadrageſimæ in ſuis agant Eccleſiis, & tempore canonicæ abſentiæ Vicarium deſignabimus, qui curam ſuſtineat animarum, congruâ fructuum penſione in illius uſus deſtinatâ. Obtentâ licentiâ Vicarium Foraneum moneant, & elapſis datis induciarum menſibus morandi cauſas minimè nectant, ſed ſuæ ſolicitè ſe reddant Eccleſiæ, alioquin ſi diutiùs abſuerint, intentatis cenſuris, privatione fructuum, imò, & ipſâ Parochiæ abdicatione ad officia revocabimus, agentes canonico judicio, ex præſcripto earum legum, quarum obſervantia noviſſimis encyclicis Literis à Sacr. Congr. Conc. de mandato SS. D. N. enixè præcipitur, & commendatur.

Trid. ſeſſ. 7. cap. 1.

Conc. Trident. loc. ſup. cit. & ſeſſ. 23. c. 1. S. Pius V. in Conſt. Cupientes. Cap. Relatum, & Cap. Final. de Cler. non reſid.

App. num. XXVI.

XIII. Vix

XIII. Vix ullum Parochi præterire poſſunt Caput, in quo multa non habeantur, quæ pendent ab eorum cura, & officio. Quæ de cultu Eccleſiarum, de obſervantia Feſtorum, de legitimo Eccleſiaſticorum proventuum uſu, de vita, & honeſtate Clericorum, de Sacramentorum adminiſtratione præcipiuntur, quidquid denique, Diſciplinæ, Morum, & Doctrinæ hìc continetur, eos propiùs ſpectat. Sibi igitur ſatis eſſe non ducant ſemel aut iterum Synodales has noſtras Conſtitutiones utcumque percurriſſe, ſed verſent manu non intermittente, & huc mentem intendant, ut quas piâ religione indiximus leges, non ſolùm perſpectas habeant, ſed ipſi ſervent primi, & ab aliis obſervari ſedulò curent. Recolant cum primis, quòd ipſis derelictus eſt Pauper, Orphano ipſi conſtituti ſunt Adjutores, & Patres. Si Tutores Pupillorum curam abjicerent, aut ſolius corporis, nullam verò, aut levem animi rationem haberent, has pietatis partes pro viribus ipſi ſuſcipiant. Inopem, mendicum, & compunctum corde ſublevent eleemoſynis, juvent conſilio, tueantur auctoritate. Bonum Paſtorem non agit, qui videt Lupum venientem, & fugit: venit Lupus, ubi quis injuſtus, & raptor humiles opprimit, fugit Paſtor dum pericula metuens injuſtitiæ non reſiſtit; fugit utique non mutando locum, ſed ſubtrahendo ſolatium. Attendant ſibi, & univerſo gregi, nec propriam ſalutem negligant, ubi alienæ proſpiciunt. In omnibus laborent, opus faciant

Pſal. 9. ver. 14.

Pſal. 108. ver. 17.

Joan. 10. ver. 3. S. Gregor. hom. 21. in Evang.

Actor. 20. ver. 28.

2. Tim. 4. ver. 5.

faciant Evangeliſtæ, miniſterium ſuum impleant, ut cum apparuerit Princeps Paſtorum, percipiant immarceſcibilem æternæ gloriæ coronam. 1.Petr. 5. ver. 4.

CAPUT VIII.

De Funeribus, & Sepulturis.

Licet occaſûs neceſſitatem divinus noſter Animus non ſentiat, amat tamen ſedem relicti corporis, & quâdam ſorte rationis occultæ ſepulchri honore lætatur. Natura ipſa de immortalitate animæ tacita cogitat, dum ſatagit ſepulchrorum. Hinc apud quaſvis gentes tum cultas, tum barbaras ſpes futuræ cujuſdam vitæ poſt temporalem mortem effecit, ut exquiſitum ſtudium in curandis ſepulchris, in celebrandis inferiis adhiberetur: Fides, quæ de morte ad vitam reditum rectiùs docet, in cauſa eſt, ut hoc humanæ conſuetudinis officium in deducendis funeribus divinæ ſit etiam religionis monumentum. Non ſpernitur corporis cura propter animæ ſecuritatem: de oſſibus ſuis mandavit Joſeph, quia fide meminit de egreſſione filiorum Iſrael: nos ſepulchri honorem corporibus religiosè deferimus, quia poſt ſeculi ſervitutem beatam Reſurrectionem expectamus. Et ſanè, ſi Evangelica lex viventes nudos præcipit operire, quantò magis operire debemus

Ex Valent. Novell. de Sepulch.

Ex Tertull. in lib. de Anim.

S. Paulin. ep. ad Pammach.

Ad Hebr. 11. ver. 22.

S. Ambr. lib. de Tob. cap. 1.

çorpora Defunctorum. Ut igitur hoc humanitatis, & religionis officium ritè perſolvatur;

Eccleſ.7. ver. 37. I. Mortuo gratia non eſt neganda, & ineſt ab ipſa natura in humanis pectoribus ſingularis erga defunctos pietas, & miſeratio: hinc factum eſt, ut diligentiſſimè ſemper caverint Chriſtiani ne honor ſepulturæ diù differretur. Nullo igitur prætextu retardetur; quòd ſi controverſia aliqua emergeret, corpora in pace ſepeliantur, mox cuilibet integrum ſit ex jure agere coram Nobis, vel Vicario noſtro Generali. Non minùs ſecundùm Patres maturandum eſt funus, quàm temperandus mæroris affectus, ne quis defunctum domi detinens, ipſe ampliùs cum illo maceretur enormitate ſolatii dolore nutriti. Qui amicorum, vel cognatorum deceſſum lugent, ab ea doloris intemperantia caveant, quæ in diras lamentationes, in ineptos clamores, aut acerbos queſtus erumpit. Habent forſitan illi juſtam longi doloris excuſationem, qui vitam alteram neſciunt; nos autem, qui habemus certam futuræ Reſurrectionis fiduciam contriſtari, & otioſo mærore confici non debemus ſicut cæteri, qui ſpem non habent. Si vitatur publicus adſpectus, non vitetur Eccleſia: nec vitam in fœdo luctu agentes ita ſe domi contineant Fideles, ut feſtis quoque diebus ſacris renuant intereſſe: Orationibus, non ſingultibus juvantur Animæ Defunctorum.

Serm. 1. de Conſol. Mort. inter oper. S. Auguſt.

Tertull. lib. de Anim. cap. 33.

Can. Habent 13. q. 2

1. ad Theſſal. 4. ver. 12

II. Statim ut aliquis diem extremum obiit, monitus, aut mortis conſcius Parochus conſueto Cam-

Campanarum ſignoFidelium pietatem excitabit,ut preces pro Defunćto fundant ad Deum. Sonum autem Campanarum moderatum eſſe convenit, ideoque ſpatium mediæ horæ non excedat, & in obitu parvulorum feſtivus ſit, non lugubris. Mos efferendi ſub noćtem ad clancularíam veluti ſepulturam calentia adhuc cadavera, eſt quòd diſpliceat Filiis lucis: non igitur de noćte, ſed claro die funera celebrentur, & corpora deducantur, is eſt enim ſepulturæ honor, ea parentaliorum ſanćtitas, ut neminem pudere debeat Chriſtiani officii. Si quæ urgeret ratio, ut poſt compoſitum diem, aut nondum clarè albeſcente luce domo Corpus efferretur ad Eccleſiam,non fiat ſineVicarii Foranei, vel Generalis licentiâ, alioquin arbitraria luenda erit pœna ab hujus Decreti contemptoribus, & illis, qui contra ea, quæ ſupra ſtabilivimus, intempeſtâ noćte Eccleſiæ fores aperuerint. Ubi in Eccleſia cuſtoditur cadaver, donec tempus adveniat ſepulturæ, nunquam de noćte Viri à Mulieribus cuſtodiantur: caveant Cuſtodes à ludis, comeſſationibus, jocis, & riſibus, collocutionibus, aliiſque aćtibus, quos refugit Eccleſiæ ſanćtitas, & pia officii mæſtitia: orent, aut pſallant in Domino. Decenter compoſita recondantur cadavera; & ut nullus omninò de morte relinquatur dubitandi locus, Defunćti non ſepeliantur, niſi elapſis à morte viginti horis; quòd ſi repentinâ morte quis fuerit correptus, aut Mulier in partu deceſſerit, expećtetur ſpatium 24. horarum.

Ritual. Roman. de exeq. Parvul.

Conc. Mediolan. VI. part. 3. diſt. Quæ ad funer. pertin.

Lib. 3. cap. 1.

Baron. ad ann. 310. Conſt. Apoſt. lib. 6. cap. 29. S. Dionyſ. de Eccl. Hierarch. cap. 7.

III. Singulare ſemper hoc Chriſtianorum fuit ſtudium, ut non minore pietate, quàm honeſto, & religioſo apparatu ſepelirent. Ritualis igitur norma, & ratio ſervetur in omnibus accuratè; ita ut juxtà antiquam univerſæ Eccleſiæ conſuetudinem Defuncti Fideles, nonniſi adhibitis precibus, & pſalmis, tradantur ſepulturæ. Exequialis proceſſio ad religionis normam compoſita gravitati, & modeſtiæ Chriſtianæ congruat; unde longæ illæ circulationes, populoſæ, non ſine ſtrepitu, & tumultu profano, quæ aliquid de gentilitio more ſubolent, vitentur, ne ad ſpectaculum magis, quàm ad orationem Populus advocari videatur. Recto tramite, ac breviore viâ deducatur Corpus ad Eccleſiam. In funeribus proſequendis Clerici omnes, & Sacerdotes talarem habitum geſtent cum mundis, & decentibus ſuperpelliceis, & clericali bireto, abſque pileis in Civitate, niſi pluvia, aut inclementior aer eos cogeret adhibere. Pias in itinere preces, & pſalmos decantent, & ſuum quiſque cogitet diem, dum agitur de alieno; ſic enim facilè fiet, ut ab animo in mortis cogitatione defixo, ea prodeat etiam exterior compoſitio, quæ oculis, habitu, inceſſu modeſtiam præſeferat, & religionem. Ubi ad Eccleſiam pervenerint, inde non diſcedant, niſi juſtis integrè perſolutis, alioquin eleemoſynam ſuam non faciant.

Can. Qui divina 13. q. 2.

Eccl. 12. ver.

IV. Poſtquam Orbis Chriſtianus ab uſtrina cadaverum receſſit, & Patres noſtri, ut reverteretur

teretur pulvis in terram ſuam, unde erat, juxta vetuſtiorem, & meliorem conſuetudinem maluerunt defunctos integros terrâ condere, quàm ſubjecto igne cremare; religioni duxerunt, ſuorum corpora, gentium more, apud profana ſepulcra alienigenis conſepulta deponere, ne damnatus cinis ſua vicinitate, & contagione Fidelium reliquias pollueret. Quia ſacris eſt canonibus conſtitutum, ut quibus non communicavimus vivis, non communicemus defunctis, & à ſuo ſinu mortuos rejiciunt Templa, quos vivos à communione excuſſerat Eccleſia; careant Eccleſiaſtica ſepultura, qui chriſtianæ, & catholicæ communionis exortes deceſſerunt. Inter profana cadavera igitur, quæ nefas eſt in ſacro loco ſepelire, enumerantur Infideles, Hæretici, Judæi, Schiſmatici, & eorum Fautores, publicè excommunicati, & denunciati, qui ante vitâ exceſſerunt, quàm fuerint excommunicatione ſoluti, notorii Uſurarii, Raptores, Meretrices, qui impœnitentes obierunt, qui in ſingulari certamine occiſi ſunt, vel qui crudeli manu mortem ſibi inferentes à Deo creditam animam projecerunt, ac illi omnes, de quibus meminit Rit. Rom. in Rubr. de exeq. quæ conſulenda eſt; & ubi hi, vel alii ſimiles caſus contingunt, nihil moliantur Parochi, niſi Nobis conſultis. Sordidè tegenda erunt cadavera hæc, ita longè ab Eccleſia, ut inde Clericorum divina officia pſallentium voces audiri nequeant, & ſi in loco ſacro ſepulta forent, effodi, & extrahi debent,

Minut. Felix in Octav.

S. Cypr. ep. 68.

Cap. Sacris de Sepultur.

Cap. Quicumque de Hæreticis in 6. Clemen. 1. hoc tit. Can. Eccleſiam 27. cum ſeq. de Conſ. diſt. 1. Cap. Sicut ait de Hæreticis. Cap. Super eo. Cap. in literis de Raptor. Trid ſeſs. 15 cap. 19. Can. Placuit 23. q. 5. Can. Quibus. Can. Non æſtimemus 13. q. 2. &c.

bent, ſi à cæteris poſſunt ſecerni. Interdicta quoque eſt ſacra, & Eccleſiaſtica ſepultura Pueris ſine Baptiſmate decedentibus: ſi verò in utero Chriſtianæ Mulieris eſſent mortui, tanquam pars illius eodem cum ipſa gaudent ſepulchri jure, & dignitate. At ubi ex utero elapſi pereunt non baptizati, non in Eccleſia, ſed juxta illam, certo, & proprio loco, beſtiis minimè obnoxio, condantur.

Gloſs. in Cap. Eccleſiam de Conſ. diſt. 1.

V. Gentes omnes commendatiſſimam ſemper habuerunt ſepulcrorum religionem, ita ut ſacrilegio proximum Majores habuerint movere, & veluti vexare buſta defunctorum: ſemel igitur terræ mandati non effodiantur, nec ſua moveantur ſede, Nobis inconſultis. Cadavera eorum, qui violenta morte perierunt, non humentur; imò neque ad Eccleſiam deferantur, priuſquam notum fuerit Parocho, Miniſtros vel noſtræ, vel laicalis Curiæ inſpexiſſe Corpora, atque probaſſe illatæ mortis ſigna. Si verò Miniſtri plus æquo cunctarentur, & Corpus diutiùs inhumatum detineri non poſſet, efferatur, & ſolito ritu ſepeliatur. Ad Eccleſiam autem deportatum nullo modo inſpici poſſit, nec ſepultum ad inſpectionem exhumari, qui ſecus egerit Excommunicationis ſententiam incurrat ipſo facto. Ubi acceſſerit licentia, nunquam in Eccleſia, aut loco immuni peragatur inſpectio. Pro hac licentia etiam Nos adiri poſſumus, qui eam impertiendi à Sac. Congreg. habemus facultatem.

L. 1. & 5. Cod. de Sepulcr. Violat.

Sac. Congr. Immun. 8. Auguſt. 1645. in Macerat. & in Anagn. 21. Januar. 1659.

VI. Viris Eccleſiaſtici nominis indecorum eſt,

eſt, quòd minùs expediti ſint à terrenis cupiditatibus, quàm Sichimitæ, qui locum ſepulturæ Abraham gratis obtulerunt. Parochi igitur, ſi uſpiam aliàs, hîc ab avaritiæ nota ſibi caveant, ne in eam veniant ſuſpicionem, quòd de ovium interitu Paſtor gratuletur. Nihil exigant præter id, quod antiqua, pia, & probata conſuetudo ſolvendum induxit, ipſique primi ſint, qui mediocri oblatione contenti ſuadeant, ut in curandis funeribus honeſtus modus ſumptibus adhibeatur, præcidantur ſupervacaneæ illæ expenſæ, quæ damna viventium, non ſubſidia defunctorum ſunt; nec inani, & profanæ pompæ impendatur pecunia, quæ in erogandis eleemoſynis, in celebrandis Sacrificiis meliùs collocari poterat. Nulli, ſed potiſſimùm pauperibus graves ſint exequiæ, proindeque ipſæ laudabiles conſuetudines à miſeræ ſortis hominibus inhumanè non exigantur: debent, & ipſi ſuos ſumptus facere, cùm poſſunt; tam modici enim ſunt in noſtra Diœceſi, ut vel maximè inopes illis præſtandis ſint pares, & jus funeris factum eſt neceſſariò pendendum tributum, licèt olim fuerit voluntaria pietatis largitio. Ne verò in improbum abeat quæſtum, mortui priùs ſepeliantur, quàm merces, vel in re, vel in pignore exigatur, & ſi aliquis ſepulturam, vel funus differret decedentibus hoc prætextu, quòd merces non ſolvatur, hoc mercenariȩ vilitatis opprobrium, alienum à regula pietatis, & honeſtate Eccleſiæ graviſſimâ arbitrariâ pœnâ puniemus. Niſi ſit pia

S.Greg.lib.7.cap.4.

Can. Quæſta & ſeq. 13.q.2. Tit. de Sepult.lib.3. Decretal

S.Ambr.de Naboth. cap.1.

Can.Animæ 13.q.2.

Cap. Abolendæ de Sepult.

pia aliqua ſodalitas, quæ hujuſmodi charitatis officium ſoleat pauperibus impendere; Pauperes, qui ſolvendo non ſunt, à Parochis gratis, imò, & honeſtè efferantur, & humentur, ne eorum corpora potiùs abjecta, quàm condita videantur. Si quis autem doloſo ingenio paupertatem ſimularet, nihil durè extorqueant, ſed rem ad Nos deferant, ut ſine judicii ſtrepitu, quæ juris erunt, decernamus.

Sacr. Congr. Epiſc. in Caſſan. 5. Maii 1617. Rit. Rom. in rubr. de exeq. §. Pauperes.

VII. Si mos antiquus vigeret, ut pretium de terra conceſſa putredini non quæreretur; nec eſſent, qui de alieno luctu facere vellent compendium, nullæ, aut leves in hoc religioſo officio fervent æmulationes: exarſerunt, ubi per ſordidam avaritiam quibuſdam venerunt in pretium alieni dolores. Ut coerceatur cupiditas, obviam eatur diſſenſionibus, integrum cuique ſit, etiam citra teſtamentum, vel integrâ valetudine, vel imminente morte, ſepulturam, quo ſibi optat loco, etiam in Eccleſiis Religioſorum, eligere. Liberam quoque ſepulturæ electionem habeant, quibus jura concedunt, Uxor inconſulto Viro, & Filius ſine Patris aſſenſu. Quatenùs electa non fuerit ſepultura, Uxor viduata in ſepultura ultimi Viri, Filii in ſepulchro Majorum, ſervi in Parochia ſepeliantur; niſi aliter conſentiant Parochi, ibi quoque tumulo condi oportet, qui nec viventes ſibi ſepulturam elegerunt, nec gentilitium, & familiare habent monumentum, cui inſerantur. Clerici non in Avorum ſepulchro, ſed in eo quod pro

S.Greg. lib. 7. cap. 56

Caſſiod. lib. 3. ep. 19.

Cap. Cum liberum ſit de Sepult. Cap. Licet Pater eodem tit. in 6.

Can. Unaquæque 13 q. 2. Cap. de Uxorem de ſepult.

Can. Ebron, & ſeq. 13. q. 2. Cap. Nos inſtituta de Sepult.

Cap. Ex parte. Cap. In noſtra ib.

pro Clericis in matrice Eccleſia deſtinatum eſt, ſepeliantur, ubi ſepulturam non elegerint. Clerico, vel Regulari dicenti, in ſua, vel ſui Ordinis Eccleſia Defunctum ſepeliri voluiſſe, fidem præſtare non cogitur Parochus, niſi id certis probet documentis, eoſque adducat teſtes, qui legitimè excipi non poſſint. Caveant præterea tum Regulares, tum Clerici, ne terrena Cupiditas ita illis imponat, ut interpoſitâ promiſſione quem inducant ad eligendam, aut ad immutandam jam electam ſepulturam; id enim ſub pœna Excommunicationis prohibetur. Liceat Parocho tantùm interrogare, quo quis condi velit tumulo; ut abſit omnis inſuſurratio, & doloſa ſuggeſtio, cæteris Confeſſariis etiam ſimplicem interrogationem in virtute ſanctæ obedientiæ prohibemus. Decreta aliquot de re hac à Sacr. Congregat. Concil. emanata, & Pontificiâ auctoritate munita habentur in Appendice.

Cap. Animar. de Sepult. in 6. Clem. Cupientes de Pœnis.

App. num. XXVII

VIII. Si quis Fidelium extra Parochialem Eccleſiam ſepeliri ſe jubeat, aut avito tumulo extra eam Eccleſiam poſito ſit inſerendus, illius Corpus Parochus domo efferat, & in eam, quam delegit Eccleſiam inferat, quartâ illi funerali, & Canonicâ funeris portione ſervatâ. Nunquam ſine interventu Parochi, prævia Cruce, & duobus ſaltem luminibus accenſis, per Civitates noſtras, & alia Diœceſis Loca è domo ad Eccleſiam Defunctorum corpora deducantur; qui in culpa erit, quod ſecus factum fuerit, noſtro arbitrio graviter

Trid. ſeſſ. 25. cap. 13. de Reform. Cap. Cum ſuper de Sepult. Cap. Cum quis in 6. Clement. Dudum hoc tit. Cap. De Quarta de Præſcript.

punietur. Quoad ceræ diviſionem, ac cætera funeris emolumenta, ſerventur ea, quæ aut Pontificum Conſtitutionibus, & Congr. Decretis ſancita ſunt, aut approbatâ conſuetudine ſunt inducta. Nunquam tamen candelæ diſpenſentur in via, nec funerum eleemoſynæ ſpectante populo diſtribuantur: ille verò, cui procurandi funeris cura incumbit, commendatum maximè habeat, ut omnem viam ineat, quò tumultus, & ſtrepitus omnis ab ea functione arceatur. Quando exequiali Proceſſioni adeſt Capitulum, iſtius ſit locus dignior, cæteris Sacerdotibus præcedat Parochus, qui ſtolam deferat.

Can. Præcipiendum. Cap. Nullus 13. q. 2.

IX. Corpora Fidelium intra Eccleſiam ſepeliri non patiebatur vetus diſciplina: ſingulare hoc erat privilegium, ut quis ſpectatiſſimæ ſanctitatis recluderetur in Eccleſia, dum cæteri condebantur in Cœmeteriis. Cùm optatiſſimum foret Fidelibus juxta Sanctorum corpora ſepeliri, quia credebant, poſſe ſe ex eorum vicinia juvari, factum eſt, ut primùm Principes viri, cæteri demum omnes humi mandarentur in Templis: ſed ne pietas in vanitatem, Eccleſiæ in Cœmeteria degenerent; nemini ſine noſtra, vel Vicarii noſtri Generalis licentia liceat effodere novos Tumulos, ſub pœna ſex aureorum. Qui proximè adhærent Altaribus, & ab eorum ſuppedaneis ſaltem tribus cubitis non diſtant, amotis oſſibus, injectâ terrâ repleantur, & muro obturentur. In illis excitandis ſervetur forma præſcripta à S. Pio V. altè effo-

Con. Braccar. can. 18. Ferrand. in Vit. S. Fulgen. cap. ult.

Baron. ad ann. 226.

Rit. in Rubr. de exeq.

In Conſt. Cum primùm Anno 1566.

dian-

diantur ſub terram, ne malus odor cadaveris putreſcentis aerem ſuperiorem afflare poſſit: ſupra pavimentum non aſſurgant, opere ſint concamerato, lapide uno, eoque integro clauſi. Si eſſent minùs exactè compoſiti, & fœtorem exhalarent; moneantur ii, ad quos ſpectant: & niſi intra menſem refici curaverint, obturentur, aut aliis ſolertioribus tradantur. Diſtincta ſint Clericorum ſepulchra à laicis: & parvuli, qui ante uſum rationis decceſſerunt, ſeorſim ab adultis ſepeliantur. Parochi ſeduli ſint, & ſcrupulosè accurati in deſcribendis ætate, & conditione Defuncti, tempore, causâ mortis, loco tùm obitûs, tùm ſepulturæ, cæteriſque omnibus, quibus relevatur Perſonæ identitas, ne cui detrimento ſit, aut litium origo omiſſa circumſtantia.

X. Nihil intereſt humi-ne, an ſublimè putreſcat homo; una enim credentes omnes beata ſpes fovet Reſurrectionis, & ubicumque, vel ſub rudi ſaxo, vel ſub pario marmore depoſita ſint corpora, adventum gloriæ magni Dei expectant, ut induant incorruptionem, & immortalitatem. Profana igitur hominum ambitio coerceatur, & nemini liceat rupto pavimento quem ſepelire, nec ſepulchrali lapidi emblemata, vel inſcriptiones inſculpere, niſi quas Nos, aut qui noſtras vices ſuſtinent Vicarii Generales probaverint. Extant etiam apud veteres Patres exequialia elogia; at non omnibus paſſim, & promiſcuè dicenda ſunt, ſed iis dumtaxat, quorum excelſa quædam

Tit. 2. ver. 13.

1. Cor. 15. ver. 13.

Greg. Nyſſen. in fun. Melit. Euſeb. in Conſtan. Nazian. in Baſil. Cæſar. & Ambroſ. in Valent. in Satyr. &c.

virtus, & eximia in Religionem merita hanc honoris prærogativam poſtulant, & Eccleſiæ intereſt, ut laudentur opera ejus. Nec tunc quidem ſine noſtro conſilio, & licentia habeantur eæ funebres orationes. Nos autem illas tantùm probabimus, & permittemus, quæ ſolido, ac ſevero dicendi genere potiſſimam rationem habebunt virtutum, quibus Fideles auditores ad religioſam imitationem excitari poſſunt, & pietatem ſuam mortui, dum hanc vitam agerent, teſtatam fecerunt: cætera verò, quibus ſeculum gaudet, aut omittunt, aut oratorio more delibant, ut indicaſſe potiùs, quàm commendaſſe videantur.

CAPUT IX.

De Legatis Piis.

S. Hieron. in ep. ad Fur. S. Auguſt. de diver. ſer. 44.

IPſum habet hæredem, quem habet & Dominum, & proli ſuæ Creatorem ſuum accenſet, qui in pio Legato ſaltem ex parte aliqua Pauperem, aut Eccleſiam nuncupat hæredem, multo cum fœnore in cœleſtis hæreditatis conſortio recepturus, quæ de terrena dederit facultate. Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis, inquit Dominus; quapropter Chriſto datur, quod piæ cauſæ impenditur; Chriſto eripitur, quod piæ cauſæ detrahitur. Hinc factum eſt, ut ipſæ ſeculares piiſſimæ leges hanc in Epiſcopis probaverint aucto-

Matth. 25. ver. 40.

L. 1. Cod. de Epiſc. & Cler.

auctoritatem, ut divini patrimonii vindices, & diſpenſatores, Legatorum ſecuritati intervenirent, & dilatas Defunctorum pias voluntates acri ſtudio ſupplerent. Piè igitur in ſalutem animarum intenti, Teſtamentorum libertatem tuemur, urgemus Legatorum exitum, ne aliò divertantur, quæ ad pias cauſas legata ſunt; S.Greg.lib.3. ep.10. Cap. Nos quidem. Cap. Tua Nobis de Teſtam Trid.ſeſſ.22.cap.8.

I. Ad redimenda peccata, ad ſalvandam animam, cuique quod velit liberum ſit in pietatis opera legare: nec ſit, qui hoc indignè ferat, & multò minùs iniquè prohibeat, ne Deo aliquid offerant, aut potiùs reddant, qui totum acceperunt, & totum debent. Quia verò animarum ſalutem inquirere debent Sacerdotes, non lucra terrena, & ſpontaneas eſſe oportet Fidelium oblationes; caveant, ne quem, rudem præcipuè, & ſimpliciorem cogant, malis artibus circumveniant, & alliciant ad legandum. Provideant. ne Parentibus, & Liberis neceſſaria deſint vitæ ſubſidia; neve, quod in Phariſæis deteſtatus eſt Dominus, ſub obtentu pietatis, pietas violetur, ubi deſertis Parentibus, & fraudatis Filiis, inopiâ conficiuntur, qui maximè juvandi erant. Commendent ſe verâ pietate, nec ullus ſit, qui ne fingere quidem poſſit ſuſpiciones, quòd illis imponat cupiditas, & temporarium potiùs quæſtum ſitiant, quàm lucrum animarum: Non quærit donum Deus de fame Parentum ſibi conferri, & miſericordia à domeſtico progredi debet pietatis officio. At ubi religioſa pietate, appetente morte, aut valentibus viribus

L.1. Cod. de Sacroſ. Eccl.

Salvian. ad Eccl. Cath. lib. 1.

Conc. Cabillon. III. can. 6. & 7.

Matth. 15.

S. Ambroſ. lib. 8. in cap. 18. Luc.

bus, Eccleſia tranſcribitur hæres, vel legataria; ſi quis utcunque libertati teſtamenti ſe opponeret, & à Pio Legato ſive directè, ſive indirectè deterreret, ita ut ægroto liberum non eſſet in pia cauſa condere, aut ex integro, vel ex parte mutare, prout vellet, teſtamentum, ſciat ſe acrem divini, ac Eccleſiaſtici Judicii ultionem ſubiturum.

II. Omnium prorſus Eccleſiæ Filiorum intereſt, ut piæ voluntates ſuum habeant exitum, & communis pietatis ratio poſtulat, ut Fideles omnes in cunctatores, & incurioſos inſurgant. Eccleſiarum igitur Rectoribus præcipimus, & alios reſpectivè monemus, ut ſi perſpectum haberent, eſſe in noſtra Diœceſi pias aliquas diſpoſitiones nondum impletas, earum memoriam interire non patiantur; Nos, vel noſtrum Vicarium Generalem quantocyùs moneant, tam pii, ac neceſſarii officii à Deo ſaltem bonorum omnium remuneratore mercedem recepturi. Notariis verò, ac aliis, qui teſtamenta exceperint, vel quaſcunque alias ſcripturas de piis Legatis conſcripſerint, mandamus, ut infra menſem à die rogationis, ſi inter vivos, vel à die obitûs computandum, ſi ab ægroto appetente morte quid relictum fuerit, Nobis, & Legatario renuncient, aliàs pœnam ſolvent decem ſcutorum, & ſi adhuc ad duos menſes protrahant delationem, etiam per excommunicationem ſæviemus in contumaces. Imò volumus, & diſtrictè præcipimus omnibus, & ſingulis Notariis, Cancellariis, necnon Parochis, & aliis quibuſcunque

cunque Perſonis, ſive Eccleſiaſticæ ſint, ſive Laicæ, qui has ſcripturas confecerint ad pias cauſas ab anno 1690. uſque ad præſentem diem, ut earum notitiam intra tres Menſes deferant, inſerendam Actis noſtræ Curiæ, expreſſo nomine, cognomine, Defunctorum, & hæredum: expreſſis item quantitate, & qualitate Legatorum, bonis, & oneribus, die, menſe, & anno exceptæ ſcripturæ, cæteriſque omnibus, quæ neceſſaria erunt, ut exacta habeatur Legati notitia. Cunctatores decem aureorum pœna mulctabuntur, & ſi eò creſceret ſocordia, ut elapſis his tribus menſibus, adhuc per alium notitiam deferre negligerent, aſſignatis decem pro primo, decem pro ſecundo, decem pro tertio monitionis Canonicæ termino, eo elapſo interminamur excommunicationem in ſubſidium ferendam. Cancellariis item noſtris ſub gravíſſima arbitraria pœna, etiam amotionis mandamus, ut renunciatas Legatorum notitias in regeſto deſcribant, & infra menſem ea pia loca, vel perſonas moneant, in quorum favorem diſpoſitiones factæ fuerint, ut etiam ex illa parte executioni inſtari poſſit. Parochi verò, necnon Piorum Locorum Adminiſtratores de re moniti Legatum, & piam eam diſpoſitionem cum individua expreſſione anni, & diei rogitûs, Legantis, ac Notarii nominibus, diſtinctè inſerant Inventario: & ſi Miſſarum onere gravata fuerint, ubi noſtra pro acceptatione acceſſit licentia, etiam in Tabella adnotentur, quam in Sacriſtia pendere volu-

Can. Agrum ſi quis 12. q. 2.

volumus, ut Eleemoſynas, & pia vota Fidelium ſciat, & enarret omnis Eccleſia Sanctorum.

Conc. Aurel. V. can. 16.

III. Necatores profectò ſunt Pauperum, & Animarum Tortores, qui alienæ, & ſuæ ſalutis immemores piorum Legatorum executionem negligunt, & prorogant; quo fit ut vivis ſubſidia, fato functis ea deſint adjumenta, quibus in luce, & regione vivorum ſtatuantur. Acriter igitur in hos perditæ conſcientiæ homines, ac ſceleratiſſimos veluti deprædatores invehantur Parochi, & quâ poſſunt diligentiâ, & operâ executioni immineant. Ubi certum præfixum eſt tempus implendo oneri, exactè ſervetur: Ubi nullum præfinitur, ultra ſextum poſt obitum menſem non protrahatur executio; quo elapſo, eo ſe crimine obſtrictos eſſe ſciant, cujus abſolutio Nobis eſt reſervata. Curia moneatur, ut quà juris, quà facti remediis etiam ſtricto anathematis gladio, ſi opus fuerit, piarum mentium vota quanto citiùs impleri curemus. Experientiâ enim compertum eſt, quòd, ubi maturè, & accuratè non implentur, intercidunt; imò quandoque etiam penitus dilabuntur. Si autem ex Parochorum fraude, aut ſocordia in monenda Curia, contingeret in deteriorem conditionem deduci rem legatam, ad reficiendum de ſuo compellemus, ut illata detrimenta compenſentur. Volumus autem rata eſſe, & valere legata voce ſolùm relicta; ita ut in exteriori foro probari non poſſent, ubi proditum erit, quænam fuerit pia Teſtatoris voluntas, quamvis le-

Can. Si Hæredes de Teſtam.

Cap. Judicante de Teſtam. Conc. Pariſien. III. Can. I. Turon. can. 25.

gum

gum formæ ſervatæ non fuerint. Donec tamen de debito, & culpabili mora legitimè conſtiterit, Paroch dubios, vel impotes Debitores à Sacramentis ſuſcipiendis non repellant.

IV. Ut pleniſſimam aut inſtitueret, aut reſtitueret Teſtamentis libertatem Eccleſia, non ad leges, ſed ad ſcripturas aptavit judicia, quibus duobus, aut tribus Teſtibus acquieſcere præcipimur, cum in ore duorum, aut trium ſtet omne verbum; & valere voluit ea, quæ à Parocho coram duobus Teſtibus eſſent excepta, quamvis formæ ſecularis juris eſſent minùs ſcrupuloſè ſervatæ. Quia igitur ſæpè numero contingit, Parochorum operam, præcipuè in Pagis pro condendis teſtamentis adhiberi, ut hoc officium ritè obeant, legitimam illorum excipiendorum formam calleant, ne irrita declarari contingat, quiá ſimpliciùs ſcripta ſunt, eaque omiſſa, quæ Eccleſiaſtico etiam jure ſervanda erant. Ubi autem juxta Sacrorum Canonum permiſſionem illud munus obierint, ante elapſos quindecim dies, ad Archivium noſtræ Cancellariæ copiam authenticam conditi Elogii, ſub pœna ſcutorum decem deferant, ut in publicam Scripturam poſſit relevari.

Matth. cap. 18. ver. 16
2. Cor. 13. ver. 1.

Cap. Cum eſſes.
Cap Relatum de Teſtament.

CAPUT X.

De Beneficiis.

L.4. Cod. de Diver. Reſcript.

UTi prædia nobilibus Viris, pro opera in bellis egregiè navata, quandoque conferebantur in Beneficium, ea lege, ut interveniente morte redirent ad Principem; ſic etiam poſſeſſiones ad vitam ſub Beneficii nomine utendæ conceſſæ ſunt Clericis præ cæteris illuſtribus hâc conditione, ut in Caſtris Domini mererent. Dum Jeroſolymis continebatur Eccleſia communem vitam colebant Fideles, & cum migrationem meditaretur ad Gentes, nihil poſſidere voluit in Judæa: hinc factum eſt, ut bona divenderentur, & pretium indigenorum ſubſidium ad pedes Apoſtolorum abjiceretur. Ubique terrarum diffuſa perpaucos primùm, & raros habuit ex fundis reditus; ſed Clerum, & pauperes piæ alebant oblationes. Poſt adeptam pacem auctum eſt Eccleſiæ patrimonium, quod tamen adhuc in commune poſſidebatur à Clericis, qui ſub Eccleſiaſtici ſervitii onere ſuas ſportulas, & menſurnas diſtributiones percipiebant. Receſſum tandem eſt à primævo hoc inſtituto, & nedum reditus, ſed ipſæ quoque poſſeſſiones viritim diſtributæ ſunt, quibus, quoad viverent, Clerici fruerentur. Hæc prima Origo Beneficiorum, quibus invident exteri, inſidiantur quan-

Symmac. ep. 5.

Can. Futuram 12. q. 1.

Act. Apoſt. cap. 4. & 5.

Can. Dilectiſſimis. Can. Clericus 12. q. 1.

S. Cypr. lib. 4. ep. 5. & lib 3 ep. 24. Can. Epiſcopus & ſeq. 12 q. 1. Conc. Agath. can. 7. Aurelian. III. can. 17

quandoque domeſtici: quapropter inter ambientium ſtudia, & odientium molimina, duplicis injuriæ pericula cavere debemus, aut amoliri: ut in Beneficiorum collatione, & uſu ſua rata ſint jura Eccleſiæ, ſua habeat fræna cupiditas.

I. Quantò maturiùs, tantò feliciùs à Parentibus Filii devoventur Eccleſiæ, ut à primis annis aſſueſcant in Caſtris Domini: at nullæ hîc partes eſſe debent avaritiæ, vel ambitionis, quæ urgeant ad ſacra, & altaribus admoveant, ut artibus non probatis Beneficia occupentur, & lucra ſeculi in militia Chriſti quærantur. Chriſtus ſe ipſum non clarificavit, ut Pontifex fieret: Aaronem Sacerdotem Deus elegit, ut non humanâ cupiditate, ſed gratiâ Dei, non propriâ aſſumptione, ſed cæleſti vocatione obtineri debere intelligeremus Sacra dona, & Eccleſiaſtica Beneficia, quæ merito, & virtuti, non autem gratiæ, vel favori diſpenſanda ſunt. Sciant igitur Clerici omnes, ubi de Chriſti Patrimonio diſtribuendo agetur, nullo in loco apud Nos futuras commendationes, quæ ad juſta impetranda nunquam erunt neceſſariæ, ad extorquenda injuſta ſemper erunt inefficaces. Sua nedum à pretio, ſed etiam à prece, & obſequio ſunt munera, quæ execratur Eccleſia. Satis ſuperque nobis erunt commendati, qui ſuorum ſe meritorum commendant officiis, & hoc uno nomine, quòd quis commendationibus aut voce, aut ſcripto Nos, vel Examinatores emereri ſategerit, minùs præ cæteris idoneus cenſebitur. Si alius pro

S Bernard. ſerm. 14. in Cant.

Zoſim. ep. 1. cap. 1.

S. Hier. ep. ad Nepot.

Hebr. 5. ver. 5.

S. Ambroſ. ep. 82.

S. Gregor. hom. 4. in Evang.

S. Bernard. lib. 4. de Conſid. cap. 4.

alio rogat, aut forſan alius, & pro ſe rogat; pro quo rogatum eſt, ſuſpectus, imò & judicatus eſt: cum enim aut nolit, aut non poſſit per oſtium intrare cavendus eſt veluti Fur, qui aliunde præſumat adrepere.

Joann. 10. ver. 1.

II. Cùm primùm ſuo viduata Sponſo erit Eccleſia, Vicarius Foraneus Nos mònebit, ut quàm citiſſimè congruâ proventuum portione aſſignatâ Vicarium deſignemus, & Oeconomum, qui illam adminiſtret. At ne diù grex langueat ſuo Paſtore deſtitutus, ſi penes aliquam Communitatem, vel aliam privatam Perſonam jus erit præſentandi, moras non nectant, ſed quem maximè cenſebunt idoneum Nobis quantocyùs ſiſtant examini ſubjiciendum. Rarum non eſt, & inſolens, quod Populi ſcindantur in varia ſtudia: grave tamen eſſet, quando non ex judicio, ſed ex favore veniret electio, & ſuffragiorum conſenſio digniori non faveret. Si liberæ collationis erit Parochiale Beneficium publicabitur mandatum, ut ad concurſum, & examen conveniant, qui volunt, cui examini, & concurſui, ni grave admodùm obſtet impedimentum, Nos ſemper aderimus. Invigilent Examinatores, ne malis artibus pravi, & imperiti Eccleſiam occupent: religioni ducant, vel leviſſimum lucrum, occaſione examinis, percipere, quapropter nec antequam ineatur, neque poſtquam initum fuerit, quidquam accipiant, ſub pœnis illis, quæ à Conc. Trid. & Sac. Canon. adversùs Simoniacos tum dantes, tum accipientes infliguntur.

Trid. ſeſs. 24. cap. 18.

S. Greg. lib. 8. ep. 40.

S. Pius V. Conſt. In Conferendis.

Cap. Cum eſſent. Cap. Ex diligentis. Cap. Nobis de Simonia. Can. Quando diſt. 40.

Trid. ſeſſ. 24. cap. 18

tur. Cùm virum juſtum deſcriberet Propheta, beatum eum dixit, qui manum excutit ab omni munere: manum autem excutit ab omni munere, qui nedum pecuniam, ſed etiam humanam gratiam non requirit. Nec pretio, nec prece, nec doloſa perſuaſione demereri ſe ſinant. Nullum ex concurrentibus commendent, nec uni præ alio ex privato affectu faveant impenſiùs, ſed memores præſtiti juramenti omnia gerant ex ratione. Abſtineant ab omni nutu, vel ſigno, quo reſponſum innui videretur: nec ab illis, aut ſcienter, aut improvidè aliquid excidat, ex quo quis colligere poſſet, qua de re veniet interrogandus. Sanctâ libertate, & fiduciâ, quos repererint ineptos, excludant; quem præ cæteris magis idoneum judicaverint, approbent, ut de vero, & bono Paſtore ſemper proſpectum ſit noſtris Eccleſiis, nec Lupi, quod Deus avertat, noſtro unquam præficiantur Ovili. Indicto à Nobis concurſu, diſtrictè prohibemus, ne pacta, aut tacita, aut expreſſa ineantur de non concurrendo in commodum, aut favorem alterius, & ſi quis directè, vel indirectè promiſſis, minis, favore, aut alio modo ab examine, & concurſu aliquem deterreret, aut retardaret, tanquam inhabilis, & incapax de Beneficio ſibi providendum deſperet. Si quis perſonam mentiretur, vel pro alio examen ſubiret, aut cum intentione reſignandi, vel aliquam utilitatem, præmium, commodum conſequendi, vel penſionem exigendi in concurſu examini ſe ſubjiceret, excommunicationi,

S.Greg. hom. 4. in Evang.

tioni, aliiſque pœnis contentis in Conſt. Pauli IV. quæ incipit: *Inter cætera*, obnoxium ſe eſſe ſciat.

Cap. Grave nimis de Præben.

III. Probè novimus liberum Nobis non eſſe cui libuerit, ſine delectu, Beneficia conferre, quorum non ſumus Domini, ſed diſpenſatores, juris, ac æquitatis legibus obnoxii. Pro virili igitur contendemus, ut inter diſpenſatores inveniamur fideles, eaque ſemper erit ſumma votorum noſtrorum, ut abſque ulla perſonarum acceptione gregibus Paſtores demus, non autem greges Paſtoribus. Nemo ſe Nobis ſiſtat pro Beneficio obtinendo, qui ætatem non impleverit legitimam, & idoneam obeundo muneri, quod illud exigeret. In homine non ætas, ſed virtus ſpectanda eſt; verùm quia ipſæ virtutes ab annis aſſequuntur maturitatem, & fructum ferunt in tempore ſuo; ſua quoque annorum habebitur ratio, dummodo providè, & laudabiliter acti fuerint. Ne turpiter inducamus vota captandæ mortis, quæ etiam ipſis ſecularibus legibus inveniuntur inhibita, promiſſiones de providendo ſimul ac Beneficium aliquod vacaverit, Nobis ſubripi non patiemur. Non acceſſemus extraneos, ubi habebimus indigenas, qui præfici poſſint, præcipuè ſi ea erunt Beneficia, quibus cura imminet animarum. Non vanâ ſui meriti perſuaſione, ſed religioſo pietatis affectu, ii, dummodo cætera non deſint, ſe Nobis fidenter offerre poſſunt, qui diutinum Eccleſiæ impenderunt ſervitium: quandoquidem æquum eſt, ut habeat unuſquiſque ſuæ fru-

1.Cor.4. ver.2.

Trid.ſeſſ.24. cap.12 Cap. Ex ratione, & ſeq. de ætat. & qual. præfic.

Cap. Nulla, & ſeq. de Conceſſ. Præben. L. Qui ſuperſtitis. L. Neminem ff. de acquir. hæred. L. Licet C. de Pactis &c.

Can. Obitum. Can. Ne Emeritis diſt.61 Cap. Tua nobis de Cleric Peregr. Cap. Fundamenta de Electione in 6.

fructum militiæ in Eccleſia, in qua ſuam per omnia officia tranſegit ætatem; & iniquum foret, ſi in aliena ſtipendia alter obreperet, & uni debitam alter ſibi vindicaret mercedem. Digniores præferemus; quam majorem dignitatem ex ipſius Eccleſiæ utilitate repetemus, eumque dignum magis exiſtimabimus, qui non doctior erit, aut ſanctior, ſed qui vitâ, moribus, aptâ muneri conditione ſpectatis, plus cæteris Eccleſiæ prodeſſe poſſe, & velle cognoſcetur. Hanc legem in ſuffragiis ferendis etiam Examinatoribus ob oculos ponimus.

Cap. Nullus diſt. 61.

Trid. ſeſſ. 7. cap. 3. Seſſ. 24. cap. 18. S. Thom. quodl. 6. q. 5. art. 3.

S. Hieronym. in ep. ad Tit. cap. 1.

IV. Imminuitur Divinus cultus, fraudantur piæ voluntates, naſcitur fidelium murmur, & omnis Eccleſiaſticæ Diſciplinæ ratio pervertitur, dum contra Sanctorum Canonum inſtituta, plura in unum congeruntur Beneficia, & qui vix uni officio implendo par eſt, ſibi vindicat ſtipendia, quæ multis poſſent abundè ſufficere: unde unus eſurit, alius autem ebrius eſt. Uni igitur unum conferetur Beneficium, plura ſimul in unum non congeremus, nedum eorum, quæ propter adnexam reſidentiæ, & regiminis animarum neceſſitatem incompatibilia dicuntur, ſed eorum quoque, quocumque cenſeantur nomine, quæ ab omni reſidendi lege, & animarum cura libera ſunt, quando unum honeſtę ſufficit ſuſtentationi: quòd ſi nimis tenue ea non conferat, quæ implendis oneribus, aut alendo ſufficiant, aliud ſimplex poſſit obtineri, quo tenuitas ſuppleatur. Præter ea duo, alia

Can. Sanctorum diſt. 70. Can. Clericus, & ſeq. 21. q. 1. Cap. Quia 5. & ſeq. de Præben. &c. Joann. XXII. In Extravag. Execrab. hoc tit.

1. Cor. 11. ver. 21.

Trid. ſeſſ. 7 cap. 4. & ſeſſ. 24. cap. 17.

alia retineri non poſſunt, etiamſi compatibilia ſint, præcipuè ſub eodem tecto, niſi fuerit impetrata legitima diſpenſatio; alioquin obtentâ ultimi pacificâ poſſeſſione, ipſo facto primum vacare noverint, ſi ex iis ſint, quæ incompatibilia, etiam quoad titulum, dicuntur. Ubi uni Beneficio fidem quis obligavit, Nobis inconſultis, ne temporarias quidem amovibiles Cappellanias ſuſcipere poſſit, & qui jam illas obtineret, ad Nos intra menſem rem deferat, ut videamus, utrum par ſit utriuſque oneri ſatisfaciendo, & unum facere poſſit, & aliud non omittere.

Cap. Quia nonnulli de Cler. non reſid. Cap. De multa de Præben.

V. Pecunia erit tum dantibus, tum accipientibus in perditionem, ſi Clerici ſuæ dignitatis immemores, in captandis Beneficiis turpiſſimam Simoniæ notam contrahent. Spes irrita, & irritus eſt labor omnis improbi Nundinatoris, qui ſibi temporariam, & æternam maledictionem accerſit: Sæviunt enim excommunicationis ſententiâ Sacri Canones non ſolùm in Auctores, ſed etiam in Miniſtros, & Adjutores, qui ſuam operam in impio crimine contulerunt. Ni velint æternùm perire, reſolvi debet acceptum pretium in pauperes, aut alios pios uſus conferendum. Dimittat neceſſe eſt ſacrilegus Mercator Beneficium ſimoniacè acquiſitum, fructuſque reſtituat ex eo perceptos: nec tantùm ab omni ſpe excidit retinendi, quod perperam invaſit; ſed etiam ad quodcunque aliud Beneficium obtinendum redditur ineptus. Nil tale quicquam à noſtris metuendum arbitramur: nihilominus,

Lib. 5. Decret. tit. 3. & lib. 3. Extravag. Comm. tit. 1. per tot. Cauſ. 1. q. 1. ferè per tot. Trident. ſeſſ. 24. cap. 14.

Pius IV. in Conſt. Romanum. S. Pius V. in Conſt. Intolerabilis.

lominùs, ut fraudibus omnibus, quæ in Beneficiis præcipuè de jure Patronatûs, iniquis quandoque inſertis pactionibus, admitti poſſunt, quantùm in Nobis eſt, occurramus; ille, cui proviſum erit de Beneficio potiſſimùm Juris Patronatûs, antequam inſtituatur, juret, juxta formulam per Nos in Appendice traditam, per Sancta Dei Evangelia ſe nullum cum Patronis iniiſſe pactum, nec aliquid dediſſe, depoſuiſſe, aut promiſiſſe pro Beneficii conſecutione, nec ab altero datum, promiſſum, depoſitum, ut de Beneficio provideretur, ſed ſine conventione ulla, verbo, aut ſcripto facta, ſe liberè eſſe præſentatum. Ad obedientiam item, fidelitatem, & inventarium rerum omnium tùm mobilium, tùm immobilium faciendum ſe obliget, interpoſitâ ejuſdem Sacramenti religione. App. num. XXVIII.

VI. Jura Patronatûs ſeculari lege inducta permiſit tandem, & ea quâdam æquitate ſuſtinuit Eccleſia. Nihil ſibi juris olim excipiebant Patroni præ cæteris, niſi quòd ſuo de nomine conditas, reſtitutas, aut dotatas Eccleſias dicere poterant, & ſibi proceſſionis aditum vindicabant. Ægrè tantùm, & ſerò, contra legum rigorem ad provocandam fidelium liberalitatem facta eſt illis nominandi, vel præſentandi facultas. Hâc minimè abutantur; noſſe ſiquidem debent, ſe hîc pleno jure non agere, sed indultâ quâdam diſpenſativè gratiâ potiri, quâ utantur oportet ad ædificationem, non ad deſtructionem Eccleſiæ. Quia idem

Juſtin. Novell. 123. cap. 18.
Can. Decernimus 16. q. 7. Cap. Quoniam hoc tit.
Can. Noverint 10. q. 1. Can. Piæ mentis 16. q. 7.

Conc. Arauſic. I. Can. 10. Arelat. II. Can. 36. Agath. Can. 21.

multiplicem perſonam ſuſtinere non poteſt, & nefas eſt, quòd quis ſe in Eccleſiaſtica ingerat officia, nemo poteſt ſe ipſum ad Beneficium præſentare. Ne rei agantur mali, quod contingeret ex inauſpicata collatione, ipſis quoque Patronis hæc cura incumbit, & ſolicitudo, ut aptum Nobis ſiſtant, & idoneum. Si ſecus egerint, de quocunque agatur Beneficio, Nos temerè oblatos, inexpertos, aut indignos rejiciemus; & ſi illud erit Beneficium, cui incumbat cura Animarum, inſtituemus examen, ſervatâ eâ formâ, de qua ſupra egimus num. 11. Factâ præſentatione, affigantur edicta, ut ante Literarum, ſive Bullarum expeditionem intercedere poſſint, qui in Beneficium jus aliquod haberent, aut vindicarent.

Cap. Fin. de Inſtit. Cap. Per Noſtras hoc tit.

Cap. Præterea. Cap. Significaſti. Cap. Paſtoralis hoc tit. Trid. ſeſs. 7. cap. 13. & ſeſſ. 25. cap. 9.

Trid. ſeſſ. 24 cap. 18.

VII. Jura devolutionis ad urgendam nominantium negligentiam, & poteſtatem ultra limites ſeſe exerentem coercendam providè inducta ſunt. Hæc Laico Patrono quatuor, Eccleſiaſtico ſex menſium inducias ad nominandum præfigunt. Elapſo ad præſentandum tempore, à cunctatore Patrono Jus ad Nos devolvitur. Quæ ſemel Deo dicata ſunt, humanis uſibus eximuntur omnino, & Patronis diſtrictè inhibetur, ne in rebus ſemel donatis aliquam, quaſi Juris proprii, ſibi arrogent poteſtatem, eaſque revocare tentent in ſua jura, hâc eccleſiaſticâ pœnâ propoſitâ, ut præter reſtitutionem, ſi quid improbè rapuiſſent, in eaſdem incidant Excommunicationes, quibus Invaſores Jurium, & Bonorum Eccleſiæ ſubjiciuntur. Nedum illis

Cap. Si verò, & Cap. Cum propter hoc tit.

Cap. Eam te hoc tit. Cap. Unic. eod. tit. in 6.

Cap. Præterea. Cap. Nullus &c. ib Cauſ. XVI. q. 7. ſer. per tot. Cap. Sicut Nobis de Supplen. &c. Trid. ſeſſ. 25. cap. 9. de Reform.

illis vetita ſit dominatio, ſed etiam vacante Beneficio bonorum adminiſtratio, in quam, ſub quæſito Patronatûs colore, temeritate, vel cupiditate ducti ſe ingerere non poſſunt. Ubi opus erit, OEconomum deſtinabimus, cujus partes erunt tùm in divinis officiis, tùm in temporali cura Beneficiarii munia ſupplere. Sola illis permittitur, imò quandoque ſacris Sanctionibus injungitur inſpectio, ut obſervent, ne quid detrimenti patiantur Beneficia, & appoſitæ in fundatione leges cuſtodiantur: quapropter Conditoribus, & Fundatoribus Eccleſiarum, eorumque liberis, & hæredibus licet querelam proponere adversùs avaritiam, aut dilapidationem Clericorum.

Cap. Cum Vos, de Offic. Ordinar.

Cap. Conſtitutum 16. q. 1. Cap. Filiis 16. q. 7.

VIII. Nulli ex noſtris Clericis exprobrari poſſit, quòd præeſſe inhiet, prodeſſe non curet. Si ex injuncto munere, ex conſuetudine, vel ſtatuto Præbendæ, quam obtinuit illigatus eſt aliquis ſacer Ordo, ad illum, antequam annus effluat intra debitum tempus, curet promoveri, aut Beneficium dimittat. Collationes omnes, ac proviſiones, etiam ab Apoſtolica Sede factæ, per noſtros Cancellarios in conſueto libro adnotentur, antequam ineatur poſſeſſio, & ſi alteri, quàm Nobis, aut Vicario noſtro Generali data fuerit immittendi in poſſeſſionem facultas, intra menſem à die adeptæ poſſeſſionis, ſub pœna ſcutorum quinque, Literæ, & Bullæ exhibeantur in Cancellaria noſtra, ut ſupra deſcribendæ. Reſignationes, permutationes, litis, ſeu jurium ceſſiones, ac retroceſſiones de quolibet

S. Petrus Damian. lib. 1. cap. 2.

Clement. Ut ii, de ætat. & qualit. Trid. ſeſs. 22. cap. 4.

eccleſiaſtico Beneficio, quatenus admiſſæ fuerint, in Eccleſiis Parochialibus inter Miſſarum ſolemnia publicentur, & Apoſtolicarum, ſive noſtrarum literarum exemplaria valvis earundem Eccleſiarum affigantur intra ſex menſes à die conceſſionis, ſi gratiam impertitus eſt Summus Pontifex: aut intra tres, ſi fuerit per Nos facta proviſio ſub pœnis contentis in Conſt. Greg. XIII. *Humano*.

Cauſ. VII. q. 1. ſer. per tot. De Renunc. in 1. Decretal.

Conc. Nicæn. can. 15 Antioch. can. 21. Sardic. can. 1. & 2. Carth. IV. can. 27.

Can. Epiſcopo, & ſeq. 8. q. 1. Cap. Ut nullus de Prębendis. Cap. Quæſitum, & ſeq. de rerũ permut.

Trid. ſeſs. 25. cap. 15.

Gal. 6. ver. 7.

IX. A reſignationibus, permutationibus, & ceſſionibus ſemper abhorruerunt Sacri Canones, tùm quòd ægrè ferebant, eam deſeri Eccleſiam, cui quis ſemel ſuam fidem, & miniſterium obligaverat, tùm quòd verebantur, ne Sanctuarium Dei jure ſanguinis, & hæreditariâ veluti ſucceſſione poſſideretur. Res eſt profectò plena periculi. Quia multa quandoque contra leges præſumuntur, & ſæpe, iniquis inſertis pactionibus, tacitè, & furtim obrepere poteſt Simonia; reformident Clerici iram Dei, & Eccleſiæ, quæ anathemate Simoniacos ferit, non ſolùm, qui nefarii erunt Beneficiorum licitatores, ſed qui in rem hanc favore, conſilio, operâ ſeſe ingerunt cooperatores. Nulla interveniat pactio, nulla fructuum imminutio, nulla fraus, nullus dolus in præſentatione, reſignatione, permutatione, litis, ſeu jurium ceſſione: caveantque ne Summo Pontifici obrepant per falſas preces, aut tacitâ veritate ſubripiant Beneficia. Nolite errare: Deus non irridetur. Recolant ſubinde animo Beneficiarii, id non honoris tantùm eſſe nomen, ſed onus miniſterii: Beneficium

ficium enim datur ratione officii, ita ut reditus percipere non debeat, qui ſuo non incumbit miniſterio: Qui donavit, dedit pro redemptione animæ ſuæ, non pro commodo obtulit Sacerdotum: qui igitur non vult operari, non manducet. Diſpenſatores ſe eſſe noverint, non Dominos Eccleſiaſticorum cenſuum, & bonorum: quis verò eſſe debeat illorum uſus, ratio ſatis indicat, cum iis quaſi commendatis, non quaſi propriis utendum moneant Canones: Habentes alimenta, & quibus tegamur, iis contenti ſimus: quare ſi quid poſt modeſtum uſum ſupereſt honeſtæ ſubſtentationi, impendant in Pauperes, aut reddant Altari, ut reflexo alveo eò redeant opes, unde obvenerunt. Nefas Eccleſiaſtico rebus Eccleſiæ velle ditari, & opes inde congerere, quas relinquat hæredi: muniat fortem, animum adversùs Conſanguineorum cupiditates, in quos, quia propenſior eſt affectio, aſperè agunt, & magis exacerbantur eccleſiaſticæ Conſtitutiones.

Conc. Agath. can. 6.

2. Theſſal. 3. ver. 8.

Conc. Carth. IV Can. 31. Conc. Antioch. can. 24. & 25

1. Tim. 6. ver. 8.

Tit. De Filiis Presb.

CAPUT XI.

De Confraternitatibus Laicorum.

Ab ipſo Eccleſiæ naſcentis exordio ſacros habemus, etiam Laicorum, conventus, qui noſtri temporis præludant Societatibus. Poſt ſuſceptum Baptiſmum Chriſtiani omnes ſeſe Fratrum nomine compellabant, quoniam conſortes

S. Clemen. Alexand. Strom. lib. 2.

ejuſ-

Minut. Felix in Octav.
Arnob. lib. 4. adver. Gen.
Baron. ad ann. 100.

ejuſdem Fidei, & Spei cohæredes, morum, doctrinæ, & operum conſenſione germanitatis quandam neceſſitudinem contrahebant. In colendis quæ ad pietatem pertinent abſolutam, ac ſuis numeris perfectam Sodalitii formam venturis ſeculis præmonſtrarunt, ita ut dum caverent Ethnici Imperatores, ne Collegia eſſent, & Sodalitia, eo Edicto Chriſtianorum cœtus potiſſimùm comprehendi voluerint. Optandum planè foret, ut, quantùm patitur noſtrorum temporum conditio, ad priſcam eam normam Sodalitates componerentur. Sunt qui primam, & propriam illarum originem referant ad Dionyſium Alexandrinum, qui ſerpente contagionis lue, Laicos quoſdam in Sodalitium coegit, & curandis peſte afflatis deſtinavit. Ut ut ſit, certum quidem eſt, à pietatis ſtudio profectum eſſe hoc inſtitutum, & nonniſi pietatis ſtudio cuſtodiri debere, ut ſanctitatis, & divini cultûs promoveantur officia.

Euſeb. lib. 7. Hiſt. cap. 7.

Matth. 18. ver. 20.
Trid. ſeſs. 22. cap. 8.
Clemens VIII. in Conſt. Quæcunque.
Sacr. Congr. Conc. in Potent. 29 Maii 1683

I. In eorum medio affuturum ſe Deus promiſit, qui in ejus nomine congregarentur. Nemo igitur privatâ auctoritate, & Nobis inſciis, erigere audeat Confraternitates, ſed in iis inſtituendis ſervetur forma Conſt. Clem. VIII. alioquin contravenientes noſtro arbitrio graviter punientur, & quæ ab Ordinario erectæ non erunt, & approbatæ, ſciant, ſe nullis indulgentiis, ac privilegiis gaudere. Aliquâ pietatis notâ à cæteris diſtinctos eos eſſe oportet, qui in Sacris Sodalitiis colliguntur; quare illi tantùm in Confratrum numerum adſcribantur,

bantur, quos pietas, & bonæ famæ æſtimatio commendat; excludantur autem, qui Fidei rudimenta ignorant, qui aliquo notorio crimine, vel infamiæ notâ inuſti ſunt. Quòd ſi in pravos mores degenerent, poſtquam recepti ſunt, expungantur à Catalogo, quoties moniti meliorem mentem non induunt; hanc ſortem ſubeant ii etiam, qui Præpoſitis non parent, & qui raro admodùm, aut fere nunquam ad Oratorium conveniunt, & pia Inſtituti opera negligunt colere, & frequentare. Quoties aliquis de novo in Confratrem recipitur, veſtis imponatur præſente Parocho, vel alio Sacerdote, qui illi munus benedictionis impertiat.

II. Cùm plenæ periculi ſint novitates, & mutationes; ut ſuis ſe legibus regat, & moribus religioni, & pietati conſentaneis, ac ab Ordinariis approbatis, cuicunque Sodalitio permittimus, nec à priore forma, etiam ſub pietatis prætextu, aut imprudentis ſpiritualis profectûs zelo mutari volumus. Sed quoniam pleraque à primævo ſpiritu, & inſtituto pedetentim declinant, ita ut tractu temporis vix aliud, præter inane nomen, reliquum habeant, cautè occurrendum huic malo, & invigilandum, ut ſanctæ omnes pietatis exercitationes peragantur, quæ in prima inſtitutione præſcriptæ, & impoſitæ ſunt. Juvabit plurimùm in hanc rem frequens lectio eorum, quæ inſtituti ſunt propria. Rectorem quælibet Confraternitas habeat, & moderatorem in ſpiritualibus Presbyterum integræ vitæ, & maturæ probitatis, qui pio

Conc. Mediolan. IV. tit. quæ ad Confrat.

pio Confratres colloquio ad Religionis, & Charitatis ſtudium identidem accendat, à cujus etiam familiari conſuetudine verba ſalutis, & vitæ hauriantur. Indulgentiæ Confratribus conceſſæ pateant in Tabella, & opportunè à Cappellano commemorentur, ne per oblivionem, aut deſidiam negligantur. Cappellanis ſolitum ſtipendium perſolvatur, nunquam ſine noſtra licentia imminuendum, & ubi illorum electioni noſtra acceſſerit approbatio, nullatenùs, ex quocunque prætextu, dimitti, vel removeri poſſint, niſi cognitâ priùs in noſtra Curia dimiſſionis causâ. Certiſſima Societatum pernicies diſſenſio: Omne ſiquidem regnum in ſe diviſum deſolabitur: ejiciantur igitur tanquam exitiales peſtes, qui ſeminant inter Fratres diſcordias: & chriſtianæ pietatis ſtudia perturbant. Si quid offenſarum incurrit, qui morum gravitate, & auctoritate cæteris præſtant, lites componant.

Trid. ſeſs. 21. cap. 9.

Matth. 12. ver. 25.

Prov. 6. ver. 19.

III. Deum in omnibus quærentes, illumque unum, ac Animarum ſalutem in laboribus ſpectantes, æmulemur chariſmata meliora, non confundamus. In Oratoriis ita diſponantur Miſſæ, & alia pietatis officia, ut Parochialium Eccleſiarum conventuales Miſſæ, Conciones, Catecheſes, & divina officia non impediantur, nec à publicis Parochiæ ſolemnitatibus Populus abducatur. Ut de medio tollantur ſciſſuræ, & contentiones, quæ perſæpe ab Inimico in medio tritici ſuperſeminantur, in iiſdem Confraternitatum Eccleſiis, niſi

1. Cor. 12. ver. 31.
Sac. Congr. Conc. in Narnien. 11. Septem. 1666. in Squillac. 26 Martii 1670 in Foroliv. 18 Novemb. 1685 in Britinor. 21 Julii 1687

nec accedat Parochorum conſenſus, ea non peragantur, quæ Parochialis ſunt juriſdictionis. In Sacerdotes, qui iſta attentabunt, pœnam trium aureorum infligimus, & ubi Cappellani Regulares erunt, contra eoſdem, prout Juris erit, procedemus cum reſervatione ſubjiciendi arbitrariæ pœnæ Officiales, de quorum mandato, vel impulſu ea fuerint attentata. Et nunquam per inſtitutionem, & erectionem Confraternitatum juribus Parochiæ aliquid detractum volumus. Miſſam Feriâ V. in Cœna Domini inibi celebrari vetamus. Sac.Congr.Epiſc.in Rhegien. 5.Junii 1699. S.Congr.Rit. 10.Decemb.1703.

IV. Bona Confraternitatum, earumque reditus in eos uſus, quibus fuerint addicta, vel in quos Teſtatores, aut Benefactores contulerint, expendantur; Ut piæ iſtorum voluntates ſummâ fide impleantur, tùm in conſpicua Tabella, tùm in peculiari Libro onera deſcribantur juxta piam Legatorum mentem exactiſſimè executioni mandanda. Sciant, qui adminiſtrationi rerum, & redituum præſunt, ſacros reditus, & eleemoſynas pietatis officiis deſtinatas in profanas epulas diſtrahi non poſſe; quare ubi rationes exigentur, inter accepta non computabitur, ſi quid in eas impenſum fuerit, & ſi dolo malo id Nos celaverint, non ideò tamen reſtitutionis onus, aut Dei ultionem effugient, cui nuda, & aperta ſunt omnia. Et quia comeſſationes iſtas omnes, quibus multum legitimo cultui feſtivitatum, & ſupplicationum detrahitur, amoliri penitus volumus: Ex Lit. S. Congr.de mand. Alex. VII. 5. Decembr.1663. Hebræor.4. ver.17. Conc. Nannet. Can.15.

mus; illas ſupplicationum, aut cœtuum habendorum prætextu in Oratorio, vel contigua domo, ſub ſeveræ animadverſionis pœnâ, interdicimus, licèt non ex ſodalitio ære, ſed ex tributo, & collato à ſingulis ſymbolo fierent. Viris induſtriis, & probatæ conſcientiæ committatur rerum temporalium adminiſtratio, à quibus eleemoſynarum, redituum, expenſarum, demum univerſæ adminiſtrationis ratio quotannis, infra menſem ab expleto munere, ſub pœna aureorum quinque, planè reddatur iis, qui à Nobis in hanc rem ſunt deputati: ſimul ut comperientur aliquid debere, ad ſolutionem maturè compellantur, & niſi quod debent integrè perſolverint, non admittantur ad alia officia, à quibus etiam eos amotos volumus, qui cum ſocietate litem habent intentatam, quoaduſque dirimatur. Ut omnis tollatur colluſionis ſuſpicio, nec quis Officiales carpere audeat in miniſterio, ea lex ſervetur, ut eorum Conſanguineis intra ſecundum gradum non fiant locationes bonorum Confraternitatum, niſi fortaſſe ex neceſſitate, vel alia rationabili cauſa Vicarii Foranei ab hac lege ducerent diſpenſandum; fiant autem ſemper præmiſſis proclamationibus, aliiſque de jure ſervatis, ita ut plus offerenti res adjudicentur. In caſu exactionis, vel ſolutionis Capitalium, & novæ implicationis, ſeu inveſtitionis ſerventur ea, quæ conſulentes contractuum vigori, & Eccleſiæ ſecuritati ſupra ſtatuimus.

Clement. Quia contingit de Religioſ. Domib.

Sac. Cong. de mand. Innoc. XII. pro Urbe 1. Septemb. 1699.

V. Con-

V. Convenientes Fratres in unum æquum eſt inter ſe mutuam Charitatem, & vinculum dilectionis ſervare; quare convocati ad deliberandum de rebus, quæ ad ſocietatem ſpectant, ſepoſitis omnibus privatis affectibus, unam ſibi in conſiliis proponant pii Loci utilitatem. Ne improvidum quid, aut minùs maturum excidat, jure ſuffragii non gaudeant, qui decimum ſextum ætatis annum non exceſſerunt. In Præſides, aut Rectores, juxtà probatas cujuſcunque Societatis conſuetudines, & ſtatuta, ii eligantur, qui longâ rerum experientiâ, ut peritiſſimi ſunt agendarum rerum, ita & inſtituti ſunt amantiſſimi; nec ulli liceat ſibi ſucceſſorem deſignare: ad adminiſtrationem non admittantur OEconomi, niſi exhibito, & præſtito probato vadimonio; & ut omnes diſſenſionum, & oblocutionum occaſiones præcidantur, vetamus, Adminiſtratoribus, OEconomis, aliiſque Officialibus Confraternitatum ultra annum, ſine noſtra facultate adminiſtrationem, aut officium prorogari, aut confirmari: ſi ſecus fiat confirmationes, & prorogationes nullas, & irritas eſſe decernimus. Hanc autem confirmandi licentiam certiſſimò non impertiemur, niſi Nobis conſtiterit in evidentem Confraternitatis utilitatem vergere, & duas ſaltem partes in confirmationem, latis ſuffragiis, conveniſſe, redditâ præteritæ adminiſtrationis ratione. Comitia in Civitate, ubi Nobis ita videbitur, coram Vicario Generali, aut alio deputato Sacerdote,

1.Petr. 4. ver. 8.

S.Cong.Conc.in Piſaur. 28. Decembr. 1697. & 14 Junii 1698. in Cæſenat. 24 Novemb. 1690.

in Diœceſi coram Vicario Foraneo, aut Parocho habeantur; & ne cui libertas adimatur, ſuffragia ferantur ſecretò, & rixæ omnes abſint, & contentiones: ubi in eandem ſententiam non convenirent, diſſenſio diſtrahat mentes, non animos.

VI. Si ad regendas, ac moderandas res Eccleſiæ ageret tantùm pietatis, ac religionis ſenſus, vix aliqua adhibenda eſſet cautio: at quoniam ita comparatæ res ſunt, ut in hac adminiſtratione non ſua tantùm velit prava cupiditas, verùm etiam quæ pauperum ſunt, & Jeſu Chriſti; ideò cùm ex dilata de die in diem, & quandoque in annos protracta rationis redditione, & continuato eorumdem Officialium regimine, bona Confraternitatum, Hoſpitalium, aliorumque piorum Locorum in pejus ſemper ruere contingat; Vicariis Foraneis diſtrictè præcipimus, ut has leges de non differenda rationum exhibitione, & prorogando regimine exactiſſimè curent obſervari. Si ultra menſem protrahantur computationes, Nos moneant, qui deſides eos Miniſtros omnibus tùm juris, tùm facti remediis compellemus. Deputati verò in re lubrica excubent, nec abſolutionis, aut condemnationis proferant ſententiam, niſi attentè omnia ad examen, & calculos revocaverint. Si quæ credita inexacta reliquerint, doceant de præſtitis diligentiis; nec expenſæ aliquæ habeantur ratæ, quæ ſuis non probentur legitimis documentis. Extraordinarias, quæ ſummam excedunt ſcutorum quinque, niſi à Nobis imperatas, aut permiſſas oſten-

oſtendant, de ſuo reponent; nemini enim, etiam cæteris ſodalibus conſentientibus, ſine noſtra facultate licere volumus, in extraordinarios uſus aliquid ſupra eam ſummam diſtrahere.

CAPUT XII.

De Domibus Hoſpitalibus.

HAc certâ notâ ſuos à cæteris diſcerni voluit Chriſtus Dominus, quòd ſe invicem diligerent: nihil autem pium magis, ac religioſum officioſa Chriſtianorum charitas fortè inſtituit, quàm Hoſpitales domos, pietatis veluti promptuaria alendis pauperibus, curandis ægrotis, excipiendis peregrinis deſtinata. Hujus religioſi officii non ſolùm Dominus, ſed etiam Apoſtolus non ſemel meminit, & nos monet, ut charitatem fraternitatis invicem diligentes non obliviſcamur hoſpitalitatis, qua factum eſt, ut ſancti Viri placuerint Deo, & hoſpitio acceperint Angelos, cùm ſe putarent homines excepiſſe. Id tanti viſum ſemper eſt in Eccleſia, ut qui Apoſtolorum charitati, & auctoritati ſucceſſerunt Epiſcopi, non ſolùm ex antiquo more, & inſtituto, quo pauperum curam ſuſtinent, ſed etiam ex noviſſimo jure hanc habeant poteſtatem, ut Xenodochiis, & Noſocomiis præſideant.

Joann.13. ver.35. Gregor. Nazian. Orat.20. Conc. Matiſcon.II. can.11. Matth.25. ver.33. &c. Rom.12. ver.13. Hebr.13. ver.1. Can. Quod 18. q.2. Can Si quis 21. q.2. Cap.de Xenodochiis & ſeq.de Relig. Domib. Trid. ſeſſ.25. cap.8. de Reform.

I. Nobis in utraque Civitate Faliſca, & Cor-

Pallad. in Vit. Chryſ. cap. 5. Conc. Chalced. Can. 8. Aquiſgran. can. 28.

Cornetana gratulamur ad primævam veluti inſtitutionem revocata eſſe Xenodochia, quæ primis temporibus penes Cœnobia extructa Monachos habebant, aut Clericos Curatores, & Miniſtros, quibus eorum regendorum cura, non modò pro ſpiritualibus, ſed etiam pro temporalibus erat commendata. Diplomate enim Pontificio in Monteſaliſco certis legibus Hoſpitalis cura, & adminiſtratio Seminario Clericorum adnexa eſt; Corneti verò curandis ægrotis vigilantiſſima excubat induſtria, & patientia PP. S. Joannis à Deo; unde nil Nobis optandum ſupereſt: at dolente ſanè oculo in cæteris Diœceſis locis, in ſacra Viſitatione, vidimus in his pietatis locis multa horrere, vel quòd ſufficientibus reditibus inſtructa non ſint, aut quòd dilapidati reditus ceſſerint in prædam profanæ avaritiæ. Potiſſimùm igitur hac in parte opem adjutricem noſtri Cleri, & devotiſſimi Populi imploramus, ut reſtaurentur collapſa, & ubi nondum erecta ſunt, conſtituantur: enixè igitur eos hortamur, & urgemus, ut in tam inſigni Charitatis monumento ſubſidiariam operam præſtent, & pro ſuo modo, & facultate aliquid conferant, ut illud ex Evangelio audire mereantur: Hoſpes eram, & ſuſcepiſtis me.

Matth. 25. ver. 35.

Non ſolùm autem ſua, ſed & ſe ipſos quoque offerant Chriſto in Pauperum miniſterio; ſciantque nobiliſſimos, & præſtantiſſimos Viros ſeſe demittere conſueviſſe, & ſolere adhuc ad abjectiſſima miniſteria, ut Chriſto in Pauperibus famu-

S. Leo ſer. 8. de Collect.

Digitized by Google

famulentur, illudque laborantibus præſtent, quod ſibi Deus profitetur impendi.

II. Parochi, & Vicarii Foranei ſi ſubolerent aliquid eſſe uſurpatum, aut attentari, quod in perniciem pii Loci cederet, Nos moneant, ut interpoſitâ Epiſcopali auctoritate præcaveamus mala, & illata damna ſarciri curemus. Compeſcant delinquendi illecebras, & doceant, excommunicatos eſſe, qui aliò iniquè detorquent, quæ in rem hanc ſunt erogata, & ſtricto Jure reſtituere eos debere, quidquid uſquam diſſiparunt, aut in ſuas utilitates interverterunt, ni experiri velint ſupremi Judicis vindictam, in cujus manus horrendum eſt incidere. Altum intonent Confeſſarii. Redde quod debes; nec abſolvant niſi impoſitâ reſtitutionis lege. Trid. ſeſs. 25. cap. 8. Hebræor. 10. ver. 31.

III. Etiam atque etiam inculcamus, ut nonniſi fidi, & pii Diſpenſatores ad Hoſpitalium curam admoveantur. Ipſi quoque inferiores Miniſtri, quorum aliquis ſemper diu, noctuque ibi agere debet, ſint pietate, & experientiâ probati, & dimittantur, quoties nequior eorum vita eſſet ſcandalo. Præſit, & regat, qui & avaritiam oderit, & hoſpitalitatem diligat. Adminiſtrationes nonniſi ad triennium committi poſſint, hac tamen lege, ut ſingulis annis rationes ad nos referantur, quæ ita exigentur, ut ſint induſtriæ ſtimulus, & fidei obſides. Si inſpectis rationibus Miniſter in ære Hoſpitalis eſſe comperietur, confirmari non poſſit, niſi ſe eo, integrâ ſolutione, libe- Clem. Quia contingit de Relig. Dom. Trid. ſeſs. 7. cap. 15. & ſeſs. 22. cap. 9. Conc. Aquiſgran. Can. 28.

liberaverit, & quoties juſta de cauſa à Nobis approbanda ad triennium prorogaretur adminiſtratio, eo exacto Adminiſtrator ceſſet ab officio, & ii, quibus de jure, vel conſuetudine convenit, intra menſem, novum eligant OEconomum, ſeu Rectorem; alioquin Nos alium ſubrogabimus. Omnia denique, quæ de adminiſtratione Bonorum Eccleſiæ, & Confraternitatum à Nobis ſtabilita ſunt, hic etiam ſub eiſdem pœnis obſervari mandamus.Statuta cuique loco peculiaria religiosè ſerventur, & qui inſtituti ſunt Hoſpitalium Viſitatores ſæpè, & quater ſaltem in anno improviſi ſuum hoc obeant munus, ſtudeant præcipuè: munditiei procurandæ, ne ſordibus nauſea provocetur, & faſtidium,neve fœditas deterreat ab eo, quod pii Fideles impendere ſolent, pietatis officio in ægrotorum ſervitio. Cuncta luſtrent intentâ curâ, & in quo ſtatu res ſint, ad Nos deferre teneantur.

Hoc Lib. Cap. 11.

IV. Corpori proſpectum volumus, ita tamen, ut potiſſimùm animæ habeatur ratio: quare ab ipſo morbi initio Sacramento Pœnitentiæ expientur ægroti, & ſi ingraveſcente morbo de vita periclitentur, Euchariſtiâ, & Unctione extremâ muniantur, ne ſubitâ morte intercepti horum Sacramentorum præſidio deſtituti intereant. Temporariæ item ſaluti conſulatur, & ſi aliquid in re, aut ære à decedentibus relinquatur, refectis expenſis,quod ſupererit tradatur hæredibus, aut his deficientibus, media pars Hoſpitali addicatur, altera

cedat

cedat in ſuffragium animæ illius, qui deceſſit. Infirmi, & ægri cum Advenis, & Peregrinis promiſcuè non excipiantur. Sua Viris, ſua Fœminis, ſua Adoleſcentibus, quantùm fieri poterit, ſint loca diſtincta; & ſi quis ſecum eam ducat comitem, quam aſſerat Uxorem, & Conſanguineam, aſſertori de facili fides non habeatur, niſi authenticum exhibeat teſtimonium; & tunc quoque ſeorſim à cæteris cubent. Quia in hoc officio Fœminas Viris famulari res eſt indecora, & plena periculi, Virum Viro, Fœminam Fœminæ decumbenti volumus invigilare. Circulatores, Criminoſi, arma deferentes in Hoſpites peregrinos non admittantur, nec pauperum ſtipendia iis vagis, & otioſis hominibus præſtentur, qui cùm valeant viribus, quibus ſibi victum comparare poſſunt, inertem, ac depravatam mendicitatem quaſi in artem erigunt, & induſtriam. Hujuſmodi erronibus pigritiæ morbo laborantibus vitæ ſubſidia detrahi quandoque prodeſt, ut neceſſitas laborem ſuadeat: Mittite illos in operationem ne vacent; multam enim malitiam docuit otioſitas. Eccl. 30. ver. 29.

V. Ut perantiquæ peregrinationes ad adoranda Apoſtolorum limina religioſè ſuſceptæ ſuo modo juvarentur, & promoverentur, à pientiſſimo Viro apud Montem-faliſcum Hoſpitium pro Clericis erectum eſt, impenſo in id opus integro ſuo ſatis locuplete cenſu. Opportunè iis legibus adhuc utitur, quas providus ille Vir teſtamento

 præ-

præſcripſit. Laſſis datur pia requies, & hoſpitalitas ea, quâ par eſt, charitatis abundantiâ exerceatur. Nilominùs tamen pii Loci Curatoribus in memoriam revocamus, non cuique promiſcuè Clerico, vel Religioſo vago, & hàc illac erranti Hoſpitium patere, ſed iis duntaxat, qui longâ profectione ſacram peregrinationem aggrediuntur; Teſtatoris igitur voluntas religiosè impleatur. Quæ domeſticam curam domûs gerit, annoſa ſit Mulier, non minùs ætate, quàm moribus matura. Congregationes ad conſervandum, & amplificandum hoc pietatis opus in ſpiritu charitatis crebrò habeantur; & ne tandem deficiant reditus impendendi in illud, quod primarium eſt in inſtituto, fructus tantùm, qui eo anno ſupererunt, in eleemoſynas erogentur iis, qui verè pauperes ſunt, ut ſint neceſſitatis ſubſidium, non deſidiæ fomentum.

CAPUT XIII.

De Sanctimonialibus.

S. Cypr. de Habit. Virg.

NUnc Nobis ad Virgines ſermo eſt, quarum quò ſublimior gloria, major & cura eſt.

S. Chryſol. ſer. 148.

Flos illę ſunt Eccleſiaſtici geminis, illuſtrior Chriſti portio. Et ſanè nulli uberiora Deus, quàm Virginitati deputavit munera, & præmia promiſit.

S. Bernard. Hom. 2. ſup. *Miſſus eſt*.

Iniit Deitas cum amica ſibi ſemper integritate con-

conſortium, & Deum hujuſcemodi decebat nativitas, qua nonniſi de Virgine naſceretur: talis, & congruebat Virgini partus, ut non pareret niſi Deum. Pertinet igitur ad Virginum decus, quòd Dei Matrem habeant Magiſtram, ejus exemplo ad integritatis ſtudium provocatæ, quæ ſingulari, & proprio jure Virgo dicitur, & voti religione ſuam Virginitatem Deo obligavit. Hinc factum eſt, ut unà cum exordio Chriſtiani nominis, largiter efflorere cœperit Eccleſiæ Matris glorioſa fœcunditas, ubi Virginum chori Deo nubere maluerunt, quàm Mundo. Suſpeximus in infirmiore ſexu virilem animum,& ſacro exemplo præiviſſe vidimus religioſis Viris imbecilles Fœminas in monaſtico ſanctioris vitæ inſtituto. Præluſerant illi quidem Lex, & Natura, at Evangelicæ gratiæ hoc ſervabatur privilegium, ut numeris omnibus abſolutam ſuaderet Virginitatem. Ut decus illa eſt, & ornamentum gratiæ ſpiritualis, ſic noſtræ ſolicitudinis acuitur cura, quò magis magiſque floreat Eccleſia noſtra Virginibus coronata, & caſtitas, ac pudicitia ſervet tenorem gloriæ ſuæ, & diſciplinam.

S. Ambroſ. de Inſt. Virg. cap. 6.

S. Cypr. loc. cit. S. Ignat. ep. ad Tarſen. & ad Philippen. Tertull. 1. ad Uxor.

S. Cypr. ep. 52.

I. Lilia ſunt ſacræ Virgines in Horto concluſo, quæ inter ſpinas, & ſepes cuſtodiendæ ſunt, ut feliciùs proveniant, & candidiora ſerventur. Ab antiquis Canonibus additum eſt ſeptum, & præſidium murorum, ut tutior foret pudicitia voti ſolemnis religione conſecrata: tantique viſa eſt hæc cura monaſticæ diſciplinæ,

Conc. Trullan. can. 46. Cabilon. can. 37. 62. & ſeq. Matiſcon. 1. can. 2. Epaon can. 38. Arelat. IV. can. 7.

ut poſteriori ævo creverit clauſuræ arctioris cautio à primis ſeculis etiam adhibita. Strictiſſimè igitur jubemus, ut religioſiſſimè inviolata ſervetur, quoniam illius cuſtodia ſub obteſtatione divini judicii, & interminatione maledictionis æternæ Nobis commendatur. Nulla unquam Monialis extra ſacras ædes, exceptis caſibus à jure permiſſis, efferre pedem, nec alius quiſpiam cujuſvis ſexûs, & conditionis in eas inferre pedem, ſine noſtra licentia in ſcriptis obtenta, ſacrilego auſu præſumat: ſecus incidat in excommunicationem latæ ſententiæ, aliaſque pœnas, quæ in Sacris Canonibus, & Pontificiis Conſtitutionibus, etiam in illos feruntur, qui egredientes exciperent, ingredientes admitterent, & aditum, vel exitum indulgerent, aut permitterent. Præter eas pœnas Præpoſita alias Nobis dabit, eaſque graves pro modo culpæ, vel negligentiæ, & incuriæ. Sub iiſdem etiam pœnis violatæ clauſuræ prohibemus omnibus in Monaſterio degentibus, ne ſub quovis prætextu introducant in Monaſterium pueros, aut puellas vel ſeptennio minores, etiam per Rotas, quamvis ab ipſis non extraherentur, ſed ibi conſiſterent ex parte clauſuræ. Clauſuræ Fores ligneæ ſint firmis cardinibus commiſſæ: diligenter obſerentur, & claves ingruente nocte ad Abbatiſſam deferantur. Præter claves, & fores interiores exterior etiam Janua claudatur, & clavis ſit, apud domeſticum Villicum Monaſterii. Ædificia Monaſterio proxima nunquam adeo attollantur, ut

Cap. Unico de Stat. Regul. in 6. Conc. Trid. ſeſſ. 25. cap. 5. de Regul. S. Pius V. in Conſt. Circa Paſtoralis, & in ſeq. Decori. Greg. XIII. in Conſt. Ubi gratiæ.

ex iis proſpectus pateat in Clauſtra. Virgines Deo ſacræ procul ſint ab aliorum conſpectu, ut poſſint Sponſo Chriſto liberiùs famulari, & corda ſua, & corpora in omni ſanctimonia diligentiùs cuſtodire. Cap. Unic. de Stat. Regul. ſup. cit.

II. Pro quavis neceſſitate intra ſepta Monaſterii neminem admitti patiemur, niſi ſatis provectæ ſit ætatis, & probatæ vitæ. Medici, Chirurgi, Fabri, Muliones, aliique id genus Vectores, & Operarii ſpecialiter à Nobis cogniti, qui licentiam ingrediendi in Monaſterium obtinuerint, datâ facultate non abutantur, ſed cùm vera tantùm poſcet neceſſitas, illam adhibeant. Ad oſtium Monaſterii à duabus ex ſenioribus Monialibus excepti, recto tramite ad locum operis deducantur, præcedente Campanulæ ſigno, quo cæteræ Moniales ſecedere monentur. Opere completo, celeriter eâdem viâ, & ordine egrediantur, & à quavis divagatione per Monaſterium, & cum Monialibus familiaritate abſtineant. Diurnus ſit ingreſſus, non ante ortum, vel poſt occaſum Solis, quo compoſito nemini ibi liceat conſiſtere: exceptis tamen Confeſſario, Medicis, & Chirurgis, ſummâ urgente neceſſitate; in quo caſu, intempeſtâ etiam nocte ingreſſum illis permittimus, accenſo tamen funali cereo, & Abbatiſsâ, ſeu Vicariâ cum duabus Monialibus, ut ſupra comitantibus. Cùm cogente infirmitatis neceſſitate ad Confeſſiones audiendas, vel alia Sacramenta miniſtranda, facultas Confeſſario conceſſa fue-

Alexand. VII. In Conſt. Felici.

fuerit in Clauſuram ingrediendi, ipſi quoque duæ è Monaſterio comites dentur: ob curioſitatem, vel alium ſimilem prætextum, & quæſitum colorem in egreſſu, ſive in ingreſſu per alias Monaſterii partes minimè divagetur, ſed breviore viâ ad cellam Infirmæ ſe conferat: Confeſſionem excipiat januis apertis, ita ut quæ illi ſe comites præbuerunt, videre quidem, non autem audire poſſint: cætera verò Sacramenta, aliis Monialibus adſtantibus, conferat. Si in aliqua hujus decreti parte deliquerit, pœnam ſubeat ſuſpenſionis ab audiendis Monialium Confeſſionibus per menſem, & alias arbitrio noſtro. Licentias, quæ pro ordinariis Miniſtris ad aliquod ſtatutum tempus, vel innominatim dabuntur, alias quoque peculiares, in libro deſcriptas, ab Abbatiſſa cuſtodiri præcipimus, in Viſitatione, aut quoties Nobis libuerit oſtendendas. Si quid autem ad clauſuram, vel ad ejus ingreſſum attinens contingeret, ſtatim Nos Abbatiſſa per literas certiores faciat, ut opportunè provideamus.

Liter. Encycl. Sacr. Congreg. Epiſc. de mand. Innoc. XI. 12. Martii 1681.

III. Solitudo adeo Monialium propria eſt, ut inde nomen ſumpſerit earum inſtitutum. Si igitur eſſe velint, quod dicuntur, crebros, & inanes ad Crates acceſſus devitent: ſciantque ſibi collocutionem, & confabulationem cum externis, etiam ejuſdem ſexûs ad januas potiſſimùm reſeratas, ſtrictiſſimè prohiberi. Nemo item ad colloquendum cum Monialibus, aut aliis in clauſura degentibus ſine noſtra, aut Vicarii noſtri Generalis

Cap. Monaſteria de Vit. & Honeſt. Cler. Conc. Turon. III. Can. 29.

ralis licentia in ſcriptis admittatur, vel eas alloqui præſumat ſub pœnis arbitrio noſtro, etiam in ſubſidium excommunicationis; exceptis tamen Conſanguineis, & Affinibus in primo, & ſecundo gradu, dummodò non ſint Regulares, & modo colloquium habeatur extra dies Adventûs, & Quadrageſimæ, niſi in noſtra licentia eorum quoque dierum facta ſit expreſſa mentio. Sacris his temporibus Collocutoria ſemper clauſa eſſe ſub arbitraria pœna mandamus. Adſtent ſemper Auſcultatrices: & nulla, ut ad Crates accedat, communia tùm ſacra, tùm civilia Orationis, Miſſæ, divinarum Horarum, ac Menſæ omittat officia; nec Janitrices per ea tempora aliquem à melioribus curis devocent, quicumque ille ſit, qui inſtat pro alloquio. Qui facultatem obtinuerit colloquendi cum aliqua Monialium, poſt modica, & compendioſa verba brevi diſcedat, nec audeat datâ operâ, & ex induſtria cum aliis colloqui. Præfectæ, & Vicariæ tantùm cum cauſarum Patronis, Procuratoribus, Notariis, ſuiſque Conductoribus, & Miniſtris, modò non ſint Regulares, de rebus ad Monaſterii negotia ſpectantibus, cum opus fuerit, colloquendi facultatem concedimus. Claves Collocutorii ſint penes Abbatiſſam, nec unquam aperiatur, niſi clarâ luce, & veſperè claudatur ad ſignum Salutationis Angelicæ. Invigilet in rem hanc Abbatiſſa, & ſi quam effuſiorem in colloquia videat, coerceat debitis pœnitentiis, & ſi res eò vergeret, ut noſtra indigeret

Sacr. Congr. in Civ. Caſtell. 16. Januar. & 10. Julii 1699. in Fanen. 10. Junii 1695. in Troſan. 14 Novemb. 1698.

Decr. Sacr. Congr. pro Refor. Monial. Montisfal. apud Pignat. tom. 6. conſ. 85. num. 171.

Conc. Nicæn. II. Can. 10.

Conc. Cabilon. II. Can. 55.

geret auctoritate, Nos moneat tempeſtivè, pro Paſtoralis officii debito proviſuros, ne remedia in validiorem morbum differantur. Multas pœnitendi cauſas relinquunt animo Collocutoria, quoniam ubi per veſtigia gregum, ſeu Creaturarum eſt
Cant. 1. ver. 7.
divagatus, ægrè ſe colligit animus. Delicata, & moroſa eſt ſolitudo, quo fit, ut Monialis à ſeculari alloquio ſemper minùs pia redeat ad Cellam, & quam ibi reſidens acquiſiverat animi intentionem,
Caſſian. collat. 6. cap. 15.
ſi fuerit relaxata, recuperare rurſus non ſine labore poſſit, ac dolore.

IV. Tenera pudoris cura eſſe debet, & ſacratæ Deo Columbæ in foraminibus petræ, in caverna maceriæ ſcrupulosè cuſtodiendæ ſunt à facie Vulturis perſequentis. Qui cum aliqua ex Monialibus, aut coram ipſa auſus fuerit de rebus obſcænis agere, graviſſimam luet pœnam. Ut verò vel umbram omnis periculi amoveamus, Monialibus epiſtolas nec mittere liceat, nec recipere, quas priùs legendas ad Abbatiſſam non detulerint, iis exceptis, quæ ad Parentes, Fratres, Sorores, Conſanguineos, aut Affines in primo, & ſecundo gradu, mittuntur, aut ab illis excipiuntur; quibus in caſibus ſat erit oſtendere inſcriptionem earum, quæ mittuntur, & ſubſcriptionem earum, quæ excipiuntur. In delinquentes, ut jubent Conſtitutiones, graviſſimâ pœnâ animadvertemus. Qui literas Monialium ſine Abbatiſſæ, Vicariæ, vel Confeſſarii licentia in Monaſterium intulerint, vel ex Monaſterio detulerint graviſſi-

Cant. 12. ver. 14.

mè

mè punientur ; & ſi ex eorum numero erunt, qui Monaſterio inſerviunt, amovebuntur ab officio. Scenicas Fabulas ſub mentitis Virorum habitibus, etiam in ſaturnalibus Feriis præſentibus externis decretoriè vetamus. Abbatiſſæ permittenti, pœnam ſuſpenſionis ab officio per ſex menſes indicimus, & Monialibus in hoc delinquentibus, Collocutorium per trimeſtre volumus interdictum. Honeſtas tamen actiones intra domeſticos parietes, exteris prorſus remotis, modò multum temporis in iis non ſit inſumendum, & Vicarii Generales, & Confeſſarii, præmiſſâ accuratâ lectione, eas probaverint, Præpoſitæ arbitrio, & prudentiæ concedendas committimus. Nunquam ſub pœna amiſſionis vocis activæ, & paſſivæ audeant ad Crates accedere alio habitu, quàm religioſo indutæ, ut ſecularibus ſui veluti faciant ſpectaculum. Nulla Mulier, ſed præcipuè Deo Sacra induatur veſte virili; abominabilis enim eſt apud Deum, qui facit hæc. Comeſſationes omnes, & refectiones, multoque magis cantus, & modulamina ſub arbitrariis pœnis in Collocutoriis penitus interdicimus. Scenicos, & Ludiones exoſos habeant, eoſque nec audire ſuſtineant, nec ſpectare. Qui perſonatus in Collocutorium ingrederetur, aut in vicinia Monaſterii ſiſtens, aut tranſiens cantilenis, ſonitu, clamoribus, religioſæ quieti obſtreperet, pœnâ carceris punietur, & intra ſpatium quinquaginta paſſuum Vinarias Tabernas, præcipue

Sac.Congreg. Epiſcop. in Ferrar. 27. April. 1604.

Deuter. 12. ver. 5.

ex proſpectu, aperiri, & Bibones ad bibendum convenire, ſub arbitraria pœna vetamus.

V. Meminerint Regulares, ipſis præ cæteris interdictum eſſe ſub graviſſimis pœnis Sanctimoniales alloqui, & adire. Nullus ad celebrandum, ad canendum, aut ad alias functiones exercendas in Eccleſiis Monialium accedat, niſi priùs à Nobis expreſſam obtinuerit facultatem. Sacerdoti ſeculari id annuere poſſit Confeſſarius. Si cui habendæ ad Moniales concionis à Nobis fieret poteſtas, peractâ concione à quocunque ſingulari colloquio etiam ſpirituali abſtineat, alioquin ſi fuerit Regularis, incidet in pœnas inflictas in Regulares alloquentes Moniales ſine licentia; ſi fuerit Clericus ſecularis noſtro arbitrio punietur. Capellani Monialium, priùs à Nobis approbati, ſuo tantùm munere fungantur, nec ſe rebus ingerant Monaſterii, à quibus abſtinere debent etiam Confeſſarii ſpirituali Monialium profectui duntaxat intenti. Vitent omnem cum illis religioſam quoque familiaritatem, ut ex ipſa raritate, & brevitate alloquii major concilietur auctoritas, & reverentia.

Decret. Sacr. Congr. in App. num. XXIX.

Can. In Decima 18. q. 2.

VI. Ad Confeſſarii munus nonniſi Sacerdotes ætate maturi, conſilio graves, doctrinâ, & moribus probati aſſumendi ſunt, qui à Nobis examinandi erunt, & approbandi, & quamvis ad triennium electi ſint, vel confirmati, hoc non impediet, quominùs ante elapſum id temporis amoveantur, quoties juſtis de cauſis ita Nobis expe-

Can. ſup. cit. & Can. Qui Religioſis 18. q. 2.

expedire videretur. Confeſſiones ſemper excipiant in loco ad id deputato, veſte talari, ſuperpelliceo, & ſtola induti, nunquam ante auroram, vel poſt Solis crepuſcula. Quoties, urgente neceſſitate, Clauſtrum Monaſterii ingrediuntur ad miniſtranda Sacramenta Monialibus Infirmis, quæ ad Crates accedere nequeunt, eodem modo induti procedant, eaque ſervent, quæ ſupra præſcribuntur. Aquam, Cineres, Palmas, Candelas benedicant, & Monialibus diſtribuant, Miſſas Solemnes celebrent, exequias, & anniverſaria perſolvant, cooperantibus, ſi opus fuerit, Capellanis: Ad celebriorem tamen aliquam functionem, honoris gratiâ, & ratione gradûs Cathedralium noſtrarum Capitulum invitari permittimus, quod ſacra ſolemniùs operetur. Stipendium Confeſſario non diurno victu, ſed certâ pecuniâ conſtet, quæ juxta morem, & qualitatem regionis victui ſufficiat, & ſtatis temporibus exactè perſolvatur. Bis terve in anno Confeſſarii extraordinarii pro Monialibus omnibus deputabuntur, qui etiamſi ordinariâ, vel aliàs delegatâ facultate ad excipiendas Confeſſiones eſſent approbati, adhuc ſubire debebunt examen, ſi Nobis viſum fuerit opportunum. Serventur quæ ordinariis Confeſſoribus mandata ſunt, & de peculiaribus Monaſterii inſtitutionibus, & de noſtris Decretis edocti exactam illorum promovere ſatagant obſervantiam.

Num. 11.

Dec. Gen. Sac. Cong. Epiſc. 29. Novembr. 1605. Trid. ſeſſ. 25. cap. 10. de Regul.

VII. Oſtiolum illud, per quod Sanctiſſima

Euchariſtia Monialibus adminiſtratur, nullius unquam colloquio inſerviat, nec aliquid inde extrahatur, etiamſi eſſet in Eccleſiæ ſervitium. Decentem Umbellam habeat ſuperimpoſitam, & binis valvis, interiori ſcilicèt, & exteriori ſub diverſis clavibus communiatur, quarum una ab Abbatiſſa, altera à Confeſſario ſub pœna arbitraria cuſtodiatur. Feneſtella pro Confeſſionibus audiendis ſpiſſis cancellis ferreis, ac fixâ laminâ ferreâ exiguis foraminibus terebratâ muniatur, eamque velum interiùs, nunquam amovendum, obducat: nemini eâ liceat uti ad colloquia, nec ipſi quidem Confeſſario extra Confeſſionem, niſi de re aliqua ad Monaſterium ſpectante illi agendum eſſet cum Abbatiſſa. Nulla quoque à Cratibus Eccleſiæ, aut Rotis ibi poſitis verba habeat, Ædituis exceptis, quæ inde Clericos tantùm, alioſque Miniſtros inſervientes Eccleſiæ, vel Confeſſarium alloqui poterunt.

VIII. Sacra Virgo, quæ Sacramenti religione totam ſe vovit Deo corpore adhuc in Terra
Philip. 3. ver. 20. poſita, animo verſatur in Cælo, ubi jugis illius eſſe debet converſatio. Datur nuptis, ut cogitent,
1. Cor. 7. ver. 33. quæ ſunt Mundi: at Virgo, & innupta ſolicita, quomodo placeat Deo, & ſit ſancta corpore, & ſpiritu, religioni ducere debet ſecularibus negotiis, ab ejus vocatione alienis implicari. Hoc primum igitur præſtandum eſt Monialibus, dum religio-
Pſal. 44. ver. 11. nem ſuſcipiunt, ut obliviſcantur populum ſuum, & domum Patris ſui, dimittantque mortuos, ſe-
Matth. 8. ver. 22. pelire mortuos ſuos: perſuaſum ſiquidem eſſe debet,

debet, nihil in terra cognationis, aut neceſſitudinis ſupereſſe illi, quæ ſemel abruptis vinculis carnis, & ſanguinis, venit in libertatem gloriæ Filiorum Dei. Indecorum cumprimis eſt, ut de quærendo aliis terreno Sponſo ea ſit ſolicita, quæ ſe cælesti conſecravit: in hoc igitur officium, ne rogata quidem ſe impendat, multoque minùs ultro ſe ingerat, aut ſuam operam polliceatur. Expreſsè item, & diſtrictè vetamus celebrari ſponſalia cum puellis, vel mulieribus in Monaſterio adhuc pro educatione degentibus. Suſpendetur ab officio Abbatiſſa, quæ illa inibi iniri permittet; vel aliquam ad educationem, ſeu ex quovis alio titulo intra clauſtra recipiet, quæ fidem futuro matrimonio dediſſe deprehenditur; aut deſponſam quàm citiſſimè ad proprias ædes reduci non curabit, niſi ſpeciale noſtrum indultum accederet, quod de graviſſima tantùm cauſa, & cum ſalutaribus ſuis cautionibus dabitur, ubi fuerit opus.

Rom. 8. ver. 21.

IX. Ne pauper cenſus ſit in cauſa, quòd multiplicatâ gente, non magnificetur lætitia, plures ad profeſſionem non admittantur, quàm res Monaſterii ferre poſſint. Semel igitur præfixum numerum dilatari prohibemus; & Monialium de numero decedentium pro tempore vacatura loca, nulli puellæ ad habitum regularem excipiendæ concedantur, niſi verâ, & reali ſecutâ vacatione. Dotalis eleemoſyna juxta taxam, non in Bonis ſtabilibus, aut cenſibus, ſed numeratâ pecuniâ

Iſajæ 9. ver. 3. Conc. Mogunt. Can. 9. Turon. III. Can. 31. &c. Trid. ſeſs. 25. cap. 3. de Regular. Cap. Non amplius de Inſtit. Greg. XIII. in Conſt. Deo Sacris. Pius IV. in Conſt. Cura Paſtoralis.

Sac. Congr. in Portugal. 6. Junii 1615. in Brunduſ. 15. Januarii 1616.

cuniâ in Monte Pietatis noſtrarum Civitatum reapsè deponatur, antequam Puella religioſum habitum induat: emiſſâ verò profeſſione Monaſterio integra tradatur, ut quamprimùm cautè poſſit implicari. Graves dabit pœnas Abbatiſſa, quæ ſecùs fieri permittet. Quotquot volunt in Monaſterium admitti, ſuam afferunt dotem, ut earum neceſſitatibus ſubveniatur, & hoc quoque titulo aſſignatur vitalitia penſio, aut pecuniæ ſumma, quæ in fundo conſtituta annuos fructus referat. Ne autem cum maleolentis ſimoniæ labe Puellæ pretio admitti videantur ad Religionis profeſſionem, nihil ultra dotem, quæcunque obtendatur conſuetudo, aut prætextus etiam titulo eleemoſynæ in Moniales diſtribuendum erogetur. Donaria, aut eleemoſynas, quæ Valetudinario, aut Sacriſtiæ dari conſueverunt, minimè vetamus; eâ tamen lege, ſicuti in Sacr. Viſitat. mandavimus, ut nunquam cum cæteris Monaſterii reditibus confundantur, ſed ſeorſim cuſtodiantur eroganda opportunè in eos uſus, in quos collata ſunt. Tum in ſuſcipiendo Religionis habitu, tum in Profeſſione emittenda, & in quavis alia, aut Feſtivitatis, aut incundi, aut expleti officii occaſione, ab omni ſumptu, & vano, ac ſplendido cultu abſtineant: & ne his ſumptibus incomodent Religioſæ obſervantiæ, gravent Monaſteria, aut Familias, obſecuti literis à Sacra Congregat. emanatis 28. Julii 1708. ſuas in Sacra Viſitat. impenſis præfinivimus leges, quas ne latum quidem unguem

Conc. Nicæn. áct. 7. Can. 19. Lateran. IV Can. 64. Cap. Quoniam. Cap. Quia non ſatis &c De Simon. Cap Monachi de Stat. Monachor.

Cap. Veniens de Simonia. Extravag. 1. eod. tit.

Sac. Congr. Epiſc. in Ulyſipponen. 5. Novemb. 1616. ex Pontiſ. Orac.

Alexander VII. In Cóſt. Pro commiſſo pro Monial. Urb.

Digitized by Google

unguem volumus præteriri. Eam quoque conſuetudinem averſamur, qua mox futuræ Chriſti Sponſæ inani ſeculi pompâ, & apparatu exornantur. Neque enim fas eſt, ut quæ propriâ voluntate omnem hujus vitæ jucunditatem deponere comparata eſt, eorum, quorum oblita erat, revocet memoriam, & ex eo quandoque anceps reddatur, & perturbetur.

Conc. Trullan. can. 45. Can. Sanctimonialis diſt. 23.

X. Ne aliquam, aut propria animi levitas, aut aliena inhumanitas inſciam, vel minùs lubentem, imò quandoque & invitam in Monaſterium protrudat, & monaſticis implicet inſtitutis, Nobis incumbit probare, utrum ex Deo ſit ſpiritus illius, quæ induere debet ſacrum habitum, & ſolemnia vota emittere Religionis. Nulla igitur ad regularem habitum, vel ad profeſſionem admittatur, niſi ejus libera voluntas à Nobis, vel Vicario noſtro Generali fuerit examinata. Hac de cauſa ante menſem Nos certiores faciat Abbatiſſa, ut has Epiſcopalis muneris partes tempeſtivè impleamus: ſi neglexerit, quandiu Nobis videbitur ab officio ſuſpendetur. Recèns ingreſſæ, ex vetere inſtituto, & more habeant Novitiarum Magiſtram vitæ teſtem, & cuſtodem à qua in regulari diſciplina ſolicitâ induſtriâ, & charitate inſtituantur: quocirca hoc munus probatiſſimæ Seniori demandetur, cui Novitiæ ſummâ religione obſequantur. Quia ſacerdotalis cautionis eſt, ut non temerè Puellæ velentur, præter conſuetum examen, ad quod comparatæ quandoque accedunt,

1. Joan. 1. verſ. 1. Auct. ſerm. ad Fratr. in Eremo ſerm. 1.

Trid. ſeſſ. 25. cap. 17. de Regul.

Can. Omnis ætas 12. q. 1. Conc. Aquiſgr. can. 135. Caſſian. Inſt. Cœnob. lib. 4. cap. 7. & Collat. 20. cap. 1.

S. Ambroſ. de Virg. lib. 3.

dunt, Abbatiſſa, & Novitiarum Magiſtra deſpiciant in earum animum, & obſervent ſintne ingenii bene patientis, & ad diſciplinam ſatis compoſiti; ſolicitè item, & quaſi aliud agendo ſpectent illarum vocationem, videantque an voluntate non levi, & coacta, ſed virili, ac conſtanti ſpem faciant non obſcuram, quòd pergent, quâ cœperunt viâ, & in ſanctioris vitæ propoſito non ſolùm, Deo adjutore, perſiſtent, verùm etiam proficient, & ſuccreſcent. Ne quaſi Ephraim ſeducantur innocentes columbæ; inſtituti difficultates, & onera non extenuentur, ſed ſincerè illis aperiantur, & proponatur via illa aſpera, & dura, quâ itur ad Dominum. Ne autem deſpondeant, præcipuè quæ abjectioris ſunt animi, Monaſticas tyrones nec regulæ jugo ſtatim ſupra modum oncrari oportet, ne ſtatim oppreſſæ gravi ſarcina deficiant; nec rurſus nimis eis indulgendum eſt, ne molliùs exceptæ in ſocordiam, & ignaviam prolabantur: ita eſt indulgendum, ut ſemper, quoad fieri poteſt, vocentur ad potiora, & urgeantur ad perfectionem: habet enim & pietas ætatem ſuam. Admittendæ ad habitum legitimam habeant ætatem, nec emittant profeſſionem niſi in ſacro Tyrocinio, & Novitiatûs probatione integrum annum exegerint, & decimum ſextum ætatis annum expleverint. In earum admiſſione ſit canonicus per ſecreta ſuffragia conſenſus Capituli Monialium, in quo tamen recipiendæ ne proponantur quidem, Nobis inſciis, vel abnuentibus.

Caſſian. de Inſtit. Cœnob. cap. 36. Oſeæ 7. ver. 11.

Regul. S. Benedict. cap. 18.

Iſidor. Pelus. lib. 1. ep. 278.

No-

Novitiæ tum in habitu ſuſcipiendo, tum in Religione profitenda per decem dies ſpiritualia exercitia peragant, ut tanquam prudentes Virgines ornent lampades ſuas, paratæ occurrere cæleſti Sponſo, cum quo ſacras nuptias ſunt inituræ. Ita autem conſultum voluere leges ſacræ profeſſionis libertati, ut diram anathematis pœnam infligant iis, qui Virginem aliquam, aut aliam quamcunque Mulierem vi, minis, dolo, malis artibus invitam ad ſuſcipiendum religionis habitum, vel ad emittendam profeſſionem quomodocunque compellerent, vel ſcientes eam his ſponte non aſſentiri, conſenſum, præſentiam, auctoritatem interponerent. Tàm impium autem eſt à ſancto religionis propoſito avocare volentem, quàm nefarium nolentem cogere: quare eidem anathemati ſubjicit Tridentina Synodus eos, qui ſanctam Virginum, vel aliarum Mulierum voluntatem velum accipiendi, vel voti emittendi quoquomodo, ſine juſta cauſa, impedierit.

D.Auguſt. lib. 30. con.Fauſt. cap.4.

Trid.ſeſſ.25.cap.18.

Conc.Tolet. II. can. 10. Can. Puella 20. q. 2. Can. Hoc ſanctum 32. q. 2.

XI. Abbatiſſa, ſeu Præpoſita ad triennium duntaxat eligatur: non ſit minor quadraginta annis, quorum octo ſaltem poſt emiſſam expreſsè profeſſionem laudabiliter exegerit: ejus autem electio ſemper fiat Nobis, aut Vicario noſtro Generali præſidentibus per ſecreta ſuffragia, ita ut eligentium nomina nunquam poſſint evulgari. Ubi regimen ſuſcipiet, ne Abbatiſſæ nomen, quod Matrem ſonat, vacuum, & ſine re ſuſtinere videatur, induat verè animum Matris, & ſolicitæ Ma-

Trid. loc. cit. cap.7.

D. Auguſt. ep. 109. Conc. Pariſien. VI. can. 39.

Conc. Cabill. II. Can. 14.

tris partes exequatur. Ita ſubditas regere, & impenſo ſtudio cuſtodire debet, ut ſciat ſe pro illis rationem Domino reddituram: ſtudeat, ne vel apex prætereat à lege; ſi enim modica ſpernit, in laxitatem ſenſim decidet monaſtica diſciplina. Penes Abbatiſſam, & alias de more deputatas officiales ſit bonorum omnium adminiſtratio, ut tamen providè œconomicum munus poſſint obire, conſulant ſuos Syndicos. Quia volumus ſine anxia nimiùm ſolicitudine eas eſſe, nec turbari circa plurima, quæ illud, quod eſt optimum, elegerunt; noſtri ſtudii erit ſpectatæ fidei, ac probatæ experientiæ viros in Syndicos deputare, à quibus conſilia tutò peti poſſint, & audiri. Eorum partes erunt per ſe, vel per alios, ſingulis annis, viſitare bona ruralia Monaſteriorum, & ſedulò obſervare quâ fide, quove labore à Ruſticis, & Villicis curentur, & excolantur: urgere item Parentes, & Cognatos ad ſolvendas penſiones, quæ cùm alimentariæ ſint, Nos quoque, efficacioribus juris remediis, integrè, & maturè perſolvi curabimus. Caveant tamen Syndici, ne graves ſint Monaſteriis, ita ut de illis queri poſſint, ſicut olim de ſuis Patronis, & Defenſoribus conqueſta ſunt, ubi quod ad defenſionis ſubſidium erat inventum, ad depreſſionis diſpendium retorquebatur, & improbâ vexatione Prædonem agebant, qui eſſe debuerant Cuſtodes. Nunquam fas ſit Abbatiſſæ, vel aliis Monaſteriorum Præfectis, bona ſive mobilia ſint, ſive immobilia vendere, alienare, permutare,

1. Cor. 7. ver. 32.
Luc. 10. ver. 45.

Cap. Sicut Studii de Syndic.

Cap. In quibuſdam de Jure Patronatus.

mutare, vel quocunque alio modo diſtrahere abſque noſtra facultate. Peculium omne, vel exactione collectum, vel ex reditibus proveniens apud Abbatiſſam ſervetur in loco tuto, & clavibus munito. Singulis annis rationes exacti, & expenſi reddantur.

XII. Qui vovet relinquere omnia, & ire in communem vitam, in ſocietatem Sanctorum, magnum votum vovet. Moniales igitur, quæ abdicatis rebus omnibus ſequi amant Chriſtum, lætantes vitæ communis ſocietatem complecti deberent; & feliciſſimam profectò vitam agerent, ſi hæc duo verba de medio tollerent Meum, & Tuum. At quia rerum tenuitas ſtrictiorem quandoque non patitur obſervantiam, & egeſtas Monaſteriorum qualemcunque præſtat excuſationi locum, ut debitis ſervatis cautionibus aliquid in proprios uſus reſervetur; è prudentiæ regulis indulgentiam aliquam adhibere ducimus opportunum, ne immedicabile malum duriori exaſperetur remedio, & rimæ omnes ſimul obſtruantur, quibus nefaria proprietas, non ſine venenato afflatu, ad inficiendas graviùs animas poſſet illabi. Decreta igitur, & Canones, quibus proprietas vetatur, fulgurent, & intonent auribus Monialium, & niſi ſe piaculo gravi velint obſtringere adversùs paupertatis legem, quam profeſſæ ſunt, paratæ ſemper, & præſto ſint omnia reſignare, illa quoque, quæ ex quodam indulgentiæ temperamento illis permittuntur; & rationem reddere toties quoties Superiori

S.Aug. in Pſ. 75.

Matth. 19. ver. 27.

Petr. Bleſen. Opuſc de Amic. cap. 10.

Trid. ſeſſ. 25. cap. 2. de Regul. Can. Scimus, & ſeq. 12. q. 1.

libuerit; etiam eorum, quorum habent utendi copiam. Quàm grave ſit monaſticam vitam profeſſæ proprium habere, indicat pœnæ modus, quæ erat ſepultura in ſterquilinio. Ne igitur peculium ſit Moniali in perditionem: pecunias quaſcunque, & reditus, ſive ex reſervata penſione, aut alio quocunque modo proveniant, ſive à Cognatis, vel Amicis acceptæ, vel propria induſtria, & manuum labore quęſitę fuerint, in manibus Abbatiſſæ, vel Depoſitariæ Monaſterii reapſe deponant, & tradant, & in capſa clave munita ſervent; ita ut in privatos quotidianos uſus ſine noſtra licentia, vel ſaltem Abbatiſſæ, aut Confeſſarii, Monialis nonniſi quinque julios penes ſe poſſit retinere, alioquin rea læſæ paupertatis, & proprietaria habeatur. Quamvis autem in nullo imminutam velimus Superioris poteſtatem, tamen neceſſariâ diſpenſandi, & conſulendi charitate Abbatiſſæ, & Depoſitariæ vetamus, & diſtrictè prohibemus, ne pecuniam illam depoſitam, ſibique creditam quâvis obtentâ indigentiæ, & neceſſitatis ſpecie, aut alio prætento nomine inde amoveant, in ipſos etiam neceſſarios Cœnobii uſus impendendam: Moniales verò, ubi in ſuos religioſos uſus eâ pecuniâ indiguerint, officioſis verbis ita illam à Præpoſita petant, & in quos uſus diſtrahi debeat, ſignificent, ut non jure ſibi debitam repoſcere, ſed ex charitate donandam rogare videantur, animo comparatæ etiam pati repulſam. Illum mobilium uſum ſingulis iterum indulgemus, quem in Sacra Viſi-

Cap. Cum ad Monaſterium de Stat. Monach.

Digitized by Google

Viſitatione citra ſuperfluitatem, & penuriam permiſimus, quive reſpondeat religioſæ paupertati, & modeſtiæ. In illis quoque Monaſteriis, in quibus aliqua remiſſiùs indulgentur, hanc regulam videmus ſtrictiſſimè ſervari, ut ne verbo quidem audeat quis aliquid dicere ſuum. Religionis moribus vetita ſunt etiam munera ſine Superiorum judicio diſtributa; quare procedemus ad pœnas ſtatutas in paupertatis violatrices contra Moniales, quæ ſine debita Abbatiſſæ licentia aliquid dono dare præſumpſerint; aut licentiam dolo, & ambage ſubripuerint. In re non magni momenti, quoties juſta ſubeſſet cauſa, ne omnes circumſtantiæ aperirentur Abbatiſſæ, in aliquo raro caſu, etiam à Confeſſario facultatem impendi poſſe indulgemus.

Caſſian. de Inſtit. Cœnobit. lib. 4. cap. 13.

Clem VIII. in Conſt. Religioſæ. Urban. VIII. in Conſt. Nuper.

XIII. Jam olim Monaſteria Scholæ fuerunt, ubi à teneris annis ad pietatem formabantur Puellæ. Satius quidem foret, & expeditiùs non alias quandoque Alumnas habere, quàm illas, quibus Vota placent Religionis: cùm experientiâ compertum ſit, hac viâ vitia ſeculi in Religioſas domos irrepere, & ſeculares illas Puellas, quæ in ſpem monaſticæ profeſſionis non aluntur, ſacræ quieti, & receſſui pro ætatis ingenio non parùm obſtrepere, & incommodare. Quia tamen è re Chriſtianæ Religionis eſt, intaminatas virtutes doceri etiam illas, quæ vitam in ſeculo traducturæ ſunt; ubi inſtitutum eſt eas recipere educationis gratiâ, non introducantur ſine prævia facultate

S. Hieron. ad Læt. de Inſtit. Filiæ S. Chryſ. adver. vituper. Vit. monaſt. lib. 3. cap. 16.

Baſil. in reg. brev. cap. 292. Synod Bajocen. can 92. Innoc. IV. in Conſt. 12

Digitized by Google

tate Apoſtolica, Nobis conſultis, & permittentibus, ſervatiſque iis omnibus, quæ in prædicta facultate ſervari mandantur. Accedat Monialium in Capitulum congregatarum per ſecreta vota conſenſus, nec ſeptennio minores, aut ultra vigeſimum quintum annum provectæ recipiantur, vel detineantur. Semel egreſſæ nunquam regredi poſſint, niſi ut Moniales fiant. Pro alimentis quolibet ſemeſtri anticipatè ſolvatur ſtatuta portio, & ſi vel per octo dies protraheretur ſolutio, excluſas volumus à Monaſterio, cui ut magis caveatur, ſit in Civitate, qui pro ſolvenda penſione Nobis, & Monialibus probatum ſe vadem præſtet, & fidejuſſorem. Veſtium modeſtiam, & totius fœmineæ ſupellectilis ſobrietatem indicimus.

Decret. Gener. Sacr. Congreg. 17. Maii 1603.

XIV. In reliquis dilectiſſimæ in Chriſto Filiæ, ad Regulam, quam profeſſæ ſunt, ad peculiares Monaſterii leges, in quo vivunt, ad ea decreta, quæ tum in Viſitationibus, tum in hac Synodo illis præſcribimus vitam ſuam componant, & inſtituant. Servent ſcrupulosè ſponſiones illas obedientiæ, paupertatis, & caſtitatis, quibus ſe ad religioſam vitam obligarunt, quando earum labia diſtinxerunt vota ſua. Expeditam, & alacrem Præpoſitæ impendant obedientiam: timeant ut Dominam, diligant ut Matrem, credantque ſibi quidquid illa juſſerit, ſalutare. Nemo poſtquam admovit manum aratro, ſi reſpiciat retro, aptus eſt regno Dei: perituras res, quas forti calcarunt pede,

Trid. ſeſſ. 25. cap. 1. de Regul.

Pſal. 61. ver. 14.

Luc. 9. ver. 62

de, generoſo auſu pergant contemnere, neve repetant eam terrenarum rerum ſarcinam, quam ſemel excuſſerunt. Ne minutis quidem earum inquinetur affectus, nec neceſſitatis prætextu, ſubdolè tegat nefariam proprietatem ingenioſus nimiùm in ſui commodum Amor proprius. Præ cæteris pietatis officiis, illis frequentiorem Sacræ Communionis uſum, & annuas ſpirituales exercitationes commendamus. Immodicam linguæ intemperantiam coerceant; quod facilè præſtabunt, ſi vitaverint agnatum loquacitati malum, curioſitatem. Si animorum habitus minùs quandoque conveniant, ſe invicem ferant in charitate, ſolicitæ ſervare unitatem ſpiritûs in vinculo pacis: non eant in partium ſtudia, privataſque fugiant familiaritates, unde diffidentiæ, & ſuboffenſiones oriuntur. Animis non concidant, quibus ſtatim monaſticæ perfectionis vita ſubaſpera videtur, & triſtis. Nullum agitur in ſeculo vitæ genus, in quo multa aſperiora ſubeunda non ſint, & ambulant vias longè difficiliores, qui vivunt in medio Babylonis. Arcta quidem eſt via, quæ ducit ad Dominum; at certiſſimâ hâc ſpe futuri præmii fiunt prava in directa, & aſpera in vias planas. Silentium, ſeceſſus, infatigata orandi aſſiduitas juges ſint illarum occupationes, & deliciæ; ita ut quælibet de Sponſo ſuo profari queat: Dilectus meus mihi, & ego illi.

Cap. de Inſt. Cœnob. lib. 7. cap. 21.

Clem. Ne in agro, §. Sanè de Stat. monach.

Epheſ. 4. ver. 2.

Sapien. 5. ver. 7.

Matth. 7. ver. 14.

Luc. 3. ver. 5.

Cant. 12. ver. 16.

CA-

CAPUT XIV.

De Seminario.

Thren.3. ver. 27.

BOnum erit Eccleſiæ cum eos habebit Miniſtros, qui portaverint jugum Eccleſiaſticæ diſciplinæ ab adoleſcentia ſua: In domo Domini, & in Atriis Domûs Dei à primis annis educati, etiam cùm ſenuerint non recedent ab illa vitæ ratione, quam primitus inierunt. Ab ineunte igitur ætate inſtituendi ſunt, qui Clero deſtinantur, & lubricos potiſſimùm, & pronos in malum annos eo agere debent in loco, ubi habeant, & diſciplinæ Magiſtros, & Teſtes Vitæ. Hinc inſtituta ſunt Seminaria, in quibus Juvenes Clerici, & doceri poſſint, quæ ſui ſunt muneris, & in illis ipſis probari: probè igitur perſpicientes quanta præſidia prodire Nobis poſſint in Eccleſiam, ſi inde ducere tutò poſſimus fideles ſervos, providos, & prudentes, quos ſuper familiam noſtram conſtituamus, quæ ſequuntur præſcribimus

Prov.22.ver.6

Conc. Tolet. IV. can.24. relat.in Can. Omnis ætas 12. q. 1.

Trid.ſeſſ.23.cap.18.

I. Si cætera deeſſent, vel uno nomine hæc Diœceſis æternùm debitura eſt Eminentiſſimo Barbadico, & ejus memoria ſine animi mirè ingrati crimine apud Nos non poteſt intercidere, quòd nulli parcens ſumptui, & labori ad reſtituendam Eccleſiaſticam diſciplinam imitatus Sanctiſſimos Viros, & Præſules, ampliſſimum excitavit Semi-

Seminarium, & omnia molitus eſt, ut duplicem peſtem ab animis Clericorum excuteret, improbitatem ſcilicet, & ignorantiam: & in innocentia ingrederentur, quibus in Eccleſiis incumbit benedicere Domino. Quia huc ſemper curam omnem, & induſtriam contulit infatigatam, benedixit Dominus laboribus illius: repleti ſunt Campi ejus fructuum ubertate, nec caruit Operariis, quos mitteret in meſſem, & in culturam Vineæ, cui Nos quamvis indigni in Patrem-familias ſucceſſimus. Occupamus locum, vices ſatis ſuſtinere non poſſumus: at ne tot, tantorumque laborum diſpereat fructus, id ſanè curabimus, ut tanto Viro, ſin minùs virtute, ſaltem affectu ſuccedamus. Ut pupillam oculi noſtri cuſtodiemus Seminarium, quod ſemper noſtræ quietis erit cura, & noſtrarum quies curarum. Amantiſſimus Parens exemplo præeuntem Divum Carolum ſecutus, eaſdem Seminario præſcripſit conſtitutiones, quas ſuis Sanctiſſimus Archiepiſcopus jam olim indixerat: & quia ibi ſumma cum prudentia proviſa ſunt univerſa, nihil aliud Nòbis ſupereſt, quàm illarum commendare, & præcipere ad ſummos apices obſervantiam, quod ſi fiet, cumulatiſſimè erit noſtris votis ſatisfactum.

Pſal. 21. ver. 21.
Pſal. 64. ver. 12.
Luc. 10. ver. 2.

II. Suſcepti muneris momenta ſibi identidem proponant, qui conſtituti ſunt in Seminario Superiores, ſibique perſuadeant, ab illis potiſſimùm pendere totius noſtræ Diœceſis, aut vitam, aut interitum. Per viſcera igitur Jeſu Chriſti eos

 hor-

hortamur, monemus, obligamus, ut unà ſimul omnes, magnis animis, & ſolicitâ curâ conſpirent. Acri vigilantiâ, & maximâ in omnem partem circumſpectione opus eſt Rectori, eximiâ charitate opus eſt Directori ſpiritûs, ut iſte monitis, & conſiliis, ille objurgationibus, & pœnis, in ea periculi plena ætate, piè, & ſanctè inſtituant Clero adoptandam Juventutem. Ecce conſtitui Vos ſuper gentem meam, ut evellatis, & deſtruatis, ædificetis, & plantetis, purgetis ſcilicèt noxia, ſeminetis virtutes. Regulas ne in minimo quidem lædi patiatur Superior, & nunquam ſalutarium pœnarum uſum remittat; eâ ſemper adhibitâ cautione, ut remedia ſint malis accommodata: latiùs terreant, quàm noceant, & ipſe qui plectitur corrigatur experimento, alii terreantur exemplo. Modum peccati, modus coercitionis non excedat, ne acerbâ nimiùm pœnâ adigatur ad præcipitia, qui monitus deterreri poteſt à lapſu: caveat potiſſimùm, ne tenerâ adhuc cervice jugum excutiatur, quod fruſtra dein impones cervicoſo, & impatienti. Vigilet gravis obſervator morum, quos ad Nos in laudem, & remunerationem, aut in monitionem, & pœnam referat: nec eò unquam morbi malignitatem creſcere ſinat, ut acre dimiſſionis remedium adhibere cogamur. Domus clauſa ſit, ut eo inſcio nihil inferri, aut efferri poſſit, nec cui liceat in interiores ædes pervadere cum Alumnis, vel Convictoribus collocuturo. Excurſiones à Seminario, cum

Jerem. 1. ver. 10.

Can. Non eſt 23. q. 1.

Can. Qui peccat in fin. 23. q. 4.

cum exteris collocutiones, frequentes ad patrios lares itiones ſtudioſiſſimè prohibeantur, quia ſemper aliquid licentioris conſuetudinis inde effertur. Nemini igitur domum ſuam, Nobis inſciis, adire liceat, in urgente neceſſitate licentiam dare poſſit etiam Rector; quam tamen bacchanali tempore non impertiet; ubi ad ſuos quis commigrabit, ejus extra Seminarium converſatio ex Parochi ſignificatione, & teſtimonio exquiretur. Tantum vigebit diſciplinæ, quantum ſtudii, & orationis; unde ſtatis temporibus literarum ſtudia, & officia pietatis, adeò impensè colantur, ut nunquam Juvenes ceſſent, & torpeant otioſi. Probè tandem norunt Superiores, eo fine inſtituta eſſe Seminaria, ut ibi chriſtianæ pietatis, & eccleſiaſticæ diſciplinæ rudimentum ponant ſacrorum Ordinum Candidati. Perpendant igitur, quàm gravem ſuſtineant provinciam: ſi enim in ſemente poſita eſt ſpes omnis futuræ meſſis, metemus, quæ ſeminaverint, & illis vitio dabitur, ſi ex ignavia, & diſſolutione fiet, ut ſeminemus multum, & parum inferamus.

Conc. Turon. III. can. 12.

Galat. 6. ver. 8.
Aggæi 1. ver. 6.

III. Grandiores ſeorſim à minoribus natu verſentur, nec ad momentum quidem effugiant oculos illorum, qui conſtituti ſunt Præfecti, & veluti individui cenſores, & ſpectatores virtutum, & vitiorum. In his non tam doctrinam, quàm mores intaminatos, vitam honeſtiſſimè actam, prudentiam puerilibus, & juvenilibus ingeniis regendis accommodatam deſideramus. Noctu, &

diu curam gerant, & vigilent veluti in cuſtodiam:
eorum potiſſimæ partes erunt, ut juſſa tempora
potiſſimùm Orationis, & Studii ſedulò exigantur.
Si ſemper aderunt, facilè cavebunt, ne quid un-
quam geratur, quod à modeſtiæ legibus abhor-
reat. Per totam noctem, in qua cubant Aula,
magna luceat lampas; antequam cubitum eant,
& ubi mox de lecto ſurrexerint, Deo preces offe-
rant; nec ipſi ante cubent, quàm Pueros omnes
quietos viderint, & dormientes. Ubi ſtatis rela-
xationis diebus domo exire permittitur, luſus
eos indulgemus, & liberales exercitationes, quæ
in Pueris ad tuendam valetudinem ſunt neceſſariæ;
at tunc quoque ſtultiloquium vitetur, & ſcurri-
Epheſ.5.ver.11. litas, quæ ad rem non pertinet; modeſtiæ leges
non prætereantur; tùm publicè, tùm privatim
ipſa exterior compoſitio verecundam animi hone-
S.Gregor. Nazian. Orat.6. ſtatem teſtetur, & liberiores actus, ſolutiores
geſtus, clamoſiores voces ſemper vetitæ ſunto.
Non interdictas volumus animi relaxationes, ſed
intemperantiam coercemus.

Hilar.lib.1.de Trin IV. Studia literarum Oratione quamma-
ximè promoventur: iteratis igitur precibus Ec-
cleſiaſtici Tyrones interpellent Dominum, qui
nobis infidelis ſponſionis non eſt auctor, cùm
dicit: Petite, & accipietis, quærite, & invenietis.
Luc.11.ver.13. Spiritum illum bonum enixè efflagitent, quem
Deus non denegat petentibus ſe. Aſſueſcant piis
colloquiis, quæ maxima ſunt ad juſtitiam auxilia.
Cantui Gregoriano à prandio ſingulis diebus om-
nes

nes per horam vacent. Divina officia feſtis diebus, ut moris eſt in Collegiatis Eccleſiis, devotè perſolvantur: quare non omnes ſimul, exceptis ſolemnioribus feſtis, mittantur ad Cathedralem, ſed per vices, ut ſemper ſuperſint, qui in Eccleſia Seminarii laudis offerant Sacrificia. Sacros ritus, & eccleſiaſticas ceremonias doceantur, & præſtituto aliquo intra hebdomadam die, præſertim vacationis, de manè in illis ritè, & rectè obeundis exerceantur, & præparentur. Hæc præcipuè documenta eorum animis altè imprimi optamus: Saluti Populorum ſeſe eſſe devovendos, ac unicè à Deo operis mercedem expectandam: quare ab ambitione, & avaritiâ toto animo averſos, nonniſi Dei voce vocatos ad ordines venire debere, & eccleſiaſticas dignitates. Qui virtutibus pollet, coactus ad regimen veniat; qui virtutibus vacuus eſt, nec coactus accedat. Memores promiſſæ obedientiæ, ſe ſui Epiſcopi manibus committant, prout illi in Domino magis expedire videbitur, huic, vel alteri, quantumvis minùs ſplendido, aut minùs pecunioſo officio, deſtinandos; ſpectent ſemper Beneficiorum reditus, ut quammaximè importuna, nihil invidenda, & multùm timenda onera, hoc uno nomine illis concredita, ut provideant pauperibus, ubi ſuis proſpexerint neceſſitatibus. Literas in quibus verſantur non ad terrena ſtudia, ſed ad pietatis officia referant: ſcire velint, ut benè agant: ſi enim ad famam ſpectent, vel mercedem, aut turpis

S.Gregor. in Paſtor. part. 1. cap. 9.

Digitized by Google

Bernard. ſer. 36. in Cant.

turpis eſt quæſtus, aut turpis vanitas labor omnis; ſi ſcire velint, ut ædificent, vel ædificentur, charitas eſt, & prudentia.

V. In admittendis Alumnis ea ſerventur, quæ à pientiſſimo Inſtitutore ad mentem D. Caroli præſcripta ſunt: inſtituto examine ſpectetur bona indoles, & voluntas inſerviendi Eccleſiæ; quia verò pauperes potiſſimùm juvare debet Eccleſia, & ſuis ſumptibus ali poſſunt divites, ubi erunt illi ſacris æquè idonei, & ſtudiis dediti, præferantur. Provida hæc cura habeatur, ut aliqui ſemper educentur in Seminario ex illis infelicioribus locis, ubi aer eſt inſalubrior, aut minùs commodus incolatus, cum enim exteri vix inibi ſedem ponere velint, difficilè admodùm, ſi ſecus fieret, illorum Eccleſiis provideretur. Ut nihil pereat reditibus Seminarii, ſi Eccleſiaſtici non efficiuntur, qui ejus impenſis ſunt educati, Alumni antequam recipiantur, à Parentibus, aut ab alio idoneam habeant cautionem de perſeverando in eccleſiaſtico ſtatu; ita ut ſi hoc genus vitæ illis minùs placeret, & in laicalem ſtatum relabentes uxorem licet unicam, & virginem ducerent, expenſas alimentorum reficere teneantur, ad triginta ſex ſcuta per ſingulos annos taxatas. Seria ſit in admittendis diſquiſitio, & magis ſeria poſt admiſſionem probatio. Non tam numero, quàm aptitudine delectemur, eoſque inſtruamus, qui literarum, & pietatis amantiores ſpem faciunt profectûs non exigui; ita ut ſi qui reperiantur immorigeri,

rigeri, & intractabiles, diſciplinæ impatientes, & operoſum diſcendi laborem detrectantes, aut ejus ingenii, cujus duritiem vix emollire, vix abſtergere poſſis rubiginem, citò dimittantur, ne multò emant nihil ſapere, & pœnitere: Succidamus Arbores, quæ Terram occupant. Quamvis autem Clero formando inſtitutum ſit Seminarium; meliorum tamen temporum teſtantur exempla inter eccleſiaſticam Juventutem etiam ſecularem admitti conſueviſſe, cum ad Cœnobia, quæ erant Seminaria, inſtituenda mittebatur. Reipublicæ Chriſtianæ multum ſanè hinc accedit utilitatis, ſi in diſciplina, & correptione Domini inſtruantur Laici ſimul cum Clericis: at illa cautio tenenda eſt, ut illi mores induant eccleſiaſticos, non verò ex eorum contubernio Eccleſiaſtici mores diſcant ſeculares.

Luc. 13. ver. 17.

Leo Oſtien. in Chron. Caſſin. lib. 3. cap. 1.

Epheſ. 6. ver. 4

VI. Licet docendi tantùm cura Magiſtris commiſſa videatur, multum tamen, & ipſi conferre poſſunt in diſciplinam, ſi Religionis zelo accenſi quà exemplo, quà lingua in inſtitutionem incumbant diſcipulorum, cùm ſibi mutuum præſtent præſidium pietas, & doctrina. Inferioris Grammaticæ rudimenta clarâ, & expeditâ methodò tradantur, ne futilibus tricis detineantur, & obruantur ingenia, meliùs aliis vacatura: faſtidienda tamen non ſunt ut jejuna, & tenuia, niſi enim in illis fideliter fundamentum jecerint, quidquid ſuperſtruxerint, corruet. Inde ad humaniores literas promoti, diſcant potiſſimùm cultè loqui.

Tan-

Tandem in Rhetoricæ claſſe omnia, quæ ad oratoriam artem, & poeſim pertinent, diſcant; ſed ita Ethnicorum Auctorum lectio ſit caſtigata, ut quidquid inquinare poſſet animos reſecetur, aut omittatur, ne cum profanis literis, etiam profani mores hauriantur. Philoſophia illa ſit, cui præſit Religio, queve rectè ſentire doceat, non ſcitè cavillari. Quia noſtrum eſt, quidquid uſpiam veri offendimus; ſi quæ fortè vera, & fidei accommoda dixerunt gentiles Philoſophi, tanquam ab injuſtis poſſeſſoribus in uſum noſtrum poſſumus vendicare, ut de ſpoliis ipſis Ægyptiorum ditemus Eccleſiam. Juriſprudentia eâ parte cordi ſit, quæ in Canonibus eccleſiaſticam hiſtoriam, Eccleſiæ mores, & conſilia, purioris diſciplinæ regulas tradit: ut expeditior ſit ad Jus Canonicum via, Juri quoque Civili vacetur, ut patrocinari tamen ſolùm diſcat Charitati. At ne dolere debeamus verſam ad extraneos hereditatem noſtram potiora eſſe debent ſacra ſtudia Theologiæ, Morum, & Scripturæ, & cùm in Seminario inſtituendi præcipuè ſint Parochi, ſi non omnibus omnes pares erunt diſciplinis, in habendis concionibus, in explicanda Catecheſi, in morum doctrina, in legitimo Sacramentorum miniſterio, & diſpenſatione erudiantur, ut ritè, & rectè ſacra Paſtoris officia poſſint obire.

S. Auguſt. de Doct. Chriſt. lib. 2. cap. 40.

Thren. 5. ver. 2.

VII. Qui ad regendas Scholas Præſes conſtituitur, exquiſitiore bonarum artium diſciplinâ eſſe debet excultus. Præſcriptas docendi rationes præ-

prætermitti non patiatur, & aſſiduus adſtet ſtudiorum exactor. Libros omnes amoveat inutiles, & profanos, quibus non ſine magno temporis diſpendio, & detrimento quandoque morum, bonæ horæ malè locantur. Divitem fructibus, non diſtentam foliis eruditionem comparari procuret, ne totus in inanem oſtentationem ſeſe effundat, & luxuriet animus. Quia malè reſpondent coacta ingenia, & hoc Omnipotens Deus agit in cordibus hominum, quod facit in regionibus Terræ, illius partes erunt ſcrutari, quæ quælibet Tellus ferat, & habito ingeniorum delectu, æquam cuilibet ſtudendi materiam præſcribere. Danda illi potiſſimùm opera, ne tepeſcant ſtudia Hebraicæ linguæ, & Græcæ, cujus notitia ad parandam doctrinæ copiam confert quamplurimùm. Sæpe Scholas inviſat, & æmulatione literas fervere ſtudeat. Nos frequenter aderimus inexpectati, ut tùm publicè, tùm privatim acres laude, & præmiis, ignavos dedecore provocemus, aliosque mordeat objurgatio, alios excitet honor.

VIII. Ad temporalium etiam adminiſtrationem, ſine qua ſpiritualia conſiſtere non poſſunt, ſe porrigat neceſſe eſt eorum cura, qui præſunt Seminario. Ignavos fucos induſtrius cœtus non patiatur, amoveatque deſides, & ſegnes à ſervitio. Victualia opportuno tempore providè comparentur. Reditus Seminarii in alios uſus, etiam pios, præterquam ejuſdem Seminarii non diſtrahantur, & ſi aliàs diſtracti fuerint contra

eam formam, quæ præſcripta eſt, quæque hucuſque religiosè ſervatur, non recipiantur pro expenſis. Nobis, & Deputatis ratio adminiſtrationis reddatur, & frequenter Congregationes tùm pro re œconomica, tùm pro ſpirituali regimine habeantur, ut vegetus ſemper ſit primus vigor diſciplinæ: obſerventque qui aut præſunt, aut parent in Seminario, omnem diſciplinam in præſenti quidem videri non eſſe gaudii, ſed mæroris; poſtea autem fructum pacatiſſimum exercitatis, per eam reddet juſtitiæ. (Hebræor. 12. ver. 11.)

CAPUT XV.

De Uſuris, & illicitis Contractibus.

Uſurarum crimen utriuſque Teſtamenti pagina deteſtatur. (Cap. Super eo de Uſur.) Concipit avaritia, parturit iniquitas, obſtetricante inhumanitate eos fructus, quos de dato mutuo exprimit improba exactio. (Nyſſen. hom. 4. in Eccleſiaſt.) Fœnus pecuniæ funus eſt animæ, & qui per aliena cupit damna ditari æternâ dignus eſt egeſtate puniri. (S. Leo ſer. 6. de Jejun. Decim. menſ.) At contrà jucundus homo, qui miſeretur, & commodat, (Pſal. 111. ver. 5.) beatus homo, qui pecuniam ſuam non dedit ad uſuram, & munera ſuper innocentem non accepit. (Pſal. 14. ver. 5.) Non quærant Fideles noſtri theſaurizare ſuper Terram, ubi ærugo, & tinea demolitur; theſaurizent in Cælo, ubi fures non effodiunt. (Matth. 6. ver. 19.) Pauperi mutuum dan- (Luc. 6. ver. 35.)

dantes, & nihil inde ſperantes, & exigentes credant otioſam pecuniam, recepturi à Deo pretioſam gratiam. Fœneratur Domino, qui miſeretur pauperi, & viciſſitudinem eam reddet ei. Incrementa hujus legitimæ Uſuræ ſunt, in lege benedictio, in Evangelio cæleſtis merces, quæ centupli debitorem Deum conſtituit.

S. Ambroſ. de Tob. cap. 16.

Prov. 19. ver. 17.

I. Quid irrationabilius inveniri poteſt, quàm ut ſine agro, pluvia, & aratro ſeminare contendas: hanc peſtiferam agriculturam invenerunt, & in igne æterno metent zizania, qui mutuum dant frumentum hâc lege, ut in meſſe cum quodam auctario recipiant; ita ut cum frumenti menſuræ abraſæ datæ ſint, plenæ, & cumulatiores exigantur: qui frumentum deterioris conditionis dant mutuò, quod prava admixta habet ſemina, lolium, viciam, avenam eo convento pacto, aut ſaltem eo primùm intento, ut optimæ, & melioris qualitatis reddatur: qui contractum mutuationis frumenti hoc pacto celebrant, ut unà cum frumento, quo indiget Mutuatarius, accipiat vinum, carnem porcinam, caſeum, vel aliquid hujuſmodi, quibus certè non indiget, & tempore meſſis, aut numeratâ pecuniâ, aut in frumento optimæ qualitatis, pretium ſolvat: præcipuè ſi in auctarium iniquitatis illud addatur, quòd victualia peſſimæ qualitatis, & ſummo pretio æſtimata traduntur; optimæ qualitatis frumentum, infimo currente pretio, repoſcitur. Sub obtentu pietatis ſic impii Fœneratores ſpoliant, dum

S. Chryſ. hom. 57. in Matth.

Can. Uſura 14. q. 3. S. Auguſt. in Pſ. 36. S. Hieronym. in cap. 18. Ezech.

Exod. 22. Levit. 25. Deuter. 23.

ſubveniunt, de ærumnis ditantur, & ex alterius neceſſitate prædantur. Ubicunque autem occurrat, ſemper nefarium eſt lucrum ex mutuo, unde & ſi magis diſertè damnetur, quando Charitatis lege violatâ, à paupere, & egeno repetitur; adverſatur etiam juſtitiæ, ubi de infœcunda re exigitur etiam à divite, qui ex mutuata pecunia, in negotiatione agitata, factus eſt locupletior. Adeò gratuitum eſſe debet mutuum, ut uſura ſit etiam dum aliquid ultra ſortem exigitur ex benevolentia, & gratitudine debitum.

Lact. lib. 6. Inſt. cap. 18. S. Chryſ. hom. 17 in Matth. S. Ambr. c. 3. & 15. de Tob.

S. Ambroſ de Tob. cap. 14. S. Auguſt. ep. 14.

Propoſ. 41. Damnat ab Innoc. XI.

II. Nullus Fratrem ſuum in negotio circumveniat, nec monopoliis, mercium, menſurarum, ac ponderum depravatione, aliiſque pravis compendiis quæſtum faciat iniquum. Urgente Emptore, vendere certo majore pretio, quàm tunc valeant merces, quando diſtrahuntur, ſi quis eas ſervare volebat, uſque ad illud tempus, quo pluris erunt valituræ, innocens negotium eſt; at iniquè agit, niſi detrahat impenſas, & ſi pretium non definiens, aut determinans, ſummo illo, & quammaximo vendit pretio, quo valebunt per annum, aut toto tempore uſque ad ſolutionis tempus interceſſuro. Iniquus item eſt qui carnem ſuillam, aut quidpiam aliud creditâ pecuniâ vendit ultra ſupremum pretium, quo venditur, & æſtimatur in foro repræſentatâ ſolutione: qui paulò ante meſſem, aut vindemiam uvas, vel frumentum anticipatâ ſolutione vult emere, attendat circumſtantias, & conjecturas tempeſtatis,

1. Theſſ. 4. ver. 6.

Cap. In Civit. de Uſuris. Cap. Naviganti ib.

Cap. Conſuluit de Uſuris. Conc. Pariſien. VI. lib. 1. cap. 53.

&

& fructuum pendentium, & ubi rerum pretium in dubio eſt, æqua ſit Venditoris, & Ementis conditio. Ne venale veniat tempus, nec ob expectatam ſolutionem cariùs vendere, nec ob anticipatam minoris juſto pretio licet emere: ſuæ ſunt ab accepto damno, & intercepto lucro, & à conventionali in moroſos pœna, legis exceptiones: ſed caveant Emptores, & Venditores, ne ſibi fucum faciant, adſint conditiones omnes, quas in illis exigit ſana doctrina, ne ſint fictæ cavillationes, & vera fraudum integumenta. S.Thom. 2. 2. q. 78. art.2. ad 1. & q. 62. art. 4

III. Ubi mera eſt fundi fructiferi oppignoratio, qui percipiuntur fructus, deciſis expenſis, in ſortem computandi ſunt, & ſubducendi ſummæ pecuniæ mutuo datæ, ubi fiet reſtitutio: quare contractum, quem dicunt *A godere*, in quo ex una parte mutuò datur certa pecuniæ ſumma, ex altera pignus traditur frugiferum, quo Mutuatarius utitur, citra ſortis diminutionem, in Synodo Card. Zacchiæ uſurarium declaratum, iterùm prohibemus. Pactum item illud legis commiſſoriæ in pignore vetamus, quo fit, ut quamvis pignoris pretio debitum excedatur, adhuc emptum manet Creditori, ſi deſtinato tempore non fit ſolutio. Facultas data Venditori, ut intra præſtitutum tempus fundum, quem vendit, redimere poſſit, nonnihil de pretio diminuit; at non benè conſultum eſt eorum conſcientiæ, qui exile admodum pretium perſolvunt, & adeò benè tempus præfigunt redemptioni, ut ſibi viliſſimo illo injuſto

Cap. Plures. Cap. Conqueſtus de Uſuris. Cap. Cum contra de Pignoribus.

Cap. LI.

Cap. Significante de Pignoribus.

Levit. cap. 25. Clem. 1. & 2. de Empt. & Vend.

Cap. Ad noſtram de Empt. & Vend. Cap. Illo vos de Pignorib.

S. Pius V. In Conſt. In eam.

Martinus IV. & Calixtus III. in Extravag. Commun. Tit. de Empt. & Vend.

S. Pius V. in Conſt. Cum onus.

juſto pretio remanſurum probè prævideant. In ſpiritu iſtorum certò pravus eſt dolus. Menſariæ pecuniarum permutationes, quas Cambia dicunt in Commercii commodum inſtitutæ, ſuos habent juſtitiæ titulos, ſi Conſtitutiones Pii V. ſerventur; at quæ ſiccæ dicuntur, per quas realis pecunia non tranſmittitur, in nundinis non fit ſolutio, ſinceræ literæ non committuntur, meræ fraudes ſunt, & uſurariæ ludificationes. Ne in Cenſuum conſtitutione aliqua labes ſubrepat, ſerventur quæ ab eodem Summo Pontifice præſcripta ſunt, idque caveatur potiſſimùm, ne ex debitis, & non ſolutis penſionibus, in ſortem converſis, augeantur.

Sixtus V. in Conſt. Deteſtabilis.

IV. Societates præſertim Animalium ineantur, ſervatis legibus charitatis, & juſtitiæ, quarum prima erit, ut partes in ſocietatem veniant commodi, & periculi, & in partiendo ſervetur æqualitas: hanc labefactatam multùm percepimus in uno, præcipuè ex contractibus quem dicunt *A Collatica*: at quia non unâ per univerſam Diœceſim initur ratione, Vicariorum noſtrorum Generalium in Civitate, & alibi Foraneorum, & Parochorum vigilantiæ committimus, ut ſolertiore, quo poterunt ſtudio indagare ſatagant, ne in hoc, & in cæteris ſuſpecti nominis Contractibus conventiones fiant, quibus leges aut Juſtitiæ, aut Charitatis deleantur: quoties de eorum rectitudine, aut pauperum læſione ſuboriatur dubitatio, Nos moneant, ut adhibito doctorum virorum conſilio, paternâ ſolicitudine providere poſſimus. In ineun-

dis

Digitized by Google

disContractibus conſtitutionem in ſecunda Synodo ab Emo Card. Barbadico editam Cap. de Uſuris ad praxim reduci mandamus. Fidelibus noſtris ſuccurrat, nihil prodeſſe homini, ſi univerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur; unde cùm tot ſuppetant honeſti quæſtûs rationes, ab illis abſtineant, quæ ſunt plenæ periculi. Matth. 16. ver. 26.

V. Ne in plateis noſtris uſura ſit, & dolus nefariis Fœneratoribus, aliiſque qui deteſtandis uſurarum lucris inſiſtunt, pœnas irrogamus à Sacris Canonibus, & Pontificiis Conſtitutionibus indictas, quibus ii etiam ſubjiciantur, qui hujuſmodi Uſurariis Contractibus accedunt Proxenetæ. Notariis demum quibuſcunque ſub pœnis per eoſdem ſimiliter Sacros Canones, & Apoſtolicas Conſtitutiones latis, aliiſque arbitrio noſtro infligendis, præcipimus, ne fœneratitios contractus, ſive manifeſti ſint, ſive palliati ſtipulari præſumant: nec ullus Teſtis audeat accedere, ubi de eorum pravitate legitimam concipiet ſuſpicionem. Parochi, & Confeſſarii Conſtit. Summorum Pontificum Pii V. & Sixti V., agentes de Uſuris, ſibi ponant ob oculos, ut perſpectos habeant illicitos contractus, & pœnas in illos irrogatas: Si implexus, & difficilis ſit caſus, nihil immaturè, & temerè ſtatuant, ſed ad aliud tempus Pœnitentem abſolvendum remittant, donec vel ex aliorum doctiorum conſilio, vel ex proprio impenſo ſtudio veritatem perſpexerint. Avocent, &

Pſal. 54. ver. 12.

Cap. Quia in omnibus de Uſur. can. 1. & per tot. 47. diſt. can. 1. & per tot 14. q. 4. Clem. 1. & 2. hoc tit. Cap. Quamquam eod. tit. in 6.

Sup. cit.

Digitized by Google

& abſtrahant Pœnitentes à nefariis negotiis; illicitos contractus reſcindi, & mala parta reſtitui procurent, nec illos abſolvant, qui ad ſimilitudinem Aſpidis ſurdæ obturantis aures ſuas, non exaudiunt vocem Sacerdotis ſapienter incantantis.

Pſal. 57. ver. 5.

CAPUT XVI.

De Foro Epiſcopali, & Vicariis Generalibus.

Luc. 22. ver. 28.

Joſeph. adver. App. lib. 2.

1. Petr. 2. ver. 9.

2. Cor. 5. ver. 20. Matth. ult. ver. 18.

Bellarm. de Rom. Pontif. lib. v.

ECce duo gladii hîc, ſacræ nimirum, & civilis juriſdictionis: utrumque habere licet Eccleſiæ, utrumque expedit exercere, quò ſibi conſulat, & cæteris proſpiciat. Sacerdotes inſpectores rerum, & Judices in veteri Lege de jure conſulebant Dominum, & Populo reſpondebant; iniquè igitur eripitur Epiſcopali Audientiæ, quod tribuitur Judaico Synedrio, & præpoſterum eſt, nedum malignum, ſervili Sacerdotio aſſerere Imperium, regali verò Miniſterium duntaxat permittere. Eccleſia legatione fungitur pro Chriſto, cui data eſt omnis poteſtas in Cœlo, & in Terra: ſi Sacra tantum curare vellet, temporalia negligere non poteſt: nedum precibus, ſed etiam imperio agat oportet, ut Fideles pietatem colant, & juſtitiam. Non humano jure, ſed divinâ voluntate juriſdicundi poteſtatem habet Eccleſia; nec inſpectionis tantùm, ſed etiam auctoritatis Epiſcopatûs eſt

eſt nomen. Beato Petro vitæ æternæ clavigero cæleſtis ſimul, ac terreni Imperii jura commiſit Deus: Petrus, & in Petro Succeſſores Pontifices univerſo gregi præpoſiti ſunt Judices, & Magiſtri: in tradita verò ſibi gregis portione, in partes ſolicitudinis, & auctoritatis veniunt etiam Epiſcopi, qui poſiti ſunt regere Eccleſiam Dei. Ne ullus igitur dominationem ſpernat, aut majeſtatem blaſphemet noſtri Fori

Can. Omnes diſt. 22 Bonifac. VIII. in Extravag. Unam ſanctam de major. & obed.

Actor. 20. ver. 28.

Jud. 8.

I. Sedes noſtra longè ampliorem præ Cathedra Moyſis ſortita poteſtatem, ſit juſtitiæ tribunal, & charitatis. Infirmorum, & pauperum patrocinium inter præcipua Epiſcoporum munia refertur, & hoc nomine cognitio cauſarum Viduarum, Pupillorum, & miſerabilium perſonarum Eccleſiaſtico Judici credita eſt: quapropter Vicarii noſtri Generales patrem potiùs agant, quàm judicem, & ſui in primis id eſſe officii noverint, ut Pauperibus, Orphanis, miſeris omnibus nihil deſit, ut ſua legitimè jura tueantur, præcipuè ubi quà vi, quà dolo à præpotentibus opprimuntur. Si vim patientes negligantur, vociferabuntur ad Dominum, qui exaudiet vocem eorum. Illi, quos Advocatos, aut Patronos Pauperibus, & miſeris quibuſcunque deſtinavimus, ſuam gratis impendant operam: gratis liberent pauperem à potente, & inopem juvent, cui non erat adjutor: urgeant Miniſtros curiæ, ne diu ceſſent, quia minùs ſolvitur, & ne quid iniquiùs geratur in pauperes, quorum acta gratis excipi volumus. Officiales

S. Chriſoſt. lib. 6. de Sacerdot. Can. Defenſionis diſt. 87. S. Bernard. ep 95. ad Eborac. Archiep.

Cap. Super quibuſdam de V. S. Cap. Ex tenore de For. compet.

Exod. 22.

Pſal. 71. ver. 12.

noſtræ Curiæ laborem non ſine conſolatione Domini ſuſcipiant, memores nos ſervos eſſe Eccleſiæ, & maximè infirmioribus membris. Diebus non feriatis, ſtatutis horis, juri dicundo ſemper præſto ſint Vicarii noſtri Generales, & per duas horas audientia protrahatur, quibus expletis publicentur contumaciæ, nulla admittatur inſtantia, nec fiat Decretum, exceptis cauſis criminalibus, in quibus quolibet tempore fiant, & publicentur Decreta, prout opus fuerit, maximè ſi ex mora periculum immineret. Cancellarii verò aſſiduè in Cancellaria, Acta excepturi, verſentur: ſi non paruerint, punientur arbitrio, & creſcente negligentiâ amovebuntur ab officio: parata Acta omnia Judex inveniat, ne tempus inutiliter teratur. Adeò delatum eſt Judicio Epiſcopi, ut ipſæ ſeculares leges ſui præſidium, & cuſtodiam ipſi commendaverint, ne quid improbâ exactione tranſcenderetur, & ex furto Judicum, populi violentias ſuſtinerent. Ne ſibi deſint, qui aliis debent invigilare; Vicarius Generalis inſiſtat, ut Forum noſtrum ſummâ integritate adminiſtretur. Taxa Innocentiana, & ubi in ea caſus taxatus non eſt, illa, quæ longo jamdudum Cancellariæ uſu inducta eſt, adamuſſim obſervetur. Utraque autem in Cancellaria, aut Aula publicæ audientiæ omnibus obvia affigatur. Cancellarii, & Actuarii noſtræ Curiæ, antequam ſubeant munus ſuum, præſtent in noſtris, vel Vicarii Generalis manibus juramentum de eo fideliter, diligenter, & juſtè obeundo. In noſtris Miniſtris non dominetur omnis

S.Auguſt. de Oper. Monach. 29.

Novell. 1. Juſtin.

nis injuſtitia; nec dextera eorum plena muneribus dextera fiat iniquitatis. Qui ſe muneribus corrumpi ſiverit, amovebitur ab officio, nec effugiet meritas pœnas. Pſal.118. ver. 153. & 143. ver.8.

II. Non ad fovenda, ſed ad componenda diſſidia inſtituta ſunt eccleſiaſtica Tribunalia: & Chriſtus Dominus, & Apoſtolus amicam compoſitionem, & noxarum remiſſionem potiùs ſuadent Fidelibus, quam forenſes diſceptationes, præcipuè ubi temerè itur in judicium. Id igitur Vicarii Generales primùm cordi habeant, & paternâ ſolicitudine procurent, ut ſi lites vitari, & componi non poſſunt, ſaltem habeant facilem exitum. Exulent fraudes, moræ, ambages, cæteræque Fori peſtes: nec civiles cauſæ irâ, odio, rixis exaſperentur. In noſtra Curia religioſa Juriſprudentia non degeneret in quæſtuoſam artem procurandi nummos cauſis extrahendis. Detractiones, diffamationes, jurgia, contentiones, verba turpia, vel mordacia acriter compeſcat Vicarius Generalis, & ſi quem hac in parte videat petulantiorem rabulam, exigat Curiâ, & Foro prohibeat. Si quæ erunt cauſæ ſummariæ, & parvi momenti miſerabilium perſonarum, Eccleſiarum, piorumque Locorum, quid æquum, quid optimum factu videtur, perſpiciat: fruſtratorias, & veteratorias dilationes præcidendo, ſine moroſioribus legum formulis, ſine tricis, ſine ſtrepitu judicii, ſolâ facti veritate inſpectâ, brevi manu, ſecundùm formam Canonum, & Sanctorum Patrum in-

Matth. 5. ver. 25. Luc. 12. ver. 18. 1. Cor. 6. ver. 1.

S. Bernar. de Conſid. lib. 1.

Cap. Dilecti Filii de Judic. inſtituta, expediat: cæteras quoque quamcitiſſimè poteſt, dirimat, & abſolvat, ne lis ex lite ſeratur. Nunquam tamen præcipiti utatur conſilio: ſed dentur termini à jure ſtatuti: maturè conſiderentur partium jura pro canonica deciſione: demum, utrâque parte ſatis auditâ, documentis, & argumentis utriuſque accuratè excuſſis, citra omne partis ſtudium, in timore Domini, per quem legum conditores, & interpretes juſta decernunt, menti, ac æquitati legum conſonam ſententiam ferat; memor, ſe pauperibus tutelam, ſed omnibus debere juſtitiam, nec ipsâ miſeratione à recto eſſe abducendum.

III. Ut audiret gemitus Compeditorum à ſummo Cælo egreſſus eſt Dominus: piæ igitur ſolicitudinis officia nunquam iis deſint, qui in carcere detinentur: crebra ſit, & frequens eorum Viſitatio, ut illis neceſſaria vitæ, & ſalutis præſidia ſuppetant. Deſignavimus pios Viros, qui in hanc curam incumbant, & neceſſitatibus eorum, tùm temporalibus, tùm ſpiritualibus proſpiciant: hos in Domino enixè hortamur, & commonemus, ut quibus poterunt miſerationis, & charitatis officiis eos recreent, qui in carceribus incluſi gemunt. Inquirant in Cuſtodis fidelitatem, & ſi in aliquo peccetur, ad Nos deferant, ſtatim proviſuros. Præcipuam habeant etiam ſalutis curam, ut ſacramenta percipiant, & aliorum Dei beneficiorum participes fiant. Quamvis autem hæc cura piis Viris ſit à Nobis commendata; non propterea

Pſal. 101. ver. 21.

rea tamen ab ea ſolutos volumus Officiales noſtros, in quos graviſſimè animadvertemus, ſi ſuo deſint muneri.

IV. Nec Laicus audeat de cauſis Clerici cognoſcere, nec Clericus in Laicum Judicem præſumat conſentire, ni velint in leges Eccleſiæ committere, & graviſſimis ab ea indictis pœnis ſubjacere. Clerici agere tantùm debent, & conveniri in Eccleſiaſtico Foro, cujus tanta erat plenitudo, ut quidquid cauſarum inter ſe Chriſtiani agerent ad ipſum produceretur, ex præcepto Apoſtoli, qui probro ducebat, quòd Fideles apud alios, quàm apud Sanctos, hoc eſt Sacerdotes litigarent. Multò magis id probroſum eſſet noſtris temporibus, quando Eccleſia potis eſt ſuam exercere libertatem, ſi nedum Laicorum, ſed Eccleſiaſticorum cauſæ ſeculari foro permitterentur. Ut igitur pro noſtri muneris debito, non inani auctoritatis oſtentatione, ſed nè Cleri dignitas vileſcat, eccleſiaſtici Fori libertatem, & juriſdictionem tueamur; immemorabilem noſtræ Eccleſiæ conſuetudinem confirmamus, & Conſtitutiones omnes Synodales, hac in parte editas à Reverendiſſimo Bentivolo in Tit. de Foro Eccleſiaſt. ab Eminentiſſimo Zacchia Cap. 53. ab Eminentiſs. Barbadico Cap. 34. noſtris Prædeceſſoribus, Nos quoque totidem conceptis verbis edicimus, repetimus, & innovamus.
„ Cùm cauſæ omnes ad Forum Eccleſiaſticum
„ quomodolibet pertinentes juxta Sanctorum Ca-
„ nonum, & Conc. Trid. Decreta coram Eccle-
„ ſia-

Cap. Decernimus de Judic. Cap. Si diligenti. Cap. Significaſti de For. compet. Can. Inolita, & ſeq. 11. q. 1.
L. 1. Cod. Theod. de Epiſc. Judic. Conc. Carthag. III. Can. 9. D. Aug. in Pſal. 118. & ep. 34.
1. Cor. 6, cap. 6.

„ ſiaſtico tantùm Judice cognoſci debeant; Hoſpi-
„ talium, cæterorumque Locorum Piorum Mini-
„ ſtris præcipimus, & mandamus, ne in ſupra-
„ dictis cauſis, ſive agendo, ſive excipiendo in
„ Foro ſeculari audeant comparere, nec in Laicæ
„ poteſtatis jurisdictione conſentiant, nam præter
„ pœnas etiam Cenſurarum, aliaſque arbitrarias,
„ Proceſſus, Acta, ac omnia inde ſecuta irrita,
„ & nulla declaramus. Sub eiſdem Cenſuris, &
„ pœnis noſtro arbitrio infligendis antiquam con-
„ ſuetudinem ſervari mandamus, qua Perſonæ
„ eccleſiaſticæ Laicos reos in noſtro Tribunali
„ hucuſque convenere. Si quis adeò fuerit teme-
„ rarius, ut juriſdictionem noſtram impedire
„ audeat, ſive præcepta, literas, & mandata à
„ Nobis, & à noſtra Curia emanata, quominùs
„ præſentari, & exequi poſſint, & Notarios,
„ Nuncios, Curſores, ne officium à Nobis, &
„ noſtra Curia injunctum obire valeant, directè,
„ vel indirectè, per ſe, aut per alios impedire, per-
„ turbare, vel detinere, auctoritate Laicali, præ-
„ ſumpſerit, ſciat ſe cujuſcunque gradûs, con-
„ ditionis, officii, & dignitatis fuerit tanquam
„ eccleſiaſticæ libertatis violatorem Excommu-
„ nicationem ipſo jure, aliaſque ſeveriſſimas
„ pœnas incurriſſe.

V. Cùm ex publicis monumentis petenda ſubinde ſit graviſſimarum cauſarum defenſio, inconcuſsâ fide, & accuratâ diligentiâ Acta omnia noſtræ Cancellariæ ſcribi, & ſervari mandamus. Si

Si caſu, vel ignorantiâ error aliquis irrepſiſſet, nonniſi coram Vicario noſtro Generali corrigatur. In ſchedulis, aut diſſolutis, ac ſeparatis foliis nil notent Notarii noſtri, ſed omnia Judicii Acta in ſuos referant Codices, in eos nimirùm, quos in Synodo Card. Zacchiæ Cap. 53. & in prima Card. Barbadici Cap. 34. præſcriptos habent: quorum librorum ſi quis deerit, pro ſingulis ſingulos aureos in pœnam reponent, & de ſuo damna inde ſecuta reſarcire tenebuntur. Acta, Proceſſus, Inſtrumenta, Scripturæ, & quæcunque alia ad Forum noſtrum ſpectantia documenta, in Archivio, ſuis digeſta locis, & debito ordine diſtributa, cuſtodiantur. Cuſtos Archivii nulli unquam credat claves: ſcripta cujuſcunque generis ſuâ tradat manu, ac nonniſi ſe ſpectante legenda permittat. Sine noſtra facultate nemini originales Scripturæ, & Proceſſus commodentur, ubi fieret à Nobis commodandi facultas, exigat acceptæ ſcripturæ teſtimonium; & ſaltem intra quindecim dies reportari procuret. Qui ſecus egerint pœnas luent graves, etiam carceris. Omnium autem Proceſſuum, Scripturarum, & Jurium, quæ nunc reperiuntur in Archivio, fiat intra ſex menſes abſolutiſſimum Inventarium, ita ritè diſtinctum, & ordinatum, ut facili negotio cujuſque rei notitia, ubi opus fuerit, haberi poſſit. Semel factum continuetur in dies. Duo autem conſcribantur exemplaria, quorum unum in Archivio, alterum Nobis in noſtrum, & Succeſſorum uſum tradatur. Nul-

lus

lus audeat proceſſus, inſtrumenta, & quaſcunque alias ſcripturas ad Curiam, & Forum noſtrum ſpectantes delere, comburere, ſupprimere, ſurripere, & quocunque modo aſportare ſub pœna Excommunicationis Nobis reſervatæ ipſo facto incurrendæ, in quam etiam incident, qui nunc retinent aliquam ex prædictis Scripturis originalibus, ſeu Proceſſibus; niſi illa reſtituerint intra tres menſes computandos à publicatione hujus Synodi, quorum primum pro primo, ſecundum pro ſecundo, tertium pro tertio ultimo, & peremptorio termino, ac canonica admonitione aſſignamus.

CAPUT XVII.

De Vicariis Foraneis.

S. Auguſt. in Pſ. 118. & ep. 147.

Hanc curam, ut paſtoralis officii propriam, ſuſtinuerunt ſemper Epiſcopi, ut lites dirimerent, diſſidia componerent, crimina perſequerentur; ſed quia in hanc partem uſque ad faſtidium intenti alteri vacare non poterant, quæ in procuranda animarum ſalute poſita eſt: ad levandam Epiſcopi ſolicitudinem inſtituti ſunt Vicarii, ſeu Officiales, qui juri dicundo præſſent. Rati infra dignitatem ſuam eſſe graviora ſtudia omittere, ut ſecularibus negotiis immiſcerentur, hanc externarum rerum procurationem, & onus Epiſcopi reclinarunt in alios, qui eſſent cauſarum

Co-

Cognitores, & Judices. Cùm unus oneri par eſſe non videretur, in plures penſum dividere oportuit, & præter Urbicum Vicarium, in vicis, & pagis Parœciarum Foraneos quoque conſtituere, quibus leviora juriſdictionis negotia, veluti inferioribus Miniſtris relinquerentur. Sunt igitur

Cap. 2. de Offic. Ordinar. in 6. Clement. 2. de Reſcript.

I. Vicarii Foranei & ipſi oculi, & manus noſtræ paſtoralis ſolicitudinis, qui pro ſuo modo plebes in officio continere debent, & in vitam Conſacerdotum ex noſtro juſſu, & auctoritate inſpicere, ne neglectu ac violatione ſacrarum legum in mores, & diſciplinam irrepant abuſus. Multa in hac noſtra Synodo hâc illâc ſunt ſparſa, quæ, ut ſuo defungantur officio, noſſe debent, & cuſtodire: & quia nullus legum eſt uſus, ſi non ſit, qui illarum immineat executioni, toto ſtudio ſeſe priùs irreprehenſibiles exhibeant, ne in quo alium judicant, ſeipſos condemnent: deinde ſine perſonarum acceptione, ea omnia exactè exequantur, quæ à Nobis, vel Vicario noſtro Generali eorum fidei, & diligentiæ committuntur. Hac de cauſa ſuas patentes Literas ſæpe conſulant, ut intra ſuos ſe limites contineant, & deprehendant, ad quæ munia eorum extendatur auctoritas. Cauſas civiles ad Forum Eccleſiaſticum ſpectantes, uſque ad ſummam ſcutorum trium conſuetis juris modis dirimant: in gravioribus ſine noſtra licentia judicia exercere non præſumant, nec data poteſtate, ſecus quàm decet, utantur. Si delictum aliquod in eorum Vicaria perpetratum

Roman. 2. ver. 1.

fuerit, audiant Offenſorum accuſationes, & querelas, depoſitiones quoque Teſtium excipiant, & per fidelem Nuncium ad Curiam noſtram tranſmittant. Quia à Supremo S. Inquiſitionis Tribunali hæc poteſtas facta eſt Epiſcopis, ut Vicariis Foraneis ſubdelegare poſſint facultatem examinandi Teſtes, qui pro contrahendis Matrimoniis inducuntur, damus in Appendice Inſtructionem ſervandam in excipienda illorum depoſitione.

Appen. num. XXX.

Trid. ſeſſ. 21. cap. 9. Cap. Cum ex eo de Pœnit. & remiſſ. Clement. Abuſionibus eod. tit.

II. Quia corrupto hoc ſeculo multi ſub vana pietatis ſpecie corpori potiùs, quàm animæ otium quærunt, & ſalutem; neminem per Vicos, & Oppida quacunque ratione, aut pio prætextu quæſtuare permittant, Regularibus illis exceptis, qui ſuorum Monaſteriorum nomine mendicant, niſi à Nobis impetratam facultatem in ſcriptis exhibeant. Eremitas in aliqua Eccleſia, vel Capella commorari, nec eremiticam veſtem deferre patiantur; ſi quem horum ita quæſtuantem, aut ſine noſtra facultate eremiticam veſtem deferentem reperiant, expellant, & ſi monitus mandatis non paruerit, rapiendum curent ad carceres. Ubi autem, aut noſtrâ auctoritate induerint habitum, aut aliunde cum habitu eremitico, impetratâ à Nobis facultate, & Eremitorio aſſignato, in noſtram Diœceſim erunt admiſſi, tùm Vicarii Foranei, tùm Parochi in eorum vitam, & mores ſedulò inquirant, eoſque ad Nos deferant, ut anachoreticæ vitæ minùs obſervantes à noſtris finibus quantocyùs exigamus.

Can. Quidam 16. q. I.

III. Cau-

III. Cauponas item, & domos, quas locandas vocant, percurrant viſuri, an in eis admiſſæ ſint proſtratæ pudicitiæ Fœminæ, ne ex prava illa, & nefaria occaſione, ubi ad eas divertunt Viatores publicè pereant in via. Non ſolùm Concubinarios, de quibus ſupra egimus, ſed Mulieres quaſcunque de meretricia labe graviter ſuſpectas, tùm ipſi, tùm Parochi Nobis, vel Vicario noſtro Generali deferre non prætermittant, ut per opportuna remedia providere poſſimus: ipſis domorum Locatoribus graves, etiam carceris pœnas comminamur. Sciant Nos in damnata conſortia per viam inquiſitionis, nemine etiam accuſante, eſſe proceſſuros. Quoniam verò nefariâ Lenonum arte ejuſmodi mala irrepunt, & inoleſcunt, ſi quæ erunt alienæ libidinis Mediatrices, eas ad noſtram notitiam deducant, ut juris regulis ſervatis graviſſimis pœnis, juxta Apoſtolicas Sanctiones puniamus. Diobolares, & vagæ Fœminæ, quæ ut de corpore nefandum faciant quæſtum, aut in privatas aliquas domos, aut apud Cauponas divertunt, à Satellitibus, quoties compertæ fuerint, etiam ſine mandato, rapiantur in carceres.

Lib. 2. Cap. ult. Leo X. Conſt. Primitiva §. 21. Trid. ſeſſ. 24. cap. 8. & ſeſſ. 21. cap. 14.

Paulus IV. in Conſt. Sanctiſſimus. Sixtus V. in Conſt. Ad compeſcendum.

Digitized by Google

CAPUT ULTIMUM.

De Vita, & Honeſtate Clericorum.

Luc. 2. ver. 34.
S. Bernard. ſerm. ad Paſtor. in Syn.
Euſeb. hom. 10. ad Mon.
Tit. 2. ver. 7.
2. Cor. 6. ver. 3.
Trid. ſeſſ. 22. cap. 1.
1. Cor. 7. ver. 34.
Prov. 24. ver. 32.
Matth. 13. ver. 41.
S. Bernard. ſer. 1. de Conv. S. Pauli.

Vita, & Mores Eccleſiaſticorum cæteris in exemplum poſiti, ſemper erunt in reſurrectionem, aut in ruinam multorum. Vix ſoli interire poſſunt, aut ſalvari; aut enim cum plurimorum deſtructione ſe perdunt, aut cum plurimorum ædificatione ſe redimunt. Ad omnes igitur promiſcuè eccleſiaſticos Viros ſpectat, quod Tito præcipit Apoſtolus, in omnibus te ipſum præbe exemplum bonorum operum, ut is qui ex adverſo eſt, nihil habeat malum dicere de nobis, nec vituperetur miniſterium noſtrum. Nihil eſt, quod alios magis ad pietatem, & Dei cultum aſſiduè inſtruat, quàm eorum vita, & exemplum qui ſe divino miniſterio dedicarunt; in eos enim tanquam in ſpecula reliqui oculos conjiciunt, ex eiſque ſumunt, quod imitentur, quapropter ſpiritu, & corpore Sanctos eſſe oportet Sacerdotes, omnemque vitam, & mores ita componere, ut qui vident, ponant in corde ſuo, & exemplo diſcant diſciplinam. Scandala omnia de Regno Dei, hoc eſt de Eccleſia colligamus, ne improba Sacerdotum converſatio, ſit miſera Dominicæ plebis ſubverſio.

I. Firmiſſimè inhærentes Conc. Tridentini, anti-

Digitized by Google

antiquorum Canonum, necnon Prædeceſſorum noſtrorum Sanctionibus abuſum brevioris veſtis, quæ talaris non ſit, Eccleſiaſticis, Beneficiatis, & in ſacris conſtitutis interdicimus, & vetamus; ita ut nemo, quicunque ille ſit, extra privatas ædes prodire poſſit in publicum ſine oblonga veſte ad talos uſque demiſſa, ſub pœna juliorum quinque in ſingulas tranſgreſſiones; nec brevi, & decurtatâ ad Aras in celebranda Miſſa uti, ut ſupra conſtitutum eſt in Cap. de Celebr. Miſſarum, ſub pœna aureorum decem, & aliis arbitrariis. Ubi iter emetiendum eſſet, à talaris veſtis gerendæ neceſſitate abſolvimus, & uſum brevioris indulgemus; imò in Pagis hunc uſum permittimus quoque Clericis in minoribus conſtitutis, ſed ea ſit Veſtis, quæ defluat ad medias tibias, & eccleſiaſticam modeſtiam deceat, & gravitatem. Induſia in extremis oris, quibus ſe produnt, pinnata, vel ſinuata diſtrictè prohibemus, ſicut & cætera omnia, quæ cultum præſeferrent ſecularis habitûs, cujus ignominiam depoſuerunt, ubi veterem hominem exuerunt, ut novum illum induerent, qui ſecundùm Deum creatus eſt. Vicariis noſtris Generalibus in Civitatibus, Foraneis in Diœceſi mandamus, ut hac in parte eccleſiaſticam diſciplinam relaxari non patiantur; pœnas inexorabiles exigant, & omnem ſeculi vanitatem à noſtro Clero excidi procurent. Detonſus circulus in ſummo capitis apice regalis Chriſti Sacerdotii eſt inſigne ornamentum, & Sacerdotibus indicitur, ut etiam qua-

Conc. Trid. ſeſſ. 23. cap. 6. ſeſſ. 14. cap. 6. Sixtus V. In Conſt. Cum ſacroſanctam.

Conc. Carth. IV. can. 45. Agath. can. 20. Trull. can. 47. Cap. Clerici hoc tit.

comæ depoſitio, & religioſi habitûs aſſumptio Clericatûs profeſſionem declarat, ſic contra, qui comam nutrit, & eccleſiaſticum habitum deponit, videtur ad ſeculum velle redire. Noverint igitur omnes, quòd ex præſcripto Conc. Trident. Fori privilegio non gaudent, qui clericalem habitum, & tonſuram non deferunt, & per ſuſpenſionem ab Ordinibus, imò etiam per privationem officiorum, & beneficiorum coerceri poſſunt, & debent, ſi moniti, & correpti honeſtum habitum clericalem, juxta noſtram ordinationem, & mandatum non detulerint. Neque enim par eſt, ut pedem in diverſis ponant, alterum in divinis, alterum in carnalibus, & habitu, & comâ Milites, quæſtu verò Clerici, actu neutrum exhibeant: neque pugnent, ut milites: neque incedant, & evangelizent ut Clerici.

Conc. Trid. ſeſſ. 23. cap. 6. & ſeſſ. 14. cap. 6.

S. Bernard. de Conſid. lib. 3.

III. Nefas eſt, qui ad Aram hoſtiam laudis Deo offert, mimum agere in compitis, & plateis. Clericus qui quocunque tempore, etiam nocturno in conſpectu Populi decus faceret clericale vileſcere, & per plateas, aut publicè quomodolibet citharas, vel alia id generis inſtrumenta pulſare, profana cantica modulari, aliis canentibus, vel choreis ducentibus ſe comitem inſerere, aut bacchanalem larvam in veſtimento ſtultitiæ induere non erubuerit, graviſſimâ etiam carceris pœnâ punietur. Sal Terræ infatuatum in faſcinatione nugaci ad nihilum valet ultra, niſi ut conculcetur ab hominibus. Ne auditus, & obtutus ſacris myſteriis depu-

Cap. Cum decorem hoc tit.

Matth. 5. ver. 13. Conc. Agath. can. 39 Can. Nullus diſt. 88. Can. His igitur diſt. 23. Conc. Trull. Can 51. Carth. III. Can. 11. Can. Non oportet de Conſec. q. 5.

deputati turpi ſpectaculo irritamenta malorum concipiant, interdictum ſit Sacerdotibus, & Clericis Comœdiis, Scenicis ludis, Spectaculis, & aliis hujuſmodi voluptatibus ſeculi etiam ſpectatores adſtare. Occluſæ item ſint illis Tabernæ, & Cauponæ, niſi fortè in itinere conſtituti ad eas divertere cogerentur; qui citra neceſſitatem in hanc legem peccabit, pro modo culpæ, arbitrariâ pœna punietur.

Can. Clerici hoc tit.

IV. Mortui eſſe debent Mundo Sacerdotes, & vita eorum abſcondita cum Chriſto in Deo: alioquin ſi commiſceantur inter gentes, ita opera eorum diſcent, ut in quibuſdam nil videris Sacerdotis præter nomen: adeo ſeculum olebunt, & loquentur: Fugiant igitur omni ſtudio tanquam ſuæ dignitati, & ſaluti exitialem Laicorum familiaritatem, & neceſſitudinem; indecorum ſanè eſt videre lapides Sanctuarii diſperſos in capita omnium platearum, & cùm fieri minimè poſſit, ut inter has conſuetudines aliquid, aut facto, aut verbo non elabatur minùs prudens, & religioſum; inde oritur, ut nulla dein fides verbis, nulla monitis auctoritas, nulla fiducia; cùm nemo ei facilè committat regendam Animam, quem ſui ſimilem obſervat. Intra domeſticos parietes, & ſacras ædes ſe contineant, nec unquam ſecularibus ſeſe immiſceant negotiis; quòd ſi eò animum intendere cogat neceſſitas ex charitate orta, ſuæ ſemper meminerint dignitatis, & Deum ſibi in omnibus ſtatuant Inſpectorem, & Judicem. Ad nu-

Coloſſ. 3. ver 3. Pſal. 105. ver. 35.

Thren. 4. ver. 1.

nuptialia convivia nunquam aſſideant. Melius eſt ire ad domum luctûs, quàm ad domum convivii, & Conſolatores in mæroribus, non Convivas in proſperis eſſe decet Sacerdotes. Convivia publica fugiant: privata non tantùm pudica, ſed & ſobria colant: quare frugali victu contenti, modum quoque ſtatuant privatis Menſis, eaſque, ſi fieri poteſt, condiant ſpirituali lectione: potus, & eſca non ſunt regnum Dei. Meminerint commodatam ſibi pauperum procurationem: Diſpenſatores ſe agnoſcant, qui ſaltem, ubi ipſi paſti ſunt, debent de pauperibus cogitare. Si quem perſpiciemus in ſeculares mores magis effuſum, opportunis remediis avocare curabimus, & niſi meliorem induat mentem, nunquam ad eccleſiaſtica officia promovebitur, ut ſaltem minùs conſpicui ſint, qui pravo hoc infecti ſunt morbo.

Eccl. 7. ver. 3.
Iſidor. de Offic. Eccl. lib. 2. cap. 2.
Trid. ſeſſ. 21. cap. 2.
Rom. 14. ver. 17.

V. Aliis providus, ſeipſum non negligat Sacerdos; neque enim aliis bonus eſſe poteſt, qui ſibi nequam eſt. Vanis, & alienis cogitationibus non raró diſſipatus animus ſeipſum in ſpiritualibus exercitiis colligat neceſſe eſt, ne creſcat ad extinctionem ſpiritûs diſſipatio. In hoc pietatis officio ſpeciem nobis præbuit, formam præſcripſit, quam debemus æmulari ipſe Chriſtus Dominus, qui frequens in ſolitudinem ſecedebat, ut oraret. Ut lucem de Cælo ſancto ſuo infundat, & ad Cor loquatur, per altam ſupremi ſui in Terris Vicarii vocem, omnes vocat Deus in hanc ſolitudinem Sacerdotes: audiant Noſtri verba oris ejus, qui

Eccl. 14. ver. 5.
S. Ambroſ. in cap. 4. Luc.
Oſeæ 2. ver. 14.

per encyclicas literas pro eximio, quo flagrat; omnium ſalutis zelo, vehementer ſe optare profeſſus eſt, ut ſaluberrimum Spiritualium exercitiorum opus ubique locorum frequentetur, & vigeat. Majore quo poterimus ſtudio illud in noſtra Diœceſi promovere ſatagemus. Univerſo Clero Nobis ſubjecto dedimus & Nos Epiſtolam Paſtoralem: at iterum monemus, & enixè hortamur in Domino, ut pia illa exercitia per decem dies quotannis peragat. Ut alacriùs ad hujuſmodi ſeceſſum conveniamus, plenariam indulgentiam peccatorum miſericorditer elargitur Summus Pontifex. Beneficiis invitare maluit, quàm pœnis compellere, ut non jubente lege, ſed ſuadente charitate, magis acceptum eſſet hoc pietatis officium.

Appen.num.XXXI.

S.Auguſt. de Adult. Conjug. cap. 14.

VI. In veſtem Domini ſortem mittunt, qui aleis, & taxillis ludunt Sacerdotes. Arctiſſimè igitur hos ludos, in quibus menti inſanæ, & feræ, impatientiæ, perfidiæ, ac perjuriorum datur occaſio, tanquam ſanctitati, & gravitati eccleſiaſticæ indecoros, & exitiales noſtris Clericis vetamus, cùm in ipſis Laicis ſint deteſtandi. Si quis in hanc legem privatim deliquerit luet in ſingulas tranſgreſſiones julios quinque, dimidium luent qui præſentes aderunt Luſoribus, neque enim tantùm ad tabulas, & teſſeras ludere nolumus Clericos, ſed aliis quoque ludentibus participes, & inſpectores fieri prohibemus. Si eò temeritatis quis deveniret, ut luderet in publico, primâ vice dabit pœnam

Can.41.&42.Apoſt Conc.Trull.can.10. Illiber.Can.78.Can. His igitur diſt. 23. Can Nullus diſt.44. Cap.Clerici hoc tit. S. Cypr. de Alcat. cap.2.

nam aureorum quinque, duplicabitur autem, & augebitur, ni reſipuerit, & creſcente contumaciâ, etiam carceri mancipabitur, ſi monitus à prava conſuetudine non deſiſtet; graviùs adhuc punietur ſi domi, aut ſuæ, aut ab ſe conductæ publicum ludendi commodum præberet, & luſoriam veluti Tabernam aperiret. Publicus cenſebitur locus Aromataria, Tonſtrina, & quælibet officina etiam clauſis foribus, nec non quilibet alius locus, ubi ſeptem erunt Adſtantes: in hac cauſa per inquiſitionem procedi poſſe mandamus; ita ut ſi duo Teſtes fide digni deponant de culpa, poſſint delinquentes condemnari.

VII. Eccleſia, quæ ſanguinis effuſionem exhorret, averſatur & arma, nec aliam armaturam indui vult à Sacerdotibus, quàm armaturam Fidei, & Orationum, ut non doceant manus ſuas ad prælium, ſed labia ad preces, oculos ad lacrymas: Nemini igitur liceat, ne in Venationem quidem non clamoſam, ſine noſtra licentia armis uti, etiam prætentâ itineris occaſione, ſub pœna, pro armorum qualitate, arbitraria, etiam triremium, ſi ejus generis ſint arma, quibus à ſeculari lege capitalis pœna indicitur. Pauli præceptum Clericos percuſſores eſſe vetat; nec in ſui tuitionem indigent armis ii, quos Dominus, ut pupillam oculi cuſtodit, & tutiſſimum habent præſidium in conſcientia bona. Si ſuæ profeſſionis ordinem, & gratiam divinæ vocationis attenderent, ab omni venandi ſtudio alieni eſſent, quibus præ-

Cap. Clerici hoc tit. Clement. 1. de Stat. Monach. & unic. de Exceſs. Prælat.

Cân. Non pila 23. q. 8.

Conc. Epaon. can. 4.

Digitized by Google

ſtantius aliud venandi genus incumbit, licèt venatio, quæ fit aucupio, viſco, laqueis, & avibus illicibus vetita non legatur, ſicut diſtrictè prohibentur eæ, quæ dicuntur clamoſæ, & ſylvaticæ vagationes: Non eſt bonum ſumere panem Filiorum, & dare canibus.

Can. Quorundam, & ſeq. diſt. 34. Tit. de Cler. Venat. lib. V. Decretal.

VIII. Non patitur Dominus in Templum mercaturam induci, & ſolùm de lucro animarum cogitare vult Sacerdotes, quorum ipſe pars eſt, & hereditas: Eſto igitur liceat Clericis agrorum ſuorum, & redituum curam gerere, ut habeant, quo ſuſtententur: nefas tamen eſt illis ſecularium fieri Conductores, Villicos, profanas agentias, mercaturas, negotiationes exercere. Arbitrarias pœnas præter illas, quæ in Sacris Canonibus contra Clericos negotiatores conſtitutæ ſunt, dabunt pro modo publicitatis, & contumaciæ, qui quocunque quæſito colore Mammonæ ſervi, venundati ſub peccato, indecoro hoc miniſterio ſacræ dignitati notam inurere non verebuntur: caveant ne ſe profanis negotiis immiſcentes Clericalibus privilegiis abutantur. Et quia res eſt plena periculi, & curarum litium procuratio, Eccleſiaſticos Viros in Tribunalibus Laicis cauſas agere, & perſequi, advocare, vel patrocinari, ſine noſtra licentia vetamus. Pauperum tuitionem non avaritiâ, ſed pietate impellente ſuſceptam probamus. Labor mentis potiùs, quàm labor manuum apud Clericos eſſe deberet in pretio, & ad depellendas otioſitatis illecebras, meditari deberent in lege Domini die,

Can. 6. &c. Apoſt. Conc. Nicæn. can. 17 Carth. IV. can. 67. &c. Can. Clerici, & ſeq. 14. q. 4. Can. Pervenit, & ſeq. 21. q. 3. Cap. Clerici, & ſeq. hoc tit. Tit. Ne Cleric. &c. in III. Decret.

Petr. Bleſen. ep. 17.

Conc. Lateran. III. can. 12. Cap. Cum Sacerdotis de Poſtul.

Digitized by Google

die, ac nocte: at quia danda eſt animis quandoque remiſſio;ſi ab oratione, ſtudio, & aliis ſacris officiis aliquid temporis vacuum erit; brevi, modico, & honeſto labore, & manuum exercitio fallere poterunt otium: meminerint tamen indecorum eſſe ſacras Deo manus ſordeſcere in cultu frumenti, vini, & olei ſui.

IX. Clericus, quiſquis ille ſit, à muliere, quæcunque illa ſit, debet ſibi metuere; multi enim propter ſpeciem mulieris perierunt. Quam ob rem omnes quaſvis mulieres ſine ulla diſtinctione, unà cum Clericis ſub eodem tecto habitare prohibuerunt plures ex antiquis Canonibus, ita ut ne ætate quidem provectas ab ea lege vellent immunes: & Sanctiſſimi Viri ne propinquo quidem gradu cognatas fœminas domeſtico in contubernio patiebantur, quòd iis ſaltem diffiderent, quæ hac de cauſa ædes poterant frequentare. Incautæ præſumptionis eſt, quod fortis pavet, minùs validum non timere. Nemo igitur hac in parte ſibi fidat, & quia ubi deeſſet periculum, non vacat offenſio, non ſolùm ab omni malo, ſed ab omni ſpecie mali abſtineant Clerici, ne qui in obliquiorem ſuſpicionem prono ſunt animo, peſſima quæque de illis narrare poſſint, aut ominari. Sciant igitur hanc ſibi indictam eſſe legem, ut ne ad domeſtica quidem ſervitia in ſuas ædes ex qualibet cauſa recipere poſſint cohabitatrices Mulieres, exceptis illis, quæ arcto conſanguinitatis, & affinitatis gradu junctæ ſunt, in quibus jura ſanguinis, & fœdera nihil

Eccl.9.ver.1.

Conc.Nicæn. can 3. Agath.can. 10. Milev.can. 27.

Greg. lib.7.ep.39.

1. Theſſ.1. ver. 21.

Can.Volumus. Can Oportet. Can. Fœminas diſt 81. Cap. Inhibendum, & ſeq. de cohabit. Cleric. & Mulier.

nihil permittunt ſævi criminis ſuſpicari. Si quam aliam, vel conſanguineam, vel affinem admittere velint, Nos pro impetranda licentia adeant, quam certiſſimò non obtinebunt, ſi ea ſit Mulier, de qua minùs æqua ſuboriri poſſit ſuſpicio. Famula autem morum probitate commendata ætatem quinquaginta annorum excedat; quod intelligi volumus etiam de illa, quæ ad ſervitium admittitur Conſanguineorum, cum quibus convivunt Eccleſiaſtici. Nullus item docere audeat puellas, aut Mulieres legere, ſcribere, canere, niſi veniâ à Nobis impetratâ. Qui in his deliquerit, vigintiquinque aureorum pœnâ mulctabitur, & aliis arbitratu noſtro juxtà casûs qualitatem, ſi monitus non paruerit. Graviori verò etiam carceris corripientur, qui cum Fœminis ſiniſtræ famæ diverſari, confabulari, aut ſuſpecta loca adire non erubeſcent. Vicarii Foranei in hæc omnia diligenter exquirant, Nobis, quidquid emerſerit, ſub pœna amotionis ab officio relaturi.

DE-

Declarationes in Synodum.

DUximus tandem pro noſtra tenuitate, Deo bene vertente, ad optatum finem noſtras Synodales Conſtitutiones: at quia non Auditores tantùm, ſed Factores Legis juſtificabuntur apud Deum, illud ſupereſt adhuc omnium maximè neceſſarium, nimirùm Executio. Hanc urgent pœnæ, quæ ſemper habitæ ſunt Legum præſidia: At quia timorem pœnæ qui incutit, amorem culpæ non excutit, obſecundaturi amoris ingenio, paucas admodùm pœnas noſtris Conſtitutionibus adjecimus, quia à dilectiſſimo noſtro Clero, & Populo non ſervilis ingenii obedientiam, quæ ultra metum non progreditur, ſed liberalem ab amore, & ratione ductam obſervantiam jure meritò ſperamus. Imò quamvis pro ea, qua proſequimur noſtros Prædeceſſores veneratione, omnia eorum Synodalia Decreta, quatenus noſtris præſentibus non adverſantur, confirmemus, & in ſuo vegeto robore permanere velimus, & mandemus, ne terminos antiquos tranſgrediamur, quos poſuerunt Patres noſtri; adhuc tamen omnes, & quaſcunque Cenſuras à præfatis noſtris Prædeceſſoribus, imò & à Nobis aliàs inflictas, aut comminatas revocamus, eaſque ſolùm afficere volumus, quæ in præſenti Synodo erunt, aut promulgatæ, aut confirmatæ, donec aliter per Nos, aut Succeſſores noſtros proviſum fuerit.

Quia

Quia verò abjectiores animos ſolus metus continet in officio; ita ut ſi pœnarum ſperent effugium, legum contemnant imperium: Ut omnis delinquendi occaſio Contumacibus adimatur, decernimus, & declaramus, ubi nulla appoſita eſt pœna, in ſingulis iiſdem Decretis, & Conſtitutionibus Nobis, ac Succeſſoribus noſtris reſervatam eſſe plenam facultatem, & poteſtatem addendi pro arbitrio, & exigendi præter pœnas, quæ à Jure fuerint ſtatutæ, eas omnes, tùm pecuniarias, tùm corporis afflictivas, quæ delicto, & inobedientiæ convenire videbuntur. Imo ſupradictas omnes pœnas, tùm corporeas, tùm pecuniarias, tùm ſpirituales minuendi, vel ex integro remittendi, & condonandi, licet alicui pio loco eſſent ſpecialiter deſignatæ, haſque præſentes Conſtitutiones corrigendi, addendi, alterandi, aut cum ſubditis noſtris ſuper iis diſpenſandi, prout ſecundùm æquitatis rationem, aut Caſuum exigentiam expedire in Domino judicabimus, Nobiſmet facultatem reſervamus. Pœnæ autem pecuniariæ omnes ſemper, & ubique intelligantur piis uſibus, aut locis applicandæ, & erogandæ, quamvis de hac applicatione facta non ſit mentio ſpecialis.

Pro Conſcientiarum quiete illud etiam addimus, nempè à Nobis editas has leges, ut peccata vitentur, & Satanæ vincula ſolvantur, non ut novi animabus Nobis commiſſis laquei injiciantur; Quare decernimus, & declaramus in iis, quæ noſtræ ſunt auctoritatis per noſtras Conſtitutiones,

&

& Decreta, ſive præcipiant, ſive vetent illam obligationem minimè induci, quæ Prævaricatores ad mortalem culpam obſtringat, niſi id ſecum de ſui natura, aut de jure ferat gravitas materiæ, aut pro ejus obſervantia addatur præceptum Sanctæ obedientiæ, aut dicatur graviter oneratam eſſe delinquentis Conſcientiam, vel in tranſgreſſores indignationem Omnipotentis Dei, Suſpenſionem, ſive Excommunicationem comminemur, aut infligamus, vel contemptus, pertinacia ſcandalum grave, & lethalem criminis reatum inducant. Quotieſcunque in his Synodalibus Conſtitutionibus reperitur appoſita pœna ſuſpenſioni,s ſemper illius abſolutionem intelligimus, & volumus Nobis reſervatam, non item pœnam Excommunicationis à Nobis,&non à Jure latam,ubi nulla reſervationis ſit mentio.

Harum Conſtitutionum Codicem, quando Typis erit impreſſus, apud ſe habeant, & retineant illi omnes, ad quos pertinet: poſt duos autem ab hac promulgatione Menſes obligare incipiant; ita ut ſub pœnis ibidem ſtatutis ab omnibus, & ſingulis obſervari debeant, ac ſi forent unicuique perſonaliter intimatæ. Si quid dubium, ac difficile in illis emergeret, quod explanatione, aut interpretatione indigeret, nemo id ſibi privatâ arroget auctoritate, quia pro ea, qua fungimur poteſtate, omnem in his Conſtitutionibus declarationem, explicationem, interpretationem Nobis reſervamus, ſalvâ ſemper auctoritate Summi Pon-

tificis, & Catholicæ Romanæ Eccleſiæ omnium Eccleſiarum Matris, & Magiſtræ, cujus judicio, & correctioni Nos omnia, & ſingula, quæ in præſenti Synodo continentur majori, qua poſſumus, animi ſubmiſſione humillimè, & obſequentiſſimè ſubjicimus.

OFFICIALES CLERI.

Judices Synodales.

Reverendiſs. Abbas Sebaſtianus Antonini J. U. D. Protonotarius Apoſt. in Civitate Montisfaliſci Vicarius Generalis.

Admod. RR. DD.

Abbas Lucas Cornelius J. U. D. Protonotarius Apoſt. Decanus Eccleſiæ Cathedralis ejuſdem Civitatis.

Petrus Paulus Riccardi J. U. D. Protonotarius Apoſt. Archidiaconus Eccleſiæ Cathedralis Corneti.

Nicolaus Cæſarei J. U. D. Præpoſitus ejuſdem Cathedralis Eccleſiæ.

Laurentius Fedeli J. U. D. Canonicus Pœnitentiarius Eccleſiæ Cathedralis Montisfaliſci.

Michael Angelus de Leonardis J.U.D.Canonic.Pœnitent. Eccleſiæ Cathedralis Corneti.

Philippus Vittorj J. U. D. Canonicus Eccleſiæ Cathedralis Montisfaliſci.

Fidentius Politi J. U. D. ejuſdem Eccleſiæ Cathedralis Canonicus Theologus.

Exa-

Examinatores Synodales.

Reverendiſs. Abbas Sebaſtianus Antonini J. U. D. Vicar. Generalis anted.

Admod. RR. DD.

Abbas Lucas Cornelius Decanus antedictus.
Petrus Paulus Riccardi Archidiaconus anted.
Abbas Alexander Mazzinellius Sacriſta Eccleſiæ Cathedralis Montisfaliſci, & in Seminario Studiorum Præſes.
Nicolaus Cæſarei Præpoſitus anted.
Angelus Blaſini Archipresbyter Eccleſiæ Cathedralis Montisfaliſci.
Franciſcus Ricci Archipresbyter Eccleſiæ S. Leonardi Corneti.
Carolus de Nobilibus Canonicus Eccleſiæ Cathedralis Montisfaliſci.
Bonaventura Verdutj ejuſdem Eccleſiæ Canonicus.
Laurentius Fedeli J. U. D. Canonicus Pœnitentiarius ejuſdem Eccleſiæ.
Fidentius Politi J. U. D. Canonicus Theologus ejuſdem Eccleſiæ, & in Seminario Theologiæ Moralis Lect.
Antonius Faliſci Canonicus ejuſdem Cathedralis, & in Seminario Philoſophiæ Lector.
Michael Angelus de Leonardis Canonicus Pœnitentiarius Eccleſiæ Cathedralis Corneti.
Franciſcus de Angelis in Seminario juris utriuſque Lector, Canonicus modò Cathedralis Montisfaliſci.
Julius Duchetti Eccleſiæ Cathedralis Montisfaliſci Canonicus ſupranumerarius Coadjutor.

RR. DD.

Riccardus Daniel d' Ocnor Rector Seminarii, ac Sacræ Theologiæ Doctor.

Joſeph Griſconj J. U. D. & in Seminario Confeſſarius.

Joannes Bartholomæus Duranti LectorArtis Rhetoricæ in eodem Seminario.

PP.

Magiſter Bartholomæus Auguſtinus Bartoloccj Ordinis Eremit. S. Auguſt.

Magiſter Joſeph Frezza Ord. Min. Conv. S. Franciſci.

Magiſter Vincentius Pallavicini ejuſdem Ordinis.

Baccalaureus Lucas Antonius Miſelli Ord. Erem. S. Aug. & Prior Vener. Convent. ejuſdem Ord. Montisfaliſci.

Hieronymus Sterparelli ejuſdem Ord. Prior Ven. Conventûs S. Marci Corneti.

Baccalaureus Jo: Franciſcus Franceſchini Ord. Min. Conv. S. Franciſci.

Deputati pro Diſciplina Seminarii.

Admod. RR. DD.

Abbas Alexander Mazzinellius Sacriſta anted.
Angelus Blaſini Archipresbyter anted.

Pro adminiſtratione Oeconomica ejuſdem.

Admod. RR. DD.

Abbas Lucas Cornelius Decanus anted.
Bonaventura Verdutj Canonicus anted.

RR. DD.

Flavianus Durantini CappellanusBeneficiatus Capitularis Cathedralis Montisfaliſci.

Angelus Proceſſi Vic. Perpetuus Eccl. Paroch. S. Flaviani.

Præ-

Præfecti Doctrinæ Chriſtianæ in Civitate Montisfaliſci.

Admod. RR. DD.

Abbas Lucas Cornelius Decanus anted.
Abbas Alexander Mazzinellius Sacriſta anted.
Angelus Blaſini Archipresbyter anted.
Philippus Vittori Canonicus anted.
Julius Duchetti Canonicus anted.
Marianus Parentj Canonicus ſupranumerarius Eccleſiæ Cathedralis.
Parochi omnes.

Corneti.

Admod. RR. DD.

Petrus Paulus Riccardi Archidiaconus antedictus.
Nicolaus Cæſarei Præpoſitus anted.
Franciſcus Riccj Archipresbyter anted.
Ulyſſes Scalzj Canonicus Eccleſiæ Cathedralis.
Parochi omnes.

In Diæceſi.

Parochi omnes.

Advocatus Pauperum, & Locorum Piorum, Montisfaliſci.

Joſeph Vittorj J. U. D.

Procurator.

Ioſeph Nucci.

Advocatus Pauperum, & Locorum Piorum. Corneti.

Dominicus Antonius Martellacci J. U. D.

Pro-

Digitized by Google

Procurator.

Admod. R. D. Canonicus Bendusj Canonicus Eccleſiæ Cathedralis.

Advocatus Fiſcalis Curiæ Epiſcopalis Montisfaliſci.

Felix Gervaſi.

Advocatus Fiſcalis Curiæ Epiſcopalis. Corneti.

Nicolaus Bruſchi J.U.D.

Procutator Fiſcalis ejuſdem Curiæ.

Franciſcus Antonius Pacifici.

Reviſores onerum Miſſarum, & Computorum Confraternitatum, & Legatorum, ac Locorum Piorum Montisf.

Reverendiſſimus Abbas Sebaſtianus Antonini J. U. D. Vicarius anted.

Admod. RR. DD.

Bonaventura Verdutj Canonicus anted.
Marianus Parentj Canonicus anted.

RR. DD.

Dominicus Puglieſi Cappellanus Beneficiatus Capitular.
Franciſcus Gervasj Cappellanus Beneficiatus Capitular. Ceremoniarum Magiſter Synod.& in Seminario Grammaticæ Profeſſor.

RR.

Gabriel Politi Sacerdos.
Xaverius Mauritius Paoletti Sacerdos.

Cor-

Corneti.

Admod. RR. DD.

Nicolaus Cæſarei Præpoſitus anted.
Franciſcus Ricci Archipresbyter anted.
Franciſcus Martellacci Eccleſiæ Cathedralis Canonicus.
Franciſcus de Benedictis Canonicus ut ſupra.

In utraque Diœceſi.

Singuli Vicarii Foranei
Coadjutorem adhibeant ſeniorem Sacerdotem ſuæ Vicar.

Præfecti Eccleſiaſticæ Diſciplinæ.
Montisfaliſci.

Admod. RR. DD.

Angelus Blaſinus Archipresbyter antedictus.
Filippus Vittorj Canonicus anted.

RR. DD.

Galeazzius Galeazzi Rector Curatus S. Andreæ, nunc Canonicus ſupranumerarius Coadjutor.
Angelus Proceſſis Vicarius perpetuus Eccleſiæ Parochialis S. Flaviani.
Vincentius Piccionus Vicarius perpetuus ejuſdem Eccleſ.

Corneti.

Admod. RR. DD.

Secundianus Querciola Canonicus Eccleſiæ Cathedralis.
Franciſcus Nicolai Canonicus ſupranumerarius ejuſdem Eccleſiæ.
Joannes Baptiſta Bovj Canonicus ſupranumerarius ejuſdem Eccleſiæ.

Phi-

Digitized by Google

RR. DD.

Philippus Scalzi Curatus Eccleſiæ Parochialis S. Antonii.
Cæſar Paſſarini Curatus Eccleſiæ Parochialis S.Martini.
Marianus Mariani Sacerdos.

Viſitatores Hoſpitalium, & Carcerum Montisfaliſci.

Admod. RR. DD.

Laurentius Fedeli Canonicus anted.
Proſper Petruccj Canonicus ſupranumerarius Eccleſiæ Cathedralis.

RR. DD.

Joſeph Antonelli Eccleſiæ Cathedralis Cappellanus Beneficiatus ſupranumerarius.
Flavianus Durantini CappellanusBeneficiatus Capitularis ejuſdem Eccleſiæ.
Bernardus MetjCappellanusBeneficiatus ſupranumerarius ejuſdem Eccleſiæ.
Stephanus Bartholomide CappellanusBeneficiatus Capitularis ejuſdem Eccleſię.

DD.

Paulus Antonius Battilori.
Joſeph Ciuccj.

Corneti.

Admod. RR. DD.

Michael Angelus de Leonardis Canonicus anted.
Ulyſſes Scalzi Canonicus anted.
Fabritius Raffi Canonicus Eccleſiæ Cathedralis.
Stephanus Scacchia Sacerdos.

Pro Confeſſione Status Animarum utriuſque Diœceſis.

R. D. Ugo Antonius Urbani Illuſtriſs.Dom.Secretarius.

Ad

Ad promovendam à Beneficiatis, aliiſque Adminiſtratoribus Locorum Piorum confectionem Inventarii Bonorum, Decimarum, necnon notitiam Erectionis, Fundationis, & Onerum Beneficiorum quorumcunque.
Montisfaliſci.

Reverendiſs. Abbas Sebaſtianus Antonini J. U. D. Vicar. Generalis anted.

Admod. RR. DD.

Galeazzius Galeazzi anted.
Marianus Parentj Canonicus anted.

RR. DD.
Franciſcus Gervasj Cappellanus anted.
Angelus Proceſſi Vicarius perpetuus anted.
Vincentius Piccionus Vicarius perpetuus anted.
Jo: Baptiſta Marini Clericus Beneficiatus.
Clericus Simon Antonius Bartolocci Cancellarius Epiſc.

Corneti.

Admod. RR. DD.
Nicolaus Cæſarei Præpoſitus anted.

DD.
Franciſcus Riccardi J.U. D.
Gaſpar Scacchia J. U. D.
Antonius Ronca J. U. D.

Pro notitiis capiendis in creatione Cenſuum ad favorem Locorum Piorum, vel in emptione Bonorum ſtabilium.
Montisfaliſci, & Celleni.

Admod. RR. DD.
Bonaventura Verdutj Canonicus anted.

Laurentius Fedeli Canonicus Pœnitentiarius anted.
Antonius Faliſci Canonicus anted.
Marianus Parentj Canonicus anted.

Corneti.

Admod. ℞R. *DD.*

Petrus Paulus Riccardi Archidiaconus anted.
Ulyſſes Scalzi Canonicus anted.
Secundianus Querciola Canonicus anted.
Joannes Baptiſta Bovj Canonicus anted.

In Terris Gradularum, & Latera.

℞R. *DD.*

Philippus Vici J. U.D. Prior Eccleſiæ Collegiatæ S.Mari
Magdalenæ Terræ Gradularum.
Antonius Criſtophori ejuſdem Eccleſiæ Collegiatæ Can.
Rocchus Fanelli Canonicus ejuſdem Eccleſ.
Bernardinus Bizzarri Canonicus ejuſdem Eccleſię.

In Terris Valentani, Planzani, Teſſenani, & Arlena.

℞R. *DD.*

Jo: Baptiſta Martinetti Archipresbyter Eccleſiæ Colleg
S. Joannis Evangeliſtæ ejuſdem Terræ Valentani.
Franciſcus Maria Bruni ejuſdem Eccleſiæ Colleg. Canon
Torquatus Vitozzj J. U. D. & ejuſdem Eccl. Canonicus.
Nobilius Paoli Canonicus ejuſdem Eccleſiæ.

In Terris Marthæ, & Capitis-Montis.

RR. DD.

Petrus Paulus de Monte Præpoſitus Eccleſiæ Collegiatæ
S. Marthæ.
Liberatus Soldatini Canonicus ejuſdem Eccleſiæ.

In

In Terris Cryptarum, & S. Laurentii.

RR. DD.

Jacobus de Mattis Archipresbyter Eccleſię Collegiatę S. Joannis Baptiſtę Cryptarum.
Jo: Pamphili ejuſdem Eccleſię Canonicus.
Morgantinus Chriſtophori Canonicus.
Angelus Sebaſtiani Curatus Eccleſię Parochialis S. Petri ejuſdem Terrę.

Pro Confectione Inventarii Cancellariæ Epiſcopalis Montisfaliſci.

Reverendiſſimus Abbas Sebaſtianus Antonini J. U. D. Vicarius anted.

Admod. RR. DD.

Marianus Parentj Canonicus anted.

RR. DD.

Joannes Felix Parentj Presbyter.
Joannes Baptiſta Marini Clericus anted.
Clericus Simon Antonius Bartollocci Cancellar. anted.

Corneti.

Admod. RR. DD.

Nicolaus Cęſarei Prępoſitus anted.

RR. DD.

Joann. Peracha Curatus Eccleſiæ Parochialis S. Pancratii.
Philippus Scalzi Curatus anted.
Matthias Martellacci Cancellarius Epiſcopalis Curiæ in eadem Civitate.

Examinatores pro Cantu Gregoriano.
Montiſfaliſci.

Admod. RR. DD.

Bonaventura Verdutj Canonicus anted.
Proſper Petrucci Canonicus anted.

RR. DD.

Joſeph Antonelli Cappellanus Beneficiatus Eccleſiæ Ca-thedralis.
Dominicus Bruni Cappellanus Beneficiatus ſupranumera-rius Eccleſiæ Cathedralis.

Corneti.

Admod. RR. DD.

Secundianus Querciola Canonicus anted.
Franciſcus de Benedictis Canonicus anted.

Pro Adminiſtratione Oeconomica Menſæ Epiſcopalis.
Montiſfaliſci.

R. Petrus Ægidius Mancini.

Corneti.

Clericus Lucas Bovj.

Digitized by Google

Rogitus Notarii ſuper Actis Synodi.

SUpraſcripta Synodalia Decreta, maturè priùs, adhibitis in conſilium Admodum RR. DD. Canonicis utriuſque Diœceſis, aliiſque doctis, piis, & prudentibus Viris, conſiderata, præſidente Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo D.D. SEBASTIANO POMPILIO BONAVENTURA Patritio Urbinate, Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopo Montisfaliſci, & Corneti, Prælato Domeſtico Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ, ac Solii Pontificii Aſſiſtente, præſente univerſo Clero, in Eccleſia Cathedrali S. Margaritæ Montisfaliſci, ſervatis, ſervandis, legitimè congregato, lecta fuerunt, voce alta, & intelligibili per Abb. Alexandrum Mazzinellium Sacriſtam præſentis Synodi Secretarium anno à Dominica Nativitate milleſimo ſeptingenteſimo decimò, Indictione tertia, Pontificatûs Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. CLEMENTIS Divina Providentia PP. XI. anno decimo, diebus verò decima quinta, decima ſexta, & decima ſeptima menſis Junii, tribus habitis Seſſionibus à prandio etiam continuatis, & à prædicto Univerſo Clero, utriuſque Diœceſis, attentè, & obſequenter audita, & excepta fuerunt, nemine penitus diſcrepante, præſentibus ibidem Adm. R. D. Canonico Carolo de Nobilibus, & R. D. Franciſco Gervaſio Cappellano Cathedralis Eccleſiæ Montisfaliſci Teſtibus ad prædicta omnia, & ſingula vocatis, habitis ſpecialiter, atque rogatis.

Ego Simon Antonius Bartoloccius de Celleno Montisfaliſci Diœceſis Cancellarius Curiæ Epiſcopalis, & præſentis Synodi Notarius ad inſtantiam Admodum R.D. Promotoris Synodalis hoc publicum confeci Inſtrumentum, & in fidem me ſubſcripſi, & publicavi.

Loco ✠ Signi.

Digitized by Google

APPENDIX
AD
SYNODALES
CONSTITUTIONES.

Digitized by Google

I.

FORMULA
PROFESSIONIS FIDEI,
EX CONSTITUTIONE PII IV.
Injunctum Nobis &c.

EGo N. firma fide credo, & profiteor omnia, & ſingula, quæ continentur in Symbolo Fidei, quo Sancta Romana Eccleſia utitur, *videlicet*.

Credo in unum Deum, Patrem Omnipotentem, Factorem Cœli, & Terræ, viſibilium omnium, & inviſibilium: & in unum Dominum Jeſum Chriſtum Filium Dei Unigenitum, & ex Patre natum ante omnia ſecula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum, non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt; qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cœlis; & incarnatus eſt de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus eſt. Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus, & ſepultus eſt; & reſurrexit tertia die ſecundùm ſcripturas, & aſcendit in Cœlum, ſedet ad dexteram Patris, & iterum venturus eſt cum gloria judicare vivos, & mortuos, cujus regni non erit finis: & in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem; qui ex Patre, Filioque procedit; qui cum Patre, & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur; qui loquutus eſt per Prophetas: & unam Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor unum Baptiſma in remiſſionem peccatorum; & expecto reſurrectionem mortuorum, & vitam venturi ſeculi. Amen.

Digitized by Google

Apoſtolicas, & Eccleſiaſticas traditiones, reliquaſque ejuſdem Eccleſiæ obſervationes, & conſtitutiones firmiſſimè admitto, & amplector. Item Sacram Scripturam juxtà eum ſenſum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu, & interpretatione Sacrarum Scripturarum, admitto; nec eam unquam, niſi juxtà unanimem conſenſum Patrum, accipiam, & interpretabor. Profiteor quoque ſeptem eſſe verè, & propriè Sacramenta Novæ legis à JESU Chriſto Domino Noſtro inſtituta, atque ad ſalutem humani Generis, licet non omnia ſingulis, neceſſaria: ſcilicet Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium, illaque gratiam conferre, & ex his Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem ſine ſacrilegio reiterari non poſſe. Receptos quoque, & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſupradictorum omnium Sacramentorum ſolemni adminiſtratione recipio, & admitto. Omnia, & ſingula, quæ de peccato originali, & de juſtificatione in Sacroſancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio. Profiteor pariter in Miſſa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium Sacrificium pro vivis, & defunctis; atque in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento eſſe verè, realiter, & ſubſtantialiter corpus, & ſanguinem una cum anima, & Divinitate Domini Noſtri JESU Chriſti, fierique converſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem; quam converſionem Catholica Eccleſia Tranſubſtantiationem appellat: Fateor etiam ſub altera tantùm ſpecie totum, atque integrum Chriſtum, verumque Sacramentum ſumi. Conſtanter teneo Purgatorium eſſe, animaſque ibi detentas Fidelium ſuffragiis juvari: ſimiliter & Sanctos una cum Chriſto regnantes venerandos, atque invocandos eſſe; eoſque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum Reliquias eſſe venerandas. Firmiſſimè aſſero Imagines Chriſti, ac Deiparæ ſemper Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas, & retinendas eſſe, atque eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam poteſtatem à Chriſto in Eccleſia relictam fuiſſe, illarumque uſum Chriſtiano populo maximè ſalutarem eſſe affirmo.

Digitized by Google

firmo. Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam omnium Eccleſiarum Matrem, & Magiſtram agnoſco; Romanoque Pontifici Beati Petri Apoſtolorum Principis Succeſſori, ac JESU Chriſti Vicario veram obedientiam ſpondeo, ac juro. Cætera item omnia à Sacris Canonibus, & Oecumenicis Conciliis, ac præcipuè à Sacroſancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata indubitanter recipio, atque profiteor; ſimulque contraria omnia, atque Hæreſes quaſcumque ab Eccleſia damnatas, rejectas, & anathematizatas ego pariter damno, rejicio, & anathematizo. Hanc veram Catholicam Fidem, extrà quam nemo ſalvus eſſe poteſt, quam in præſenti ſpontè profiteor, & veraciter teneo, eandem integram, & inviolatam uſque ad extremum vitæ ſpiritum conſtantiſſimè (Deo adjuvante) retinere, & confiteri, atque à meis ſubditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum, Ego idem N. ſpondeo, voveo, ac juro: ſic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

I I.

SOMMARIO

DELLA BOLLA DI S. PIO V.

Circa l'obligo de' Medici, de' Parenti, e Familiari degl' Infermi d'ammonire li medeſimi, di confeſſarſi ſecondo il Rito della Santa Romana Chieſa.

§. I. INnocenzo III. di fel. mem. Predeceſſore noſtro comanda alli Medici, che, quando ſaranno chiamati a gl' Infermi, prima d'ogni altra coſa gli ammoniſcano di far chiamare li Medici delle Anime, di paura, che diffe- *Cap. Cum Infirmitas de Pœnit. & remiſſ.*

differendo d' avvertirli di ciò ſino all' eſtremo punto della malatia, cadino in diſperazione.

§. II. e III. Perciò, volendo Noi, ch' un sì ſalutevole precetto non s' aboliſca da qualſiſia lunghezza di tempo, mà al contrario, che ſempre s' oſſervi, con queſta noſtra Conſtituzione innoviamo quella di detto Noſtro Predeceſſore, & ordiniamo, che tutti li Medici, quando ſaranno chiamati a gl' Infermi giacenti in letto, avanti ogn' altra coſa gli ammoniſcano di confeſſare tutti i ſuoi peccati ad un Confeſſore idoneo, ſecondo il Rito della Santa Romana Chieſa, nè dopo il terzo giorno li viſitino più (fuor che in caſo, che il Confeſſore per qualche cauſa raggionevole haveſſe loro conceduto un tempo più lungo, in che Noi aggraviamo la di lui conſcienza) ſe non apparirà a loro per un'atteſtazione in ſcritto fatta dal Confeſſore, che gl' Infermi abbiano già confeſſati li peccati loro nella maniera già detta.

§. IV. Eſortiamo, & ammoniamo tutti li Parenti, Familiari, e domeſtici dell' Infermo di notificar al Paroco l' infermità, e tanto il Paroco, quanto li Parenti, e Familiari conſeglino, & inducano l' Infermo a fare la confeſſione de' peccati.

§. V. Se alcuni Medici non oſſervaranno quanto di ſopra, oltre la pena dell' interdetto d' entrare in Chieſa, ſiano perpetuamente infami, e ſi privino affatto del grado di Medicina, col quale erano honorati, ſi caccino dal Collegio, o Univerſità de' Medici, e ſi multino ancora con pena pecuniaria ad arbitrio degl'Ordinarj de' Luoghi, dove avranno delinquito.

LET-

Digitized by Google

LETTERA CIRCOLARE
DELLA SAGRA CONGREGAZIONE DE' VESCOVI, E REGOLARI

A tutti gl' Ordinarii per la publicazione, & oſſervanza della ſudetta Bolla.

Emo, e Rmo Sig. mio Oſſmo.

IL Paterno Zelo di Noſtro Signore indefeſſamente applicato a ciò, che può ridondare in beneſizio, e ſalute de' ſuoi Fedeli, non hà potuto ricevere, che con particolar ſentimento dell' animo ſuo le notizie pervenutegli, che in molte Dioceſi non viene oſſervata la diſpoſizione della Conſtituzione terza della S. Mem. del B. Pio Quinto, che comincia: (Supra Gregem Dominicum &c.) *circa l' amminiſtrazione del Sacramento della Penitenza a gl' infermi, la preciſa probibizione, che hanno li Medici di poter viſitar li medemi doppo il terzo giorno, ſe eſſi non ſi ſaranno confeſſati, e l' obligo, che tengono li Parenti, e Familiari d' avviſare li Parochi delle infirmità de' loro congiunti, e domeſtici; onde volendo Sua Santità rimediare a sì pernicioſo abuſo, ridondante in grave pregiudizio della ſalute dell' anima, e del corpo; mentre dal peccato molte volte derivano le infirmità corporali, vuole, & eſpreſſamente comanda a tutti gl' Ordinarj de' Luoghi, che faccino eſattamente oſſervare, quanto providamente ſi diſpone nella predetta Coſtituzione della S. M. del B. Pio V. ordinando, che venga ogn' anno pubblicata tanto da i Parochi, che da i Predicatori ſotto le pene in eſſa contenute, & altre ad arbitrio della Santità Sua. Reſtarà per tanto ſervita V. E. di dare eſſecuzione a queſta ſanta ordinazione di Sua Beatitudine. Mentre per fine bagio a V. Em. humilmente le mani. Roma 30. Settembre 1682.*

Di V. E.

Humiliſs. e Devotiſs. Servitore
C. Card. Facchinetti.

B. Panciatici Secretario.

EDIT-

III.

EDITTO DEL S. OFFIZIO

Noi per la Miſericordia di Dio, della Santa Romana Chieſa Cardinali, in tutta la Republica Criſtiana contro l' Eretica pravità Generali Inquiſitori dalla Santa Sede Apoſtolica ſpecialmente Deputati.

Essendo a Noi per continua eſperienza manifeſto, che molti per malitia, altri per inobedienza, & altri per ignoranza non ſodisfanno a gl' oblighi, che hanno di denunziare al Sant'Offizio li delitti ſpettanti ad eſſo, e che però ſuccedono grandiſſimi inconvenienti, & errori, non ſolamente contro i buoni, e Chriſtiani coſtumi, mà ancora contro la Fede Cattolica; Noi per tanto, a quali ſpecialmente devono eſſere a cuore la gloria di Dio, la conſervatione, & augumento della Fede Cattolica, e la ſalute dell' anime, volendo provedere a tanto diſordine, con autorità Apoſtolica a Noi commeſſa, commandiamo in virtù di Sant' Obedienza, e ſotto pena di Scommunica di lata ſentenza, oltre l' altre pene preſcritte da' Sacri Canoni, Decreti, Conſtituzioni, e Bolle de' Sommi Pontefici, per tenor del preſente Editto a tutte, e ciaſcuna perſona di qualſivoglia ſtato, grado, condizione, e dignità, così Eccleſiaſtica, come ſecolare, che frà il termine di trenta giorni, dieci de' quali per il primo, dieci per il ſecondo, e dieci per il terzo termine perentorio, debbano rivelare, e giuridicamente notificare al Sant' Offizio, overo all' Ordinario, tutti, e ciaſcuno di quelli, de' quali ſappiano, o abbiano avuta, o averanno notizia,

Che ſiano Eretici, o ſoſpetti, o diffamati d' Ereſia, o credenti, o fautori, o ricettatori, o difenſori loro: o abbino aderito, o aderiſcano a riti de' Giudei, o Maomettani, o de' Gentili, o abbiano apoſtatato dalla Santa Fede Cattolica.

Che abbiano fatto, o facciano atti, da' quali ſi poſſa argomentar

mentar patto eſpreſſo, o tacito col Demonio, eſercitando incanti, magie, ſortilegj: porgendogli ſuffumigj, o incenſi, per trovar teſori, & altri intenti, chiedendo da lui riſpoſte, & invocandolo, & a queſt'effetto promettendogli obbedienza, e conſacrandogli pentacoli, libri, ſpade, ſpecchi, & altre coſe, nelle quali intervenga il nome, & opera ſua.

Che ſi ſiano ingeriti, o ingeriſcano in far'eſperimenti di Negromantìa, o di qualſivoglia altra ſorte di Magìa, con entrare ne i circoli, far'eſperimenti della carraffa, o del crivello per trovare i medeſimi teſori, coſe naſcoſte, rubbate, o perdute, e far'altre ſimili ſuperſtitioſe attioni ad altri fini, maſſime con abuſo de' Sacramenti.

Che ſenza la licenza dovuta ritengano ſcritti, chè contengono Ereſie, o libri d'Eretici, che trattano ex profeſſo di Religione, o che gli abbiano letti, o tenuti, o ſtampati, o fatti ſtampare, o gli leggano, tengano, ſtampino, facciano ſtampare, introducano, o difendano ſotto qualſivoglia preteſto, o colore.

Che abbiano libri di Negromantìa, Magìa, o continenti incanteſimi, ſortilegj, e ſimili ſuperſtizioni, maſſime con abuſo di coſe ſacre.

Che contro il voto ſolenne fatto nella profeſſione in qualſivoglia Religione approvata, o dopo haver preſo l'Ordine ſacro abbiano contratto, o contrahano matrimonio.

Che vivendo la prima moglie, abbiano pigliata la ſeconda, o vivendo il primo marito, abbiano pigliato il ſecondo.

Che contro i Decreti, e Conſtituzioni Apoſtoliche abbiano abuſato, o abuſino il Sacramento della Penitenza, ſervendoſi della Confeſſione, o confeſſionario a fini diſoneſti, ſollecitando in eſſi i penitenti *ad turpia*, & havendo con eſſi diſcorſi di coſe illecite, e non convenienti al fine, per il quale è ſtato inſtituito.

Che abbiano proferito, o proferiſcano beſtemmie hereticali contro Dio, la Beata Vergine, e Santi, o procedino a qualche atto di offeſa, e diſprezzo contro le Imagini, e Figure rappreſentanti li medeſimi.

Che abbiano tenuto, o tengano occulte conventicole, o ra-

o radunanze in pregiudizio, diſprezzo, o contro la Religio

Che abbiano indotto qualche Chriſtiano ad abbracci il Giudaiſmo, o altra ſetta contraria alla Fede Cattolica, o i pedito i Giudei, o Turchi a battezzarſi.

Che non eſſendo ordinati Sacerdoti, s' abbiano con ſa lego ardire uſurpato, o ſi uſurpino di celebrar Meſſa, ancor non abbiano proferite le parole della Conſacrazione, o abbi preſunto di miniſtrare il Sacramento della Penitenza a Fe di Chriſto, ancorche non ſiano venuti all'atto dell' aſſoluzio

ſuſpectos à Sede Apoſtolica conceſſarum continentiam, & tenorem procedas, ac culpabiles repertos, juxta exceſſuum ſuorum qualitates, prout juris fuerit, punias, eos etiam, ſi, & prout de jure fuerit faciendum, debita præcedente degradatione, ſecularis judicis arbitrio puniendos tradendo. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Eccleſiarum, & Monaſteriorum, nec non Ordinum quorumlibet, quorum ipſi Sacerdotes fuerint, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis etiam motu proprio, aut aliàs quomodolibet conceſſis, etiam iteratis vicibus approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, eorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die 16. Aprilis 1561. Pontificatûs noſtri anno ſecundo. Igitur, ut litteræ prædictæ perpetuis futuris temporibus, & ubique locorum inviolabiliter obſerventur, motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtra, ac de conſilio Venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium contra hæreticam pravitatem generalium Inquiſitorum, præinſertas litteras hujuſmodi, ac omnia, & ſingula in eis contenta, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illiſque omnibus, & ſingulis inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, illaſque non ſolum in prædictis Hiſpaniarum Regnis, ſed in quibuſvis Chriſtiani orbis partibus firmiter, & inviolabiliter obſervari præcipimus, & mandamus. Ac præterea, ne in futurum de pœna his delinquentibus imponenda, & de modo contra eoſdem procedendi ab aliquo dubitari poſſit, ſtatuimus, decernimns, & declaramus, quod omnes, & ſinguli Sacerdotes, tam ſeculares, quàm quorumvis, etiam quomodolibet exemptorum, ac Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjectorum Ordinum, Inſtitutorum, Societatum, & Congregationum Regulares cujuſcunque dignitatis, & præeminentiæ, aut quovis privilegio muniti exiſtant, qui perſonas, quæcunque illæ ſint, ad inhoneſta, ſive inter

ter ſe, ſive cum aliis quomodolibet perpetranda, in actu Sacramentalis Confeſſionis, ſive ante, vel poſt immediatè, ſeu occaſione, vel prætextu Confeſſionis hujuſmodi, etiam ipſa Confeſſione non ſecuta, ſive extra occaſionem Confeſſionis in Confeſſionario, aut in loco quocunque, ubi Confeſſiones Sacramentales audiantur, ſeu ad Confeſſionem audiendam electo, ſimulantes ibidem Confeſſiones audire, ſolicitare, vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos, & inhoneſtos ſermones, ſive tractatus habuerint, in Officio ſanctæ Inquiſitionis ſeveriſſimè, ut infra, puniantur. Et præterea omnes hæreticæ pravitatis Inquiſitores, & locorum Ordinarios omnium Regnorum, Provinciarum, Civitatum, Dominiorum, & Locorum univerſi Orbis Chriſtiani in ſuis quemque Diœceſibus, & Territoriis, per has noſtras litteras, etiam privativè quoad omnes alios, ſpecialiter, ac perpetuò judices delegamus, ut ſuper his contra prædictos ſimul, vel ſeparatim in omnibus,prout in cauſis Fidei, juxta Sacrorum Canonum formam, necnon officii Inquiſitionis, hujuſmodi Conſtitutiones, Privilegia, Conſuetudines, & Decreta diligenter inquirant, & procedant; & quos in aliquo ex hujuſmodi nefariis exceſſibus culpabiles repererint, in eos pro criminum qualitate, & circumſtantiis, ſuſpenſionis ab executione ordinis, privationis Beneficiorum, Dignitatum, & officiorum quorumcunque, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, nec non vocis activæ, & paſſivæ, ſi Regulares fuerint, exilii, damnationis ad triremes, & carceris etiam in perpetuum abſque ulla ſpe gratiæ, aliaſque pœnas decernant; eos quoque, ſi pro delicti enormitate graviores pœnas meruerint, debita præcedente degradatione, Curiæ ſeculari puniendos tradant. Dantes etiam facultatem Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus generalibus Inquiſitoribus, ne delictum tam enorme, & Eccleſiæ Dei tam perniciofum, remaneat ob probationum defectum impunitum, cum difficilis ſit probationis, teſtibus etiam ſingularibus, concurrentibus præſumptionibus, indiciis,& aliis adminiculis delictum probatum eſſe arbitrio ſuo judicandi, & Curiæ ſeculari, ut præfertur, reum tradendum eſſe pronunciandi. Non obſtan. omnibus, quæ dictus Prædeceſſor in ſuis litteris prædictis voluit non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcun-

buſcunque. Mandantes omnibus Confeſſariis, ut ſuos Pœnitentes, quos noverint fuiſſe ab aliis,ut ſupra,ſolicitatos,moneant de obligatione denunciandi ſolicitantes, ſeu, ut præfertur, tractantes, Inquiſitoribus, ſeu locorum Ordinariis prædictis; quod ſi hoc officium prætermiſerint, vel pœnitentes docuerint non teneri ad denunciandum Confeſſarios ſolicitantes, ſeu tractantes ut ſupra, iidem locorum Ordinarii, & Inquiſitores illos pro modo culpæ punire non negligant. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in judicio, & extra ubique habeatur, quæ præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ, quodque eædem præſentes litteræ, ſeu illarum exempla ad valvas Baſilicarum S. Joannis Lateranen. ac Principis Apoſtolorum de Urbe, & in acie Campi floræ affixæ omnes ita arctent, & afficiant, ac ſi unicuique perſonaliter intimatæ fuiſſent. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die 30. Auguſti 1622. Pontificatûs noſtri anno ſecundo.

S. CARD. S. SUSANNÆ.

Lettera della Sagra Congregazione del Sant'Offizio ſopra la Bolla di Gregorio XV. Contra Solicitantes.

Rever. P. Doppo eſſerſi avuta longa, e matura conſiderazione ſopra il dubbio ſignificato da diverſe bande: Se i Penitenti ſiano obbligati a denunziar i Confeſſori, da' quali ſono ſtati ſollecitati nel luogo, & atto della Confeſſione, quando hanno acconſentito alla ſollecitatione; Noſtro Signore, e queſti miei Signori Eminentiſſimi in Congregazione tenuta avanti Sua Santità a 25. di Luglio paſſato, doppo aver anco inteſo il parere d'una particolar Congregazione deputata a queſt' effetto, hanno riſoluto, che qualſivoglia Penitente è tenuto a denunziare il Confeſſore, dal quale ſarà ſtato ſollecitato nel luogo, & atto della Confeſſione, ancorche gli habbia conſentito: e non è tenuto a propalare il proprio conſenſo;

ſo ; ne ſopra ciò s'interroghi dal Veſcovo, o dall'Inquiſitore, o da loro Vicarj, avanti i quali deporrà ; ne meno il Confeſſore denunziato (procedendoſi poi contro di lui ne i conſtituti, che ſe gli faranno) s'interroghi ſopra detto conſenſo : & in caſo, che egli voleſſe dirlo da ſe, non ſi ſcriva il ſuo detto, come coſa in ordine alla perſona ſollecitata, non ſpettante al S.Offizio della ſanta Inquiſizione. Le parti dunque di V.R. ſono di ſignificare a i Confeſſori detta riſoluzione, e d incaricargliene ſtrettamente l' oſſervanza, acciò ne i caſi, che occorrono alla giornata conforme al tenore della Conſtituzione publicata da Gregorio XV. ſanta memoria, contro i Confeſſori ſollecitanti, ſignifichino a i penitenti l' obbligo, che hanno di denunziare i Confeſſori, da' quali ſaranno ſtati ſollecitati, & havendoli conſentito, e facendo difficoltà di ſcoprire il proprio conſenſo, conforme alla riſoluzione, che ſi è fatta, gli dichino apertamente, che non ſono tenuti a propalare il detto conſenſo ; e che tanto i Penitenti, quanto i Confeſſori ſollecitanti (procedendoſi contro di loro) non ſaranno di ciò interrogati, e dicendolo da ſe, non ſi ſcriverà, ne ſi riceverà il detto loro : E quando il Penitente perſiſteſſe tuttavia nella medeſima renitenza, Noſtro Signore ſi contenta, che dal Veſcovo, o dall' Inquiſitore ſi dia autorità al Confeſſore di ricevere per ſcrittura, e con giuramento la denunzia, per portarla a chi gli havrà data autorità di pigliarla. E ſe oltre le coſe ſudette occorrerà altro caſo grave, per il quale il Penitente non ſi poſſa indurre : Sua Santità vuole, che ſe ne ſcriva quà, e ſi aſpetti la riſpoſta, e in tanto non ſi proceda nell' aſſolutione. E tanto V.R. ſi contentarà di far oſſervare nella ſua giuriſdizione, facendo regiſtrare la preſente ne gli atti di coteſto S. Offizio per informazione ſua, e de' ſuoi ſucceſſori, quali havranno mira, che la preſente riſoluzione riſguarda ſolo a quei Penitenti, che per aver conſentito, fanno difficoltà di denunziare ; mà a quei, che non hanno conſentito, o havendo conſentito, non ſono in ciò renitenti, il Confeſſore non dove porre difficoltà alcuna, ma laſciare, che indifferentemente, e liberamente ſodisfaccino all'obbligo, che hanno di denunziare, conforme alla Conſtituzione. Et il Sig. Iddio la conſervi.

Di Roma li 27. Settembre 1624.

Di V.R. *Come Fratello*

Il Card. Millino.

SAN-

XIX.

SANCTISS. D. N. INNOCENTII DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ XII.

Damnatio, & prohibitio Libri Pariſis anno MDCXCVII. impreſſi, cui titulus: Explication des Maximes de Saints ſur la Vie interieure, &c.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

CUm aliàs ad Apoſtolatûs Noſtri notitiam pervenerit, in lucem prodiiſſe Librum quemdam Gallico idiomate editum, cui titulus: *Explication des Maximes des Saints ſur la Vie interieure, par Meſſire Francois de Salignac Fenelon, Archeveque Duc de Cambray, Precepteur de Meſſigneur les Ducs de Bourgogne, d' Anjou, & de Berry. A Paris chez Pierre Aubovin, Pierre Emery, & Charles Clouſier* 1697. Ingens verò ſubinde de non ſana Libri hujuſmodi doctrina excitatus in Galliis rumor adeò percrebuerit, ut opportunam Paſtoralis vigilantiæ noſtræ opem efflagitaverit, nos eundem librum nonnullis ex Venerabilibus Fratribus Noſtris S.R.E. Cardinalibus, aliiſque in ſacra Theologia Magiſtris, maturè, ut rei gravitas poſtulare videbatur, examinandum commiſimus. Porrò hi mandatis noſtris obſequentes, poſtquam in quamplurimis Congregationibus varias propoſitiones ex eodem Libro excerptas diuturno, accuratoque examine diſcuſſerunt, quid ſuper earum ſingulis ſibi videretur, tàm voce, quàm ſcripto, Nobis expoſuerunt. Auditis igitur in pluribus itidem coram Nobis deſuper actis Congregationibus memoratorum Cardinalium, in ſacra Theologia Magiſtrorum ſententiis, Dominici Gregis Nobis ab Æterno Paſtore crediti periculis, quantum Nobis ex alto conceditum, occurrere cupientes, motu proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, Librum prædictum ubicunque, & quocunque

cunque

cunque alio idiomate, ſeu quavis editione, aut verſione hucuſque impreſſum, aut in poſterum imprimendum, quippè ex cujus lectione, & uſu Fideles ſenſim in errores ab Eccleſia Catholica jam damnatos induci poſſent, ac inſuper tanquam continentem propoſitiones, ſive in obvio earum verborum ſenſu, ſive attenta ſententiarum connexione, temerarias, ſcandaloſas, malè ſonantes, piarum aurium offenſivas, in praxi pernicioſas, ac etiam erroneas reſpectivè, tenore præſentium damnamus, & reprobamus, ipſiuſque Libri impreſſionem, deſcriptionem, lectionem, retentionem, & uſum, omnibus, & ſingulis Chriſti-fidelibus, etiam ſpecifica, & individua mentione, & expreſſione dignis, ſub pœna excommunicationis, per contrafacientes ipſo facto abſque alia declaratione incurrenda, interdicimus, & prohibemus. Volentes, & Apoſtolica auctoritate mandantes, ut quicunque ſupradictum Librum penes ſe habuerint, illum ſtatim, atque præſentes literæ eis innotuerint, locorum Ordinariis, vel hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus tradere, ac conſignare omninò teneantur, in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunque. Cæterùm propoſitiones in dicto Libro contentæ, quas Apoſtolici cenſurâ judicii, ſicut præmittitur, configendas duximus, ex Gallico idiomate in latinum verſæ, ſunt tenoris, qui ſequitur, videlicet: *I. Datur habitualis ſtatus amoris Dei, qui eſt charitas pura, & ſine ulla mixtione motivi proprii intereſſe. Neque timor pœnarum, neque deſiderium remunerationum habent ampliùs in eo partem. Non amatur ampliùs Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in eo amando inveniendam. II. In ſtatu vitæ contemplativæ, ſeu unitivæ, amittitur omne motivum intereſſatum timoris, & ſpei. III. Id, quod eſt eſſentiale in directione animæ, eſt non aliud facere, quàm ſequi pedetentim gratiam cum infinita patientia, præcautione, & ſubtilitate. Oportet ſe intra hos limites continere, ut ſinatur Deus agere, & nunquam ad purum amorem ducere, niſi quando Deus per unctionem interiorem incipit aperire cor huic verbo, quod adeò durum eſt animabus adhuc ſibimet affixis, & adeò poſt illas ſcandalizare, aut in perturbationem conjicere. IV. In ſtatu ſanctæ indifferentiæ anima non habet ampliùs deſideria voluntaria, & deliberata propter ſuum intereſſe, exce-*

 ptis

ptis iis occaſionibus, in quibus toti ſuæ gratiæ fideliter non cooperatur. V. In eodem ſtatu ſanctæ indifferentiæ nihil nobis, omnia Deo volumus. Nihil volumus, ut ſimus perfecti, & beati propter intereſſe proprium; ſed omnem perfectionem, ac beatitudinem volumus, in quantum Deo placet efficere, ut velimus res iſtas impreſſione ſuæ gratiæ. VI. In hoc ſanctæ indifferentiæ ſtatu nolumus ampliùs ſalutem, ut ſalutem propriam, ut liberationem æternam, ut mercedem noſtrorum meritorum, ut noſtrorum intereſſe omnium maximum; ſed eam volumus voluntate plena, ut gloriam, & beneplacitum Dei, ut rem, quam ipſe vult, quam nos vult velle propter ipſum. VII. Derelictio non eſt, niſi abnegatio, ſeu ſui ipſius renunciatio, quam Jeſus Chriſtus à nobis in Evangelio requirit, poſtquam externa omnia reliquerimus. Iſta noſtri ipſorum abnegatio non eſt, niſi quoad intereſſe proprium. Extremæ probationes, in quibus hæc abnegatio, ſeu ſui ipſius derelictio exerceri debet, ſunt tentationes, quibus Deus æmulator vult purgare amorem, nullum ei oſtendendo perfugium, neque nllam ſpem quoad ſuum intereſſe proprium, etiam æternum. VIII. Omnia Sacrificia, quæ fieri ſolent ab animabus, quàm maximè deſintereſſatis circa earum æternam beatitudinem, ſunt conditionalia. Sed hoc Sacrificium non poteſt eſſe abſolutum in ſtatu ordinario. In uno extremarum probationum caſu hoc Sacrificium fit aliquo modo abſolutum. IX. In extremis probationibus poteſt anima invincibiliter perſuaſum eſſe perſuaſione reflexa, quæ non eſt intimus conſcientiæ fundus, ſe juſtè reprobatam eſſe à Deo. X. Tunc anima diverſa à ſemetipſa expirat cum Chriſto in Cruce, dicens: Deus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me? In hac involuntaria impreſſione deſperationis conficit Sacrificium abſolutum ſui intereſſe proprii quoad æternitatem. XI. In hoc ſtatu anima amittit omnem ſpem ſui proprii intereſſe, ſed nunquam amittit in parte ſuperiori, id eſt, in ſuis actibus directis, & intimis ſpem perfectam, quæ eſt deſiderium deſintereſſatum promiſſionum. XII. Director tunc poteſt huic animæ permittere, ut ſimpliciter acquieſcat jacturæ ſui proprii intereſſe, & juſtæ condemnationi, quam ſibi à Deo indictam credit. XIII. Inferior Chriſti pars in Cruce non communicavit ſuperiori ſuas involuntarias perturbationes. XIV. In extremis probationibus pro purificatione amoris fit quædam ſepa-

ſeparatio partis ſuperioris animæ ab inferiori. In iſta ſeparatione actus partis inferioris manant ex omninò cæca, & involuntaria perturbatione; nam totum, quod eſt voluntarium, & intellectuale, eſt partis ſuperioris. XV. Meditatio conſtat diſcurſivis actibus, qui à ſe invicem facilè diſtinguuntur. Iſta compoſitio actuum diſcurſivorum, & reflexorum eſt propria exercitio amoris intereſſati. XVI. Datur ſtatus contemplationis adeò ſublimis, adeòque perfecta, ut fiat habitualis, ita ut quoties anima actu orat, ſua oratio ſit contemplativa, non diſcurſiva. Tunc non amplius indiget redire ad meditationem, ejuſque actus methodicos. XVII. Animæ contemplativæ privantur intuitu diſtincto, ſenſibili, & reflexo Jeſu Chriſti duobus temporibus diverſis. Primò, in fervore naſcente earum contemplationis. Secundò, anima amittit intuitum Jeſu Chriſti in extremis probationibus. XVIII. In ſtatu paſſivo exercentur omnes virtutes diſtinctæ, non cogitando, quòd ſint virtutes. In quolibet momento aliud non cogitatur, quàm facere id, quod Deus vult, & amor Zelotypus ſimul efficit, ne quis amplius ſibi virtutum velit, nec unquam ſit adeò virtute præditus, quàm cùm virtuti ampliùs affixus non eſt. XIX. Poteſt dici in hoc ſenſu, quòd anima paſſiva, & deſintereſſata, nec ipſum amorem vult ampliùs, quatenùs eſt ſua perfectio, & ſua felicitas; ſed ſolùm quatenus eſt id, quod Deus à nobis vult. XX. In confitendo debent animæ transformatæ ſua peccata deteſtari, & condemnare ſe, & deſiderare remiſſionem ſuorum peccatorum, non ut propriam purificationem, & liberationem, ſed ut rem, quam Deus vult, & vult nos velle propter ſuam gloriam. XXI. Sancti Myſtici excluſerunt à ſtatu animarum transformatarum exercitationes virtutum. XXII. Quamvis hæc doctrina (de puro amore) *eſſet pura, & ſimplex perfectio Evangelica in univerſa traditione deſignata, antiqui Paſtores non proponebant paſſim multitudini juſtorum, niſi exercitia amoris intereſſati eorum gratiæ proportionata. XXIII. Purus amor ipſe ſolus conſtituit totam vitam interiorem, & tunc evadit unicum principium, & unicum motivum omnium actuum, qui deliberati, & meritorii ſunt.* Non intendimus tamen per expreſſam propoſitionum hujuſmodi reprobationem alia in eodem Libro contenta ullatenùs approbare. Ut autem eædem præſentes literæ omnibus fa-

ciliùs innoteſcant, nec quiſquam illarum ignorantiam valeat allegare, volumus pariter, & auctoritate præfata decernimus, ut illæ ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, ac Cancellariæ Apoſtolicæ, nec non Curiæ generalis in Monte Citorio, & in acie Campi Floræ de Urbe, per aliquem ex Curſoribus noſtris, ut moris eſt, publicentur, illarumque exempla ibidem affixa relinquantur; ita ut ſic publicatæ, omnes, & ſingulos, quos concernunt, perindè afficiant, ac ſi unicuique illorum perſonaliter notificatæ, & intimatæ fuiſſent: Utque ipſarum præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides tàm in judicio, quàm extra illud, ubique locorum habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud ſanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris (die 12. Martii 1699. Pontificatûs Noſtri anno octavo.

J. F. CARD. ALBANUS.

SANCTISSIMI D. N. DOMINI CLEMENTIS DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ XI.

Damnatio quamplurium Propoſitionum excerptarum ex Libro Gallico idiomate impreſſo, & in plures Tomos diſtributo, ſub titulo: Le novveau Teſtament en Francois, avec de reflexions morales ſur chaque verſet &c. A Paris 1699. *Ac aliter*: Abbregè de la morale de l'Evangile, des Actes des Apoſtres, des Epiſtree de S.Paul, de Epiſtres Canoniques, e de l' Apocalypſe, ou Penſees Chretiennes ſur le Texte de ces Livres Sacrez &c. A Paris 1693. & 1694.

Cum prohibitione ejuſdem Libri, & aliorum quorumcunque in ejus defenſionem tam hactenùs editorum, quàm in poſterum edendorum.

CLE-

CLEMENS EPISCOPUS *Servus Servorum Dei.*

Univerſis &c.

UNigenitus Dei filius pro noſtra, & totius Mundi ſalute filius hominis factus, dum Diſcipulos ſuos doctrinâ veritatis inſtrueret, univerſamque Eccleſiam ſuam in Apoſtolis erudiret, præſentia diſponens, & futura proſpiciens, præclaro, ac ſaluberrimo documento Nos admonuit, ut attenderemus à falſis Prophetis, qui veniunt ad Nos in veſtimentis Ovium; quorum nomine potiſſimùm demonſtrantur Magiſtri illi mendaces, & in deceptione illuſores, qui ſplendidâ pietatis ſpecie prava dogmata latenter inſinuantes, introducunt ſectas perditionis ſub imagine Sanctitatis; utque faciliùs incautis obrepant, quaſi deponentes lupinam pellem, & ſeſe Divinæ Legis ſententiis, velut quibuſdam Ovium velleribus obvolventes, Sanctarum Scripturarum, adeòque etiam ipſius novi Teſtamenti verbis, quæ multipliciter in ſuam, aliorumque perditionem depravant, nequiter abutuntur; antiqui ſcilicet, à quo progeniti ſunt, mendacii Parentis exemplo, ac magiſterio edocti, nullam omninò eſſe ad fallendum expeditiorem viam, quàm ut ubi nefarii erroris ſubintroducitur fraudolentia, ibi divinorum verborum prætendatur auctoritas.

His Nos verè divinis monitis inſtructi, ubi primùm, non ſine intimâ cordis noſtri amaritudine, accepimus, Librum quendam Gallico idiomate olim impreſſum, & in plures Tomos diſtributum, ſub titulo: *Le Nouveau Teſtament en Francois, avec des reflexions morales ſur chaque verſet &c. A Paris 1699.* Aliter verò: *Abbregé de la morale de l'Evangile, des Actes de Apôſtres, des Epiſtres de S. Paul, de Epiſtres Canoniques, e de l'Apocalypſe, ou Penſees Chretiennes ſur le Texte des ces Livres Sacrez &c. A Paris 1593. & 1694.* tametſi aliàs à Nobis damnatum, ac reverâ Catholicis veritatibus pravarum doctrinarum mendacia multifariam permiſcentem, adhùc tamen tanquàm ab omni errore immunem, à pluribus haberi, Chriſti-fidelium manibus paſſim obtrudi, ac nonnullorum nova ſemper tentantium conſilio, & operâ

præfati Epiſcopi, ſed & ipſe in primis Chariſſimus in Chriſto Filius noſter Ludovicus Francorum Rex Chriſtianiſſimus, cujus eximium in tuendâ Catholicæ Fidei puritate, extirpandiſque erroribus Zelum ſatis laudare non poſſumus, ſæpius Nobis eſt conteſtatus; repetitis propterea verè piis, & Chriſtianiſſimo Rege dignis officiis, atque ardentibus votis à Nobis efflagitans, ut inſtanti animarum neceſſitati prolatâ quantocitiùs Apoſtolici cenſurâ Judicii conſuleremus.

Hinc adſpirante Domino, ejuſque cæleſti ope confiſi, ſalutare opus ſedulò, diligenterque, ut rei magnitudo poſtulabat, aggreſſi ſumus; ac plurimas ex prædicto Libro, juxta ſupra recenſitas reſpectivè editiones, fideliter extractas, & tùm Gallico, tùm Latino idiomate expreſſas Propoſitiones à compluribus in Sacrâ Theologiâ Magiſtris, primò quidem coram duobus ex Venerabilibus Fratribus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus accuratè diſcuti: deinde verò coram Nobis, adhibito etiam aliorum plurium Cardinalium conſilio, quàm maximâ diligentiâ, ac maturitate, ſingularum inſuper Propoſitionum cum ipſomet Libri Textu exactiſſimè facta collatione, pluries iteratis Congregationibus, expendi, & examinari mandavimus. Hujuſmodi autem Propoſitiones ſunt, quæ ſequuntur, videlicèt:

1 *QUid aliud remanet animæ, quæ Deum, atque ipſius gratiam amiſit, niſi peccatum, & peccati conſecutiones, ſuperba paupertas, & ſegnis indigentia, hoc eſt generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum?*

2 *Jeſu Chriſti gratia, principium efficax boni cujuſcunque generis, neceſſaria eſt ad omne opus bonum; abſque illa, non ſolum nihil fit, ſed nec fieri poteſt.*

3 *In vanum Domine præcipis, ſi tu ipſe non das quod præcipis.*

4 *Ità Domine; Omnia poſſibilia ſunt ei, cui omnia poſſibilia facis, eadem operando in illo.*

5 *Quando Deus non emollit cor per interiorem unctionem gratiæ ſuæ, exhortationes, & gratiæ exteriores non inſerviunt, niſi ad illud magis obdurandum.*

6 Di-

Digitized by Google

6 *Diſcrimen inter Fœdus Judaicum, & Chriſtianum eſt, quod in illo Deus exegit fugam peccati, & implementum legis à peccatore, relinquendo illum in ſua impotentia: in iſto verò Deus Peccatori dat, quod jubet, illum ſua gratia purificando.*

7 *Quæ utilitas pro homine in veteri fœdere, in quo Deus illum reliquit ejus propriæ infirmitati, imponendo ipſi ſuam legem? Quæ verò felicitas non eſt admitti ad fœdus, in quo Deus nobis donat, quod petit à nobis?*

8 *Nos non pertinemus ad novum fœdus, niſi in quantum participes ſumus ipſius novæ gratiæ, quæ operatur in nobis id, quod Deus nobis præcipit.*

9 *Gratia Chriſti eſt gratia ſuprema, ſine qua confiteri Chriſtum nunquam poſſumus, & cum qua nunquam illum abnegamus.*

10 *Gratia eſt operatio manûs Omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt, aut retardare.*

11 *Gratia non eſt aliud, quàm voluntas Omnipotentis Dei, jubentis, & facientis, quod jubet.*

12 *Quando Deus vult ſalvare animam, quocumque tempore, quocumque loco effectus indubitabilis ſequitur voluntatem Dei.*

13 *Quando Deus vult animam ſalvam facere, & eam tangit interiori gratiæ ſuæ manu, nulla voluntas humana ei reſiſtit.*

14 *Quantumcumque remotus à ſalute ſit Peccator obſtinatus, quando Jeſus ſe ei videndum exhibet lumine ſalutari ſuæ gratiæ, oportet, ut ſe dedat, accurrat, ſeſe humiliet, & adoret Salvatorem ſuum.*

15 *Quando Deus mandatum ſuum, & ſuam æternam locutionem comitatur unctione ſui Spiritus, & interiori vi gratiæ ſuæ, operatur illa in corde obedientiam, quam petit.*

16 *Nullæ ſunt illecebræ, quæ non cedant illecebris gratiæ, quia nihil reſiſtit Omnipotenti.*

17 *Gratia eſt vox illa Patris, quæ homines interiùs docet, ac eos venire facit ad Jeſum Chriſtum; quicumque ad eum non venit, poſtquam audivit vocem exteriorem Filii, nullatenùs eſt doctus à Patre.*

18 *Semen*

Digitized by Google

18 *Semen verbi, quod manus Dei irrigat, ſemper affert fructum ſuum.*

19 *Dei gratia nihil aliud eſt, quàm ejus omnipotens voluntas: hæc eſt idea, quam Deus ipſe Nobis tradit in omnibus ſuis Scripturis.*

20 *Vera gratiæ idea eſt, quod Deus vult ſibi à nobis obediri, & obeditur; imperat, & omnia fiunt; loquitur tanquam Dominus, & omnia ſibi ſubmiſſa ſunt.*

21 *Gratia Jeſu Chriſti eſt gratia fortis, potens, ſuprema, invincibilis, utpote quæ eſt operatio voluntatis Omnipotentis, ſequela, & imitatio operationis Dei incarnantis, & reſuſcitantis Filium ſuum.*

22 *Concordia Omnipotentis operationis Dei in corde hominis, cum libero ipſius voluntatis conſenſu, demonſtratur illicò nobis, in Incarnatione, veluti in fonte, atque Archetypo omnium aliarum operationum miſericordiæ, & gratiæ, quæ omnes ità gratuitæ, atque ità dependentes à Deo ſunt, ſicut ipſa originalis operatio.*

23 *Deus ipſe nobis ideam tradidit omnipotentis operationis ſuæ gratiæ, eam ſignificans per illam, qua Creaturas è nihilo producit, & mortuis reddit vitam.*

24 *Juſta idea, quam Centurio habet de Omnipotentia Dei, & Jeſu Chriſti, in ſanandis Corporibus ſolo motu ſuæ voluntatis, eſt imago ideæ, quæ haberi debet de omnipotentia ſuæ gratiæ in ſanandis animabus à cupiditate.*

25 *Deus illuminat animam, & eam ſanat æquè ac corpus ſola ſana voluntate, jubet, & ipſi obtemperatur.*

26 *Nullæ dantur gratiæ, niſi per Fidem.*

27 *Fides eſt prima gratia, & fons omnium aliarum.*

28 *Prima gratia, quam Deus concedit Peccatori, eſt peccatorum remiſſio.*

29 *Extra Eccleſiam nulla conceditur gratia.*

30 *Omnes, quos Deus vult ſalvare per Chriſtum, ſalvantur infallibiter.*

31 *Deſideria Chriſti ſemper habent ſuum effectum; pacem intimo cordium inſerit, quando eis illam optat.*

32 *Jeſus Chriſtus ſe morti tradidit ad liberandum pro ſemper*

P *ſuo*

Digitized by Google

ſuo ſanguine Primogenitos, ideſt Electos, de manu Angeli exterminatoris.

33 *Proh quantum oportet bonis terrenis, & ſibimetipſi renunciaſſe, ad hoc ut quis fiduciam habeat ſibi, ut ita dicam, appropriandi Chriſtum Jeſum, ejus amorem, mortem, & myſteria, ut facit Sanctus Paulus dicens: Qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.*

34 *Gratia Adami non producebat, niſi merita humana.*

35 *Gratia Adami eſt ſequela creationis, & erat debita naturæ ſanæ, & integræ.*

36 *Differentia eſſentialis inter gratiam Adami, & ſtatûs innocentiæ, ac gratiam Chriſtianam eſt, quod primam unuſquiſque in propria perſona recepiſſet: iſta verò non recipitur, niſi in perſona Jeſu Chriſti reſuſcitati, cui nos uniti ſumus.*

37 *Gratia Adami, ſanctificando illum in ſemetipſo, erat illi proportionata: Gratia Chriſtiana nos ſanctificando in Jeſu Chriſto, eſt omnipotens, & digna Filio Dei.*

38 *Peccator non eſt liber, niſi ad malum, ſine gratia Liberatoris.*

39 *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, niſi ad aberrandum, ardoris, niſi ad ſe præcipitandum, virium, niſi ad ſe vulnerandum; Eſt capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.*

40 *Sine gratia nihil amare poſſumus, niſi ad noſtram condemnationem.*

41 *Omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam Philoſophis Ethnicis, non poteſt venire, niſi à Deo, & ſine gratia non producit, niſi præſumptionem, vanitatem, & oppoſitionem ad ipſum Deum, loco affectuum adorationis, gratitudinis, & amoris.*

42 *Sola gratia Chriſti reddit hominem aptum ad Sacrificium Fidei; ſine hoc nihil, niſi impuritas, nihil, niſi indignitas.*

43 *Primus effectus gratiæ baptiſmalis eſt facere, ut moriamur peccato; adeòut ſpiritus, cor, ſenſus non habeant plus vitæ pro peccato, quàm homo mortuus habeat pro rebus Mundi.*

44 *Non ſunt, niſi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes noſtræ naſcuntur; Amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur, & Amor, quo nos ipſos,*

ipſos, ac Mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum eſt, non refert, & propter hoc ipſum fit malus.

45 *Amore Dei in corde Peccatorum non amplius regnante, neceſſe eſt, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omneſque actiones ejus corrumpat.*

46 *Cupiditas, aut Charitas, uſum ſenſuum bonum, vel malum faciunt.*

47 *Obedientia legis profluere debet ex fonte; & hic fons eſt Charitas. Quando Dei amor eſt illius principium interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum eſt, quod apparet exterius; alioquin non eſt, niſi hypocriſis, aut falſa juſtitia.*

48 *Quid aliud eſſe poſſumus, niſi tenebræ, niſi aberratio, & niſi peccatum ſine Fidei lumine, ſine Chriſto, & ſine Charitate.*

49 *Ut nullum peccatum eſt ſine amore noſtri, ita nullum eſt opus bonum ſine amore Dei.*

50 *Fruſtrà clamamus ad Deum: Pater mi: ſi ſpiritus Charitatis non eſt ille, qui clamat.*

51 *Fides juſtificat, quando operatur; ſed ipſa non operatur, niſi per Charitatem.*

52 *Omnia alia ſalutis media continentur in fide, tanquam in ſuo germine, & ſemine; Sed hæc fides non eſt abſque amore, & fiducia.*

53 *Sola Charitas Chriſtiano modo facit (actiones Chriſtianas) per relationem ad Deum, & Jeſum Chriſtum.*

54 *Sola Charitas eſt, quæ Deo loquitur, eam ſolam Deus audit.*

55 *Deus non coronat, niſi Charitatem; qui currit ex alio impulſn, & ex alio motivo, in vanum currit.*

56 *Deus non remunerat niſi Charitatem, quoniam charitas ſola Deum honorat.*

57 *Totum deeſt Peccatori, quando ei deeſt ſpes, & non eſt ſpes in Deo, ubi non eſt amor Dei.*

58 *Nec Deus eſt, nec Religio, ubi non eſt Charitas.*

59 *Oratio Impiorum eſt novum peccatum, & quod Deus illis concedit, eſt novum in eis judicium.*

60 *Si ſolus ſupplicii timor animat pœnitentiam, quò hæc eſt magis violenta, eò magis ducit ad deſperationem.*

61 *Timor nonniſi manum cohibet, cor autem tandiù peccato*

Digitized by Google

addicitur, quandiù ab amore juſtitiæ non ducitur.

62 *Qui à malo non abſtinet, niſi timore pœnæ, illud committit in corde ſuo, & jam eſt Reus coram Deo.*

63 *Baptizatus adhuc eſt ſub lege ſicut Judæus, ſi legem non adimpleat, aut adimpleat ex ſolo timore.*

64 *Sub maledicto legis, nunquam fit bonum, quia peccatur ſive faciendo malum, ſive illud non niſi ob timorem evitando.*

65 *Moyſes, Prophetæ, Sacerdotes, & Doctores legis mortui ſunt, abſque eò quòd ullum Deo dederint filium, cum non effecerint niſi mancipia per timorem.*

66 *Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipſum venire cum brutalibus paſſionibus, neque adduci per inſtinctum naturalem, aut per timorem, ſicuti Beſtiæ, ſed per fidem, & per amorem ſicuti filii.*

67 *Timor ſervilis non ſibi repræſentat Deum, niſi ut Dominum durum, imperioſum, injuſtum, intractabilem.*

68 *Dei Bonitas abbreviavit viam ſalutis claudendo totum in Fide, & precibus.*

69 *Fides, uſus, argumentum, & præmium Fidei, totum eſt donum puræ liberalitatis Dei.*

70 *Nunquam Deus affligit innocentes, & afflictiones ſemper ſerviunt, vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum Peccatorem.*

71 *Homo ob ſui conſervationem poteſt ſe ſe diſpenſare ab ea lege, quam Deus condidit propter ejus utilitatem.*

72 *Nota Eccleſiæ Chriſtianæ eſt, quod ſit Catholica, comprehendens, & omnes Angelos Cœli, & omnes Electos, & Juſtos terræ, & omnium ſeculorum.*

73 *Quid eſt Eccleſia, niſi cœtus Filiorum Dei manentium in ejus ſinu, adoptatorum in Chriſto, ſubſiſtentium in ejus perſona, redemptorum ejus ſanguine, viventium ejus ſpiritu, agentium per ejus gratiam, & expectantium gratiam futuri ſeculi.*

74 *Eccleſia, ſive integer Chriſtus, Incarnatum Verbum habet ut Caput, omnes verò Sanctos ut membra.*

75 *Eccleſia eſt unus ſolus homo, compoſitus ex pluribus membris, quorum Chriſtus eſt Caput, vita, ſubſiſtentia, & perſona;*

Unus

Digitized by Google

Unus ſolus Chriſtus, compoſitus ex pluribus Sanctis, quorum eſt Sanctificator.

76 *Nihil ſpatioſius Eccleſia Dei, quia omnes Electi, & Juſti omnium ſeculorum illam componunt.*

77 *Qui non ducit vitam dignam Filio Dei, & membro Chriſti, ceſſat interius habere Deum pro Patre, & Chriſtum pro Capite.*

78 *Separatur quis à Populo Electo, cujus figura fuit Populus Judaicus, & Caput eſt Jeſus Chriſtus, tàm non vivendo ſecundum Evangelium, quàm non credendo Evangelio.*

79 *Utile, & neceſſarium eſt omni tempore, omni loco, & omni perſonarum generi ſtudere, & cognoſcere ſpiritum, Pietatem, & Myſteria Sacræ Scripturæ.*

80 *Lectio Sacræ Scripturæ eſt pro omnibus.*

81 *Obſcuritas Sancta verbi Dei non eſt Laicis ratio diſpenſandi ſe ipſos ab ejus lectione.*

82 *Dies Dominicus à Chriſtianis debet ſanctificari lectionibus pietatis, & ſuper omnia Sanctarum Scripturarum. Damnoſum eſt velle Chriſtianum ad hac lectione retrahere.*

83 *Eſt illuſio ſibi perſuadere, quod notitia Myſteriorum Religionis non debeat communicari fœminis, lectione Sacrorum librorum. Non ex fœminarum ſimplicitate, ſed ex ſuperba Virorum ſcientia, ortus eſt ſcripturarum abuſus, & natæ ſunt hæreſes.*

84 *Abripere è Chriſtianorum manibus novum Teſtamentum, ſeu eis illud clauſum tenere, auferendo eis modum illud intelligendi, eſt illis Chriſti os obturare.*

85 *Interdicere Chriſtianis lectionem Sacræ Scripturæ, præſertim Evangelii, eſt interdicere uſum luminis filiis lucis, & facere, ut patiantur ſpeciem quamdam excommunicationis.*

86 *Eripere ſimplici Populo hoc ſolatium, jungendi vocem ſuam voci totius Eccleſiæ, eſt uſus contrarius praxi Apoſtolicæ, & intent oni Dei.*

87 *Modus plenus ſapientia, lumine, & Charitate, eſt dare animabus tempus portandi cum humilitate, & ſentiendi ſtatum peccati, petendi ſpiritum pœnitentiæ, & contritionis, & incipiendi, adminus, ſatisfacere juſtitiæ Dei, antequam reconcilientur.*

88 *Igno-*

88 *Ignoramus quid ſit peccatum, & vera pœnitentia, quando volumus ſtatim reſtitui poſſeſſioni bonorum illorum, quibus nos peccatum ſpoliavit, & detrectamus ſeparationis iſtius ferre confuſionem.*

89 *Quartus decimus gradus converſionis Peccatoris eſt, quod, cum ſit jam reconciliatus, habet jus aſſiſtendi Sacrificio Eccleſiæ.*

90 *Eccleſia auctoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos Paſtores de conſenſu, ſaltem præſumpto, totius Corporis.*

91 *Excommunicationis injuſtæ metus, nunquam debet nos impedire ab implendo debito noſtro: Nunquam eximus ab Eccleſia, etiam quando hominum nequitia, videmur ab ea expulſi, quando Deo, Jeſu Chriſto, atque ipſi Eccleſiæ per Charitatem affixi ſumus.*

92 *Pati potius in pace excommunicationem, & anathema injuſtum, quàm prodere veritatem, eſt imitari Sanctum Paulum; tantùm abeſt, ut ſit erigere ſe contrà Auctoritatem, aut ſcindere unitatem.*

93 *Jeſus quandoque ſanat vulnera, quæ præceps Primorum Paſtorum feſtinatio infligit, ſine ipſius mandato; Jeſus reſtituit, quod ipſi inconſiderato Zelo reſcindunt.*

94 *Nihil pejorem de Eccleſia opinionem ingerit ejus inimicis, quàm videre illic dominatum exerceri ſupra fidem fidelium, & foveri diviſiones propter res, quæ nec fidem lædunt, nec mores.*

95 *Veritates eò devenerunt, ut ſint lingua quaſi peregrina pleriſque Chriſtianis, & modus eas prædicandi eſt veluti idioma incognitum: adeò remotus eſt à ſimplicitate Apoſtolorum, & ſupra communem captum fidelium; Neque ſatis advertitur, quod hic defectus ſit unum ex ſignis maximè ſenſibilibus ſenectutis Eccleſiæ, & iræ Dei in Filios ſuos.*

96 *Deus permittit, ut omnes Poteſtates ſint contrariæ Prædicatoribus veritatis, ut ejus victoria attribui non poſſit, niſi Divinæ gratiæ.*

97 *Nimis ſæpè contingit membra illa, quæ magis ſanctè, ac magis ſtrictè unita Eccleſiæ ſunt, reſpici, atque tractari tanquam*

quam indigna, ut ſint in Eccleſia, vel tanquam ab ea ſeparata; ſed Juſtus vivit ex fide, & non ex opinione hominum.

98 *Status perſecutionis, & pœnarum, quas quis tolerat, tanquam Hæreticus, flagitioſus, & impius, ultima plerumque probatio eſt, & maximè meritoria, utpotè quæ facit hominem magis conformem Jeſu Chriſto.*

99 *Pervicacia, præventio, obſtinatio in nolendo, aut aliquid examinare, aut agnoſcere ſe fuiſſe deceptum, mutant quotidiè quoad multos in odorem mortis id, quod Deus in ſua Eccleſia poſuit, ut in ea eſſet odor vitæ, V. G. bonos libros, inſtructiones, ſancta exempla &c.*

100 *Tempus deplorabile, quod creditur honorari Deus, perſequendo veritatem, ejuſque diſcipulos. Tempus hoc advenit . . . . . . Haberi, & tractari à Religionis Miniſtris, tamquam, impium, & indignum omni commercio cum Deo, tanquam membrum putridum, capax corrumpendi omnia in ſocietate Sanctorum, eſt hominibus piis morte corporis mors terribilior. Fruſtrà quis ſibi blanditur de ſuarum intentionum puritate, & Zelo quodam Religionis, perſequendo flammâ, ferroque viros probos, ſi propria paſſione eſt excæcatus, aut abreptus aliena, propterea quod nihil vult examinare. Frequenter credimus ſacrificare Deo impium, & ſacrificamus Diabolo Dei Servum.*

101 *Nihil ſpiritui Dei, & doctrinæ Jeſu Chriſti magis opponitur, quàm communia facere juramenta in Eccleſia, quia hoc eſt multiplicare occaſiones pejerandi, laqueos tendere infirmis, & Idiotis, & efficere, ut nomen, & veritas Dei aliquando deſerviant conſilio Impiorum.*

Auditis itaque tum voce, tum ſcripto Nobis exhibitis præfatorum Cardinalium, aliorumque Theologorum ſuffragiis, divinique in primis luminis, privatis ad eum finem, publiciſque etiam indictis precibus, implorato præſidio; omnes, & ſingulas Propoſitiones præinſertas, tanquam falſas, captioſas, malè ſonantes, piarum aurium offenſivas, ſcandaloſas, pernicioſas, temerarias, Eccleſiæ, & ejus praxi injurioſas, neque in Eccleſiam ſolum, ſed etiam in Poteſtates ſeculi contumelioſas, ſeditioſas, impias,

impias, blaſphemas, ſuſpectas de hæreſi, ac hæreſim ipſam ſapientes, nec non Hæreticis, & hæreſibus, ac etiam Schiſmaticis faventes, erroneas, hæreſi proximas, pluriès damnatas, ac demùm etiam hæreticas, variaſque hæreſes, & potiſſimùm illas, quæ in famoſis Janſenii propoſitionibus, & quidem in eo ſenſu, in quo hæ damnatæ fuerunt, acceptis, continentur, manifeſtè innovantes, reſpective, hac noſtra perpetuò valitura Conſtitutione declaramus, damnamus, & reprobamus.

Mandantes omnibus utriuſque ſexûs Chriſti-fidelibus, ne de dictis Propoſitionibus ſentire, docere, prædicare aliter præſumant, quàm in hac eadem Noſtra Conſtitutione continetur; ita ut quicumque illas, vel illarum aliquam conjunctim, vel diviſim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis, etiam diſputativè, publicè, aut privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, Eccleſiaſticis cenſuris, aliiſque contra ſimilia perpetrantes à Jure ſtatutis pœnis ipſo facto, abſque alia declaratione ſubjaceat.

Cœterum per expreſſam præfatarum Propoſitionum reprobationem alia in eodem Libro contenta nullatenùs approbare intendimus; cum præſertim in decurſu examinis complures alias in eo deprehenderimus propoſitiones illis, quæ, ut ſupra, damnatæ fuerunt, conſimiles, & affines, iiſdemque erroribus imbutas: nec ſanè paucas ſub imaginario quodam, veluti graſſantis hodiè perſecutionis obtentu, inobedientiam, & pervicaciam nutrientes, eaſque falſo Chriſtianæ patientiæ nomine prædicantes; quas propterea ſingulatim recenſere, & nimis longum eſſe duximus, & minimè neceſſarium; ac demùm, quod intolerabilius eſt, Sacrum ipſum novi Teſtamenti Textum damnabiliter vitiatum comperimus, & alteri dudùm reprobatæ verſioni Gallicæ Montenſi in multis conformem; à vulgata verò editione, quæ tot Seculorum uſu in Eccleſia probata eſt, atque ab Orthodoxis omnibus pro authentica haberi debet, multipliciter diſcrepantem, & aberrantem, plurieſque in alienos, exoticos, ac ſæpè noxios ſenſus, non ſine maxima perverſitate detortum.

Eumdem propterea Librum, utpotè per dulces ſermones, & benedictiones, ut Apoſtolus loquitur, hoc eſt, ſub falſa piæ inſtitutionis imagine, ſeducendis Innocentium cordibus longè accom-

accommodatum, ſive præmiſſis, ſive alio quovis titulo inſcriptum, ubicumque, & quocumque alio idomate, ſeu quavis editione, aut verſione hactenus impreſſum, aut in poſterum (quod abſit) imprimendum, auctoritate Apoſtolicâ tenore præſentium iterum prohibemus, ac ſimiliter damnamus; quemadmodum etiam alios omnes, & ſingulos in ejus defenſionem tam ſcripto, quàm typis editos, ſeu forſan (quod Deus avertat) edendos libros, ſeu libellos, eorumque lectionem, deſcriptionem, retentionem, & uſum omnibus, & ſingulis Chriſtifidelibus ſub pœna excommunicationis per contrafacientes ipſo facto incurrenda, prohibemus pariter, & interdicimus.

Præcipimus inſuper Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, aliiſque locorum Ordinariis, necnon hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus, ut contradictores, & rebelles quoſcumque per cenſuras, & pœnas præfatâs, aliaque Juris, & facti remedia, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, brachii ſecularis auxilio, omninò coerceant, & compellant.

Volumus autem, ut earundem præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem fides prorsùs adhibeatur, quæ ipſis originalibus literis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Nulli ergò hominum liceat hanc paginam noſtræ declarationis, damnationis, mandati, prohibitionis, & interdictionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo ſeptingenteſimo decimo tertio, ſexto Idus Septembris, Pontificatûs Noſtri Anno Decimotertio

L. Card. Prodatarius. F. Oliverius,
Viſa de Curia L. Sergardus.
Loco ✠ Plumbi.
Regiſtrata in Secretaria Brevium.
L. Martinettus.

Q SAN-

Digitized by Google

XX.

SANCTISS. D. N. INNOCENTII DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ XII.

Conſtitutio qua plura declarantur, ac præſcribuntur pro tollendis abuſibus, & fraudibus circa Ordinationes alienorum Subditorum.

INNOCENTIUS EPISCOPUS
Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

SPeculatores Domûs Iſrael, quæ eſt ſancta Dei Eccleſia, per ineffabilem Divinæ bonitatis abundantiam conſtituti, eò potiſſimum ab ipſis Pontificatûs noſtri primordiis Paſtoralis vigilantiæ noſtræ ſtudia convertenda eſſe duximus, ut qui in ſortem Domini vocantur, ſacriſque addicuntur miniſteriis, quippe quos irreprehenſibiles eſſe convenit, ut præeſſe valeant corrigendis, ac in quos, tanquam in ſpeculum reliqui oculos conjiciunt, ex iiſque ſumunt quod imitentur, tales ſint, qui dignè poſſint dominica ſacramenta tractare, ac ædificent cunctos tam fidei ſcientiâ, quam operum diſciplinâ.

Sanè hoc inito conſilio, non alios quantum fieri poteſt, quam qui in ſanctitate, & juſtitia per ordinatiſſimos Eccleſiaſticæ militiæ gradus ſtatis intervallis ambulaverint, ac piè, & fideliter in miniſteriis anteactis ſe geſſerint, ad ſacerdotium aſſumi, ſacraſque ordinationes, juxta priſcum Eccleſiæ morem, præſcriptis à jure temporibus, orationi, & jejunio conſecratis, haberi cupientes, ſeveriorem quandam in concedendis indultis ſuſcipiendi ſacros ordines extra tempora hujuſmodi, & interſtitiis ad id deſignatis minimè ſervatis, ultro nobis propoſuimus adhibendam rationem; qua videlicet ſervata, ante meritum laboris, ante tempus examinis, ante experientiam diſciplinæ: ſacer-

ſacerdotalis honor non probatis minimè tribuatur, nec unquam heri ſacrilegi, hodie ſacerdotes, heri profani, hodie ſacrorum antiſtites, veteres vitio, virtute rudes, & recentes, diſcipuli ſimul, ac magiſtri pietatis creentur, ſed ii tantum, juxta conſtitutas à majoribus leges, ab humili gradu fidelis populi, ad ſacrarum adminiſtrationum ſublimitatem promoveantur, qui poſt mutatum habitum ſecularem, diuturna converſatione inter Clericos fuerint comprobati, ac multo tempore didicerint, quæ poſtmodum alios docere tenentur; cæterum per ea ipſa indulta, quæ ſuper præmiſſis parcius quidem, ac ex certis tantum,& magis rationabilibus cauſis concedere decrevimus, contraria quavis illorum interpretatione penitus improbata, ſalutarem illam quam Sac. Generalis Tridentini Concilii Decreta de non Ordinandis ad patrimonii titulum, niſi illis, quos Epiſcopi pro neceſſitate, vel commoditate ſuarum Eccleſiarum aſſumendos judicaverint, præſcribunt diſciplinam, nequaquam relaxatam intelligi; quinimò nec unquam ad indulta hujuſmodi exequenda Epiſcopos ipſos arctare, ſed illorum executionem arbitrio ſemper eorumdem Epiſcoporum, quorum conſcientias hac in re ſtrictiſſimè oneratas volumus, prorſus relinquere declaravimus; ſperantes in Domino eos, qui juxta Apoſtoli monitum, nemini citò manus imponendas eſſe probè norunt, ſibi & univerſo gregi attendentes, in quò eos poſuit Spiritus Sanctus regere Eccleſiam Dei, reverenda ipſis ſpiritibus Angelicis miniſteria ab hominibus ſine conſideratione apprehendi nunquam permiſſuros, nec temerè præripi paſſuros,quæ vita probata duntaxat accipere promeretur. Omnes inſuper, & ſingulos cujuſcunque tandem gradus, Ordinis, & Dignitatis fuerint, quibus ex hujus Sanctæ Sedis gratia Sacros Ordines præfatos extra eadem tempora conferendi, vel aliis, ut illos ſic conferre valeant, indulgendi poteſtas fieri conſuevit, cum Divinos Ordines largiri diſtricti ſemper eſſe judicii oporteat, ſerio monitos volumus, ut præſcriptos ſibi deſuper in ſuis quique facultatibus terminos religiosè cuſtodiant, nec eos cujuſvis conſuetudinis, aut exempli prætextu ullatenus tranſgrediantur.

Verum quo impenſius Apoſtolicæ gubernationis curam, & cogitationes in hæc intendimus, eo majori cum animi noſtri

Digitized by Google

dolore, ex quamplurium Venerabilium Fratrum noſtrorum Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum in diverſis regionibus exiſtentium delatis ad nos querelis accepimus, graviora quotidie malignari inimicum in Sancto, ſacrilega ſcilicet illorum impudentia in dies creſcente, qui propriæ ſalutis immemores, Clericales ordines ſibi forſan à propriis præſulibus denegatos, ſeu quos, aliquibus Canonicis ſibi obſtantibus impedimentis, denegari meritò verentur, ab alienis Epiſcopis, non quæ Jeſu Chriſti, ſed eas, quæ ad ipſos non pertinent oves, in animarum ſuarum perniciem quærentibus, nec tot canonicas damnationes contra uſurpantes alienæ plebis homines latas perhorreſcentibus, abſque ſuorum Prælatorum commeatu, hoc eſt dimiſſoriis, commendatitiiſve eorum literis deſtituti, quinimmò eis inſciis, & ſæpè etiam invitis, ſub minus legitimis Beneficii Eccleſiaſtici, originis, domicilii, ſeu etiam familiaritatis, ac continuæ ordinantium Epiſcoporum commenſalitatis quæſitis titulis, in ſacrarum legum fraudem, & contemptum, illegitimè ſuſcipiunt, atque ita non intrantes per oſtium, & nihilominus tabernaculum Domini cum macula inhabitare non dubitantes, ſacrificium in ſacrilegium convertunt, judicium abſque miſericordia ſibi conſciſcunt, Deoque minimè placentes, & tamen placere velle præſumentes, non modo eum non placant, ſed magis irritant, dum videntur in cordibus ſuis dicere: non requiret.

Hinc eſt, quod nos ex commiſſo nobis divinitùs Apoſtolicæ ſervitutis munere, abuſus, fraudes, ac ſcandala hujuſmodi penitus, & omninò è medio tollere, ac irreligioſam contrafacientium audaciam, quantum nobis ex alto conceditur, compeſcere, & reprimere volentes, nec non fel. record. Urbani VIII. contra malè ordinantes, & male ordinatos, quæ incipit: *Secretis*, aliorumque Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum, ac etiam conciliaribus hac in re editis Conſtitutionibus, & Ordinationibus inhærentes, illaſque quoad ea, quæ præſentibus non adverſantur, quatenus opus ſit, innovantes; de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium ejuſdem Concilii Tridentini Interpretum, qui quæcunque ante hac ſuper præmiſſis âb ipſorum Cardinalium Congregatione in particularibus caſibus edita decreta, declarationes, ſeu reſponſa ad earundem

præ-

præſentium limites reducenda eſſe cenſuerunt, conſilio, ac etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ad Omnipotentis Dei gloriam, Eccleſiæ utilitatem, veteris diſciplinæ inſtaurationem, totiuſque Chriſtiani populi ædificationem; Hac generali noſtra, & perpetuo valitura Conſtitutione decernimus, & declaramus nulli Epiſcopo, ſeu cujuſvis loci Ordinario, tametſi Cardinalatûs honore fulgeat, licere exterum quempiam, ac ſibi ratione originis, ſeu domicilii, juxta modum inferius declarandum, legitimè contracti non ſubditum, ad Clericalem tonſuram promovere cujuſvis Beneficii Eccleſiaſtici ei ſtatim, ac tonſura hujuſmodi inſignitus fuerit, conferendi, ſeu ad quod is à patronis jam præſentatus, ſeu nominatus fuerit prætextu, etiamſi Beneficium prædictum de novo ea expreſsè adjecta lege fundatum fuiſſe conſtiterit, ut quis immediatè poſt Clericalem characterem ſuſceptum, ad illud inſtituatur. Præterea Clericum, qui legitimè jam à proprio Epiſcopo ad eandem clericalem tonſuram, ſeu etiam ad minores ordines promotus fuerit, non poſſe ab alio Epiſcopo ratione, ac titulo cujuſcunque Beneficii in illius Diœceſi obtenti, ad ulteriores ordines promoveri, niſi ante eorundem ſuſceptionem teſtimoniales literas proprii Epiſcopi, tam originis, quam domicilii, ſuper ſuis natalibus, ætate, moribus, & vita ſibi concedi obtinuerit, eaſque Epiſcopo ordinanti in actis illius Curiæ conſervandas exhibuerit.

Licet verò Clericus ratione cujuſvis Beneficii in aliena Diœceſi obtenti, ſubjici dicatur juriſdictioni illius Epiſcopi, in cujus Diœceſi Beneficium hujuſmodi ſitum eſt, eam tamen de cætero hac in re inconcuſſe ſervari volumus regulam, ut nemo ejuſmodi ſubjectionem ad effectum ſuſcipiendi ordines acquirere cenſeatur, niſi Beneficium prædictum ejus ſit reditus, ut ad congruam vitæ ſuſtentationem, ſive juxta taxam Synodalem, ſive ea deficiente, juxta morem regionis pro promovendis ad ſacros Ordines, detractis oneribus, per ſe ſufficiat, illudque ab ordinando pacificè poſſideatur, ſublata quacunque facultate ſupplendi, quod deficeret fructibus ejuſdem Beneficii cum adiectione patrimonii etiam pinguis, quod ipſe ordinandus in eadem, ſeu alia quavis Diœceſi obtineret, ac Epiſcopus ſic ordinans,

nans, tam de prædictis teſtimonialibus literis, quam de reditu Beneficii hujuſmodi, expreſſam in conſueta collatorum ordinum atteſtatione mentionem facere debebit.

Cæterum ſubditus ratione originis is tantùm ſit, ac eſſe intelligatur, qui naturaliter ortus eſt in ea Diœceſi, in qua ad ordines promoveri deſiderat, dummodo tamen ibi natus non fuerit ex accidenti, occaſione nimirum itineris, officii, legationis, mercaturæ, vel cujuſvis alterius temporalis moræ, ſeu permanentiæ ejus patris in illo loco, quo caſu nullatenus ejuſmodi fortuita nativitas, ſed vera tantùm, & naturalis patris origo erit attendenda. Quod ſi quis tanto temporis ſpatio in eo loco, in quo ex accidenti, ſicut præmittitur, natus eſt, moram traxerit, ut potuerit ibidem canonico aliquo impedimento irretiri, tunc etiam ab Ordinario ejus loci literas teſtimoniales, ut ſupra, obtinere, illaſque Epiſcopo ordinanti, per eum in collatorum ordinum teſtimonio ſimiliter recenſendas, præſentare teneatur.

At ſi pater in alieno loco, ubi ejus filius natus eſt, tandiu, ac eo animo permanſerit, ut inibi verè domicilium de jure contraxerit, tunc non origo patris, ſed domicilium per patrem legitimè, ut præfertur, contractum, pro ordinatione ejuſdem filii attendi debeat.

Subditus autem ratione domicilii, ad effectum ſuſcipiendi ordines is duntaxat cenſeatur, qui, licet alibi natus fuerit, illud tamen adeò ſtabiliter conſtituerit in aliquo loco, ut vel per decennium ſaltem in eo habitando, vel majorem rerum, ac bonorom ſuorum partem cum inſtructis ædibus in locum hujuſmodi transferendo, ibique inſuper per aliquod conſiderabile tempus commorando, ſatis ſuperque ſuum perpetuò ibidem permanendi animum demonſtraverit, & nihilominus ulterius in utroque caſu ſe vere, & realiter animum hujuſmodi habere jurejurando affirmet. Si quis tamen à propriæ originis loco in ea ætate diſceſſerit, qua potuerit alicui canonico impedimento obnoxius effici, etiam Ordinarii ſuæ originis teſtimoniales literas, ut ſupra, afferre debebit, ac de illis expreſſa ſimiliter mentio in ſuſceptorum ordinum literis facienda erit.

Ad hæc nullus Epiſcopus alienæ Diœceſis ſubditum familiarem ſuum ad aliquos ſacros, ſeu minores ordines, vel etiam primam

Digitized by Google

primam tonſuram promovere, ſeu ordinare præſumat abſque ejus proprii, originis ſcilicet, ſeu domicilii Prælati teſtimonialibus literis, ut ſupra, & niſi ad præſcriptum Concilii Tridentini præfati, familiarem prædictum, per integrum, & completum triennium in ſuo actuali ſervitio ſecum retinuerit, ac ſuis ſumptibus aluerit; beneficium inſuper, quod ei ad vitam ſuſtentandam, juxta modum ſuperius præfinitum, ſufficiat, quacunque fraude ceſſante, ſtatim, hoc eſt ſaltem intra terminum unius menſis à die factæ ordinationis, re ipſa illi conferat, ac in ordinationis hujuſmodi teſtimonio expreſſam itidem familiaritatis, ac literarum prædictarum mentionem facere teneatur.

Porrò, ut quicunque fraudibus aditus omninò præcludatur, volumus, & Apoſtolica auctoritate ſtatuimus, atque decernimus, ut Epiſcopus quilibet, ſuos ratione originis, ſive domicilii ſubditos clericos quoſcunque, ab alienis Epiſcopis quavis auctoritate, etiam cum ſuis commendatitiis literis promotos, nedum ad formam Concilii Tridentini ſupradicti, quoad ſcientiam examinare valeat, verum etiam ordinum eis collatorum teſtimoniales literas, gratis tamen, recognoſcere, ac diligenter perquirere, an quoad illos, præſentis conſtitutionis forma, & diſpoſitio adimpleta fuerit, aſſignato ſic promotis termino competenti ei magis bene viſo, ad docendum de ejuſmodi adimplemento, ita ut quos eo termino elapſo id minimè præſtitiſſe compererit, à ſuſceptorum ordinum exercitio, ſi ita, & quandiu ei expedire videbitur, ſuſpendere, illiſque, ne in altari, aut in aliquo ordine miniſtrent indicere poſſit.

Ita verò præmiſſa omnia, & ſingula perpetuo, ac inviolabiliter obſervari, atque adimpleri volumus, ut ſi quid in iiſdem præmiſſis, ſeu eorum aliquo ſecus fiat, Ordinans quidem à collatione ordinum per annum, Ordinatus verò à ſuſceptorum ordinum executione, quandiu proprio Ordinario videbitur expedire, eo ipſo ſuſpenſus ſit, aliiſque inſuper gravioribus pœnis pro modo culpæ, noſtro, & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis arbitrio infligendis, uterque ſubjaceat.

Decernentes pariter eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos ſpectat,

Digitized by Google

ctat, & pro tempore quandocunque ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſimè, & inviolabiliter obſervari. Sicque, & non aliter per quoſcunque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac ejuſdem S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, ac Sedis præfatæ Nuncios, alioſve quoslibet quacunque præeminentia, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non quibuſvis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, aut quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis ſub quibuſcunque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus, in genere, vel in ſpecie, ſeu aliàs quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum omnium, & ſingulorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum exprimerentur, & inſererentur, nihil penitus omiſſo, & formâ in illis tradita obſervata, eiſdem præſentibus pro expreſſis, & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Volumus autem, ut præſentes literæ in valvis Eccleſiæ Lateranenſis, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum, nec non Cancellariæ Apoſtolicæ, ac in acie Campi Floræ de Urbe, ut moris eſt, publicentur, & affigantur, ſicque publicatæ, & affixæ, omnes, & ſingulos, quos illæ concernunt, perinde arctent, & afficiant, ac

Digitized by Google

ac ſi unicuique eorum nominatim, & perſonaliter intimatæ fuiſſent; quodque eorundem præſentium tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides, tam in judicio, quam extra illud, ubique adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtrorum Decretorum, declarationis, voluntatis, ſtatuti, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo quarto, pridie nonas Novembris, Pontificatûs noſtri anno quarto.

B. Card. Prodatar. J. F. Card. Albanus.

Viſa de Curia I. Sacripantes.

D. Ciampinus.

Loco ✠ Plumbi.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

Franciſcus Antonius Simoncellus Mag. Cur.

X X I.

Decreta Congregationis à Sanctiſſimo Domino Noſtro ſpecialiter deputatæ

SUPER MODERATIONE INDULTORUM

Suſcipiendi Ordines extra Tempora à Jure Statuta.

SAnctiſſimus Dominus Noſter Innocentius Papa Duodécimus, pro paſtorali ſuo in commiſſum ſibi Gregem Dominicum zelo, ac tuendæ diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſtudio, proſpicere volens, ne Indulta ſuſcipiendi, extra tempora

pora à jure ſtatuta, Ordines nimis facilè concedantur, Congregationi particulari Eminentiſs. D. D. Cardinalium Carpinei, Caſanatis, Mareſcotti, Colloredi, Panciatici, & Albani, nec non Illuſt. D. D. Sperelli, Ciampini, Sacripantis, meique Secretarii infraſcripti ſpecialiter deputatæ expendendas commiſit cauſas, ex quibus præfata indulta tribui ſolent, ut Sanctitati Suæ referri poſſet, quæ ratio deinceps ineunda, modusque adhibendus videretur in conceſſione ſimilium indultorum.

Quæ quidem Congregatio in ædibus præfati Eminentiſſimi Carpinei die 10. Novembris, atque iterum 7. Decembris anni currentis habita, re maturè diſcuſſâ, cenſuit indulta hujuſmodi, ſi Sanctiſſimo placuerit, concedi poſſe ex cauſis infraſcriptis, videlicet:

Ut quis Beneficio, vi cujus arctatur ad Presbyteralem Ordinem ſuſcipiendum, vel alteri etiam perpetuo Beneficio, quod obtinet, vel Capellaniæ ad vitam ſibi conceſſæ, per ſe ipſum inſervire poſſit. Ob penuriam Sacerdotum in illis partibus, vel in Monaſterio pro Regularibus. Ob ſolatium Patris, vel Matris, dummodò quinquaginta ætatis annos excedant, & orator ſaltem per triennium in Clericali habiu honeſtè, & laudabiliter vixerit. Item concedi poſſe cenſuit eadem Indulta Referendariis utriuſque Signaturæ, familiaribus Summi Pontificis, Canonicis Cathedralis, vel etiam Collegiatæ Eccleſiæ, eorumque Coadjutoribus, Magiſtris, ſeu etiam Baccalaureis in Sacra Theologia, Doctoribus utriuſque, vel ſaltem Canonici juris, ſeu Licentiatis, dummodo ſingulos præfatos gradus in publica, & approbata Univerſitate obtinuerint. Iis etiam, qui ſaltem per trienium ſedulam Theologiæ Studiis operam navaverint, ac tandem vigeſimum ſextum ætatis annum excedentibus, ſi per trienium in Clericali habitu honeſtè, & laudabiliter vixerint.

E contra cenſuit non expedire, ut eadem indulta concedantur ex eo, quod quis Diaconus, Subdiaconus, Literarum Apoſtolicarum ſcriptor ſit, ſeu Magiſter in artibus, nobilis, aut præſens in Curia, vel quod Philoſophiæ curſum abſolverit, aut alicui Eccleſiæ adſcriptus fuerit, ad cujus ſervitii titulum ex Apoſtolico indulto, Clerici ordinari poſſunt; aut onus

onus Miſſarum, non tamen ex Beneficio Eccleſiaſtico proveniens, habere ſe doceat.

Inſuper cenſuit, indulta hujuſmodi deneganda eſſe iis, qui aliqua diſpenſatione indigent impedimenti ex eorum delicto provenientis, & Sede Epiſcopali vacante, infra annum à die vacationis, minimè danda iis, qui Beneficii Eccleſiaſtici recepti, ſeu recipiendi occaſione arctati non fuerint.

Item numquam concedenda pro Feſtivis diebus continuis, ſed ſemper pro interpolatis aliquo temporis ſpatio, arbitrio Epiſcopi definiendo.

Denique cenſuit, Epiſcopos omnes, ac etiam Apoſtolicos Nuncios, & Legatos literis, in forma Brevis, circularibus admonendos, decreviſſe Sanctitatem Suam, indulta prædicta non ita paſſim, ſed ex certis tantùm, legitimiſque cauſis concedere, nec Epiſcopos ad eorum executionem adſtringere, ſed illam ſemper ipſorum arbitrio, oneratâ eorundem Conſcientiâ, relinquere. Item per eadem indulta licentiam non tribui promovendi quempiam ad Patrimonii titulum, niſi ad normam Concilii Tridentini; eos vero omnes, qui ab Apoſtolica Sede facultates obtinent conferendi Ordines extra tempora, vel aliis reſpectivè tribuendi licentiam, ut conferant, maximè cavere debere, ne præſcriptos ſibi in iiſdem facultatibus limites cujuſvis conſuetudinis, aut exempli prætextu, tranſgrediantur.

Hæc autem omnia, & ſingula ſupradicta Decreta, audita ex me integra eorum relatione, Sanctiſſimus Dominus noſter laudavit, & approbavit, ac tam in Dataria, & Secretaria Brevium, quàm à cæteris omnibus Miniſtris, & Officialibus Curiæ, ad quos pertinet, perpetuò, & inviolabiliter ſervari mandavit, ſublata omnibus quacunque facultate, prædicta indulta aliter, quam ad formam eorundem Decretorum, in poſterum expediendi. Hac die 14. Decembris 1693.

Carolus Auguſtinus Fabronus Secret.

XXII.

Literæ Encycl. Sacr. Congr. S. Offic. ſuper Exorciſmis.

Illuſtre, e Reverendiſſimo Signore come Fratello.

Eſſendo ſtati rappreſentati alla Santità di Noſtro Sig. i gravi diſordini, che ſieguono dalla moltiplicità degl' Eſorciſmi, che quaſi univerſalmente s' inventano, e ſi pratticano dalle Perſone deſtinate ad Eſorcizare, e volendo la medeſima colla ſua Paſtoral ſollecitudine dare à tali inconvenienti il neceſſario provvedimento (uditi prima li pareri di queſti miei Eminentiſs. Colleghi Signori Cardinali Generali Inquiſitori) hà ſtabilito, che per mezzo di queſta Sagra Congregazione s'ordini a tutti gl' Arciveſcovi, Veſcovi, & altri Ordinarj, ſi come colla preſente s' ordina à V. S. che in avvenire non permetta, che alcun Sacerdote tanto Secolare, quanto Regolare ſia ammeſſo all' eſſercizio d' Eſorciſta, ſenza che prima le conſti della di luî pietà, integrità di vita, e prudenza, e ſenza ch' abbia tutte le qualità ricercate per tal amminiſtrazione dal Rituale Romano.

Vuole in oltre Sua Beatitudine, ch' ella inſiſta con tutta la ſua attenzione, e vigilanza, acciò che le Perſone, che ſarano da lei ſtimate capaci di tal Miniſtero, ſi vagliano della direzione del ſopradetto Rituale Romano, e che non preteriſcano le Regole, che in quello ſi preſcrivono. Tanto V. S. doverà eſſeguire per ubbedire eſattamente alli Santi, e ſupremi ordini di Sua Beatitudine. E Dio la proſperi. Roma 2. Luglio 1710.

D. V. S.

Come Fratello
G. Cardinal Mareſcotti.

Inſtru-

Digitized by Google

XXIII.

Inſtructio Parochorum , & aliorum Confeſſariorum pro Caſibus, quorum Abſolutio, vel Diſpenſatio ſpectat ad Sacram Pœnitentiariam, ſeu ad Sedem Apoſtolicam.

CUm ſæpe ſit experientiâ compertum, plurimos utriuſque ſexûs Chriſti-fideles, & præcipuè in longinquis degentes, Cenſurarum vinculis, votorum obſtrictione, matrimonialibus impedimentis, Irregularitatum inhabilitate, aliiſque reſervatorum caſuum ligaminibus obnoxios, cęteriſque pœnis, ad hanc Sanctam Sedem Apoſtolicam, ejuſque ſacram Pœnitentiariam ſpectantibus, irretitos, in illis lachrymosè perſiſtere, & tandem (quod eſt maximè dolendum) in illorum damnationis ſtatu ſæpius laborioſè perire, cumque tanti mali cauſam hiſce præcipuè fontibus manare pateſcat, &c.

Primò: nam Parochi, vel alii, ad quos Pœnitentes hujuſmodi concurrere contingit, in Pagis, Ruribus, & Suburbiis vitam ducere ſolent, nec viam, modumque, vel aliquem in Alma Urbe, qui ſalutare remedium, & abſolutionis, vel diſpenſationis literas a dicta Sacra Pœnitentiaria, quæ jugiter gratis, & benignè confugientibus remedia partitur, eis obtineat, & procuret, cognoſcentes, nec ſperantes, hac vera, & facili via diſpoſita, dictos pœnitentes, ad eorum Ordinarios dirigendo, dimittunt, cumque ad ipſos accedere (fœminas præſertim) verecundia, vel pudor intercludat aditum, & timor acceſſum præpediat, conſilium ultra invenire ignorando verentur, unde ſub illis in ſtatu damnationis inſor deſcendæ propriæ conſcientiæ, & divinæ Juſtitiæ flagello terrentur.

Secundò, vero alii proprios in Urbe Procuratores habentes, tantùm pecuniæ cum pro ipſorum labore exigunt, quod inopes pœnitentes, tantis ſumptibus impares gratiæ inhiantes, inconſolati recedant (& quod eſt enormius) ſibi fortaſſe perſuadent, Sacræ Pœnitentiariæ Tribunal aliquid lucri

cri

cri pro literis prædictis reportare, quod non ſolum omnia gratis concedit, ſed etiam ſerena fronte, & grato omnes excipit animo, & ad tam pium opus eos adjuvat, & hortatur.

Tertiò, evenit nonnunquam, & exponentium inadvertentiâ ſuccedit, ut gratiæ jam obtentæ judicentur, ex eo, quia caſus, & circumſtantias eorum confusè explicando, vel reticendo, inde fit quod literarum executores, præmiſſo poſtea pœnitentium verò ſcrutinio, rem aliter, quàm eſt expreſſum ſe habere comperiunt, unde ipſas exequi nequeunt, quam obrem expoſcentes ſæpe confuſi, ſpe novæ impetrationis carere putantes, benigno abdicato remedio, privati, & inhabiles permanere cogantur.

Quare gratum Omnipotenti Deo, & rem utilem fidelibus ſuis me facturum ſpero, ſi brevem methodum, qua in ſupradictis uti debeant proponam.

Sic igitur Caſum exponet, &c.

Eminentiſſime, & Reverendiſſime Domine.

N. A Sacerdos contraxit Irregularitatem ex homicidio occulto, ab ipſo ob talem cauſam, clam tali modo patrato, vel procurato in perſonam hominis Laici, ab illo tamen tempore non abſtinuit ab exercitio ſuorum Ordinum, ne ſe proderet, vel alios ſcandalizaret (ſi verò abſtinuerit dicit) ſe abſtinuit, ſed cum diu abſque ſcandalo abſtinere non valeat humilimè ſupplicat pro remedio.

N. N. Vir contraxit matrimonium cum N. muliere, cujus matrem, vel ſororem antea carnaliter cognoverat, conſcius, vel neſcius impedimenti, quod occultum eſt, quare cum abſque ſcandalo ſeparari non poſſit, humiliter ſupplicat pro remedio.

N. Mulier emiſit votum perpetuæ caſtitatis, ſed cum adſit, vel futurum eſſe prævideat incontinentiæ periculum, humillimè ſupplicat pro diſpenſatione ad effectum nubendi.

Item quoniam innumeri ſunt caſus, pro quibus ſupplicari contingat, varia quoque eſſe poterunt ſupplicationum exempla, pro quorum notitia hæc indicaſſe ſufficiat.

Deni-

Digitized by Google

Denique ſi in illa Civitate, ſeu Oppido, unde Eminentiſſimo Pœnitentiario ſcribitur, non fuerint Confeſſores in Jure Canonico Doctores, vel Sacræ Theologiæ Magiſtri, vel ſi quando etiam adeſſent, non de facili pœnitentes iuducerentur, vel nequirent eis propriam aperire conſcientiam, vel quia alii Confeſſori non graduato jam manifeſtaverint, ideo advertant hoc idem ipſi magno Pœnitentiario ſignificare. Quod ſimiliter faciant, quando Confeſſarius Gothicum characterem legere neſciat, quoniam de opportuno remedio providebitur.

Quod ſi fortè reſponſio ipſius Eminentiſſimi tardare videbitur, eo caſu prudens Confeſſarius, vel pœnitens dignetur reſcribere, ut ſi fortè fuiſſet deperdita, alia ad manus dicti Eminentiſſimi Pœnitentiarii perveniat, quibus præmiſſis (adjuvante Domino) omnibus incommodis proſpicietur, animaſque fratrum noſtrorum, ſuo favore, & piorum Confeſſariorum ſolertiâ lucrabimur.

Hortantur tandem Parochi, & alii, ad quos præſentes pervenerint, ipſas per affixionem, vel typis mandando, vel tranſcribendo, earum notitiam pro animarum ſalute cunctis, quibus poterunt communicare.

XXIV.

FORMA JURAMENTI

Præſtandi à quolibet Proviſo de aliquo Canonicatu in Eccleſiis Cathedralibus, vel Collegiatis.

EGo N. proviſus de Canonicatu in Eccleſia Cathedrali (ſive Collegiata) S. N. juro, me futurum fidelem, & obedientem Sanctæ Matri Eccleſiæ Catholicæ Romanæ, ac Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Domino SEBASTIANO POMPILIO Epiſcopo Montisfaliſci,

&

& Corneti, ejuſque legitimis Succeſſoribus, neque Canonicatum ante dictum accepiſſe animo dimittendi, ſed per me eidem deſerviturum, & continuam reſidentiam facturum; Juro inſuper omnium, & ſingulorum bonorum, mobilium, ſtabilium, Jurium, & pertinentiarum ad eundem Canonicatum, quomodolibet ſpectantium, & pertinentium Inventarium me facturum, & infra duos menſes in Archivio Epiſcopali exhibiturum, bonaque, res, & Poſſeſſiones ad eundem pertinentes, & pertinentia, non venditurum, donaturum, pignoraturum, aut alio quovis modo contra Juris diſpoſitionem alienaturum; Imò alienata pro poſſe recuperaturum, ſemperque defenſurum. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

FORMA JURAMENTI

Præſtandi à quolibet Proviſo de aliqua Eccleſia Parochiali, reſidentiam requirente.

EGo N. proviſus de Eccleſia Parochiali S. N. juro me, futurum fidelem, & obedientem Sanctæ Matri Eccleſiæ Catholicæ Romanæ, ac Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Domino SEBASTIANO POMPILIO Epiſcopo Montisfaliſci, & Corneti, ejuſque legitimis Succeſſoribus; Neque me Beneficium ante dictum accepiſſe animo dimittendi, ſed per me eidem deſerviturum, & continuam reſidentiam facturum. Juro inſuper omnium, & ſingulorum bonorum, mobilium, ſtabilium, jurium, & pertinentiarum Inventarium me facturum;

Digitized by Google

rum, & infra duos menſes in Archivio Epiſcopali exhibiturum, omniaque bona, res, & poſſeſſiones ad eandem pertinentes, & pertinentia, non venditurum, donaturum, pignoraturum, aut alio quovis modo contra Juris diſpoſitionem alienaturum; Imò alienata pro poſſe recuperaturum, ſemperque defenſurum. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

FORMA JURAMENTI

Præſtandi à Proviſo de aliquo Beneficio ſimplici, vel Capellania.

E*Go N. proviſus de Beneficio ſimplici, ſive Capellania ſub Titulo, & invocatione Sancti N. erecta, & fundata in Eccleſia S. N. juro, me futurum fidelem, & obedientem Sanctæ Matri Eccleſiæ Catholicæ Romanæ, ac Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Domino Domino SEBASTIANO POMPILIO Epiſcopo Montisfaliſci, & Corneti, ejuſque legitimis Succeſſoribus, neque me Beneficium ante dictum accepiſſe animo dimittendi, ſed me eidem deſerviturum, & onera Miſſarum, & alia, ſi quæ ſint, diligenter adimpleturum, & ſatisfacturum. Juro inſuper omnium, & ſingulorum bonorum ad eandem Capellaniam quomodolibet ſpectantium, Inventarium me facturum, & infra duos menſes in Archivio Epiſcopali exhibiturum. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.*

Digitized by Google

X X V.

DECRETUM SACRÆ CONGREGATIONIS CONCILII

Moderationis Brevis Gregorii XIII. ſuper Bonis Eccleſiarum ad Livellum conceſſis.

1 B*Ona Eccleſiaſtica, quæ excedunt valorem annui reditus quinquaginta Ducatorum, non poſſunt dividi, ad hoc ne diminuatur valor, & reducantur infra quadraginta Ducatos, ut res fiat alienabilis.*

2 *Non poſſunt Bona Eccleſiaſtica hujuſmodi alienari ipſis Rectoribus Eccleſiarum, nec eorum Conſanguineis, & Affinibus uſque ad quemcumque gradum.*

3 *Sicut non poſſunt alienari Parochorum, & Rectorum domus, ita prohibetur etiam, ne alienentur prædia vicina, & contigua ipſis Eccleſiis.*

4 *Placet etiam, ut reddatur prohibitio locationis omnium Locorum Piorum, ultrà triennium anticipata ſolutione.*

Et facta relatione SS. D. N. annuit, & mandavit expediri Breve 7. Octobris 1602.

Hieronymus Aguccius Secr.

DECRETI DELLA SAGRA CONGREGATIONE

De' Veſcovi ſopra le conceſſioni in Emfiteuſi.

A*Ll'Arciveſcovo di Genova. li 12. Febraro 1597. Se gli ordina di far dichiarazione per Decreto particolare nel proſſimo Sinodo, ed inculcare in Viſita, che a neſſuno di qualſivoglia ſtato, o conditione ſia lecito locare, inveſtire, o in qualſivoglia altro modo concedere ad altri Beni devoluti alle Chieſe, ſe ben ſoliti concederſi per il paſſato, ſe non con le debite ſolennità, e con quell' aumento, e vantaggio d'Affitto, Canone, o Livello maggiore, che ſia poſſibile, havuto riguardo allo ſtato preſente, & a quello, che per l'addietro ſe ne ſia cavato, come vuole la ragione: ſotto pena della nullità de' contratti, & altre impoſte da' Sacri* Ca-

Canoni, e Coſtituzioni Ponteficie contro quelli, che diſtrahano Beni di Chieſe, ò che l' acquiſtano ſenza le debite ſolennità. Anzi che potendoſi ſenza far molto ſtrepito, ſi deve procurare di ricuperare i Beni già fatti migliori, e devoluti alla Chieſa, e poi conceſſi per l' iſteſſo prezzo di prima, perche queſte convenzioni ſecondo la Rota ſono nulle.

In diverſis aliis Decretis ejuſdem Sacræ Congregationis habentur ſequentes conditiones.

PEr conceder licenza di dar Beni Eccleſiaſtici in Emfiteuſi, biſogna ſaper prima, come, e da quanto tempo ſono devoluti. Aprunt. 26. Martii 1602. 2. Le qualità, e vero valore delle Caſe, ò Terreni da concederſi in Emfiteuſi, e loro annuo frutto. 3. Che vi ſia pronta occaſione di chi vogli pigliare in Emfiteuſi. 4. Se l' iſtanza venghi fatta con parere, e conſenſo Capitolare. 5. Se le Caſe ſiano ruinoſe, overo i Terreni lontani, e ſeparati dagli altri Beni della Chieſa. 6. Se ſiano gravati di Meſſe, o di altro Legato Pio, o ſoggiacciano a peſo, e vincolo di veruna ſorte. 7. Con quali condizioni ſi vorebbero dare in Emfiteuſi. Lanciano 20. Aprile 1647. 8. Se eſpoſte le ſolite Cedole, ſe ne trovi maggior' offerta, overo qual' offerta ſe ne trovi. Acquapendente. 30. Settembre 1650. 9. Finalmente ſe, concedendoſi la licenza, ne riſultarebbe l'evidente utilità della Chieſa, e per quali ragioni. Volterra 31. Agoſto 1647.

XXVI.

Literæ Encyclicæ Sacr. Congreg. Conc. De Reſidentia.

PErilluſtris, & Reverendiſſime Domine uti Frater. Paſtoralis ſalubriter exequendo aſſiduè intentu Sanctiſſimus Dominus Noſter, in eam præ cæteris ſingulari ſtudio incumbit ſolicitudinem, ut omnes Metropolitanarum, Ca-

thedralium, Collegiatarum Eccleſiarum Dignitates, Canonici, Beneficiati, Portionarii, aliique earum obſequiis mancipati, præcipuè verò Eccleſiarum Parochialium Rectores, & quicunque alii animarum curæ præpoſiti, juxtà Sacrorum Canonum, & Sacri Tridentini Concilii decreta, atque Apoſtolicarum Conſtitutionum præſcriptum, perſonalis reſidentiæ munus, quo obſtricti ſunt, agnoſcant, illudque bonâ fide, &, qua par eſt, ſedulitate, ac diligentiâ præſtent. Cùm autem Sanctitati Suæ non abſque gravi animi ſui mœrore dudum innotuerit, nonnullos præfatarum Eccleſiarum ſervitio, vel animarum regimini addictos, proprii oblitos officii, huc illuc per multos, annos divagari ſine ullâ ſuorum Prælatorum licentiâ, vel etiam cum eâ, ſed ultrà tempus permiſſum, ac præter cauſas legitimas ab eiſdem Sacris Canonibus, & Sacro Tridentino Concilio approbatas, & abſque Apoſtolicis Indultis, quæ ab hac Sacra Congregatione Eminentiſſimorum S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalium ejuſdem Concilii Interpretum juſtam diſcedendi cauſam habentibus concedi ſolent; unde non rarò fit, ut divina officia, & Eccleſiaſtica munia, quæ ab integro Miniſtrorum numero expleri debent, maximè negligantur, & animarum cura proprio Paſtore deſtituta graviſſimum patiatur detrimentum, nec ſit, qui Parvulis petentibus evangelicum panem frangat; Volens propterea Sanctitas Sua pro eximio, quo pollet, zelo, maximum hunc abuſum è medio tollere, ſimulque opportunè proſpicere, ut ſinguli Eccleſiarum Miniſtri deinceps iis debita fidelitèr exhibeant obſequia, & Parochialium in primis Eccleſiarum Rectores, paſcendis ovibus ſibi commiſſis aſſiduè, ac diligenter vacent; Sicuti eâ de re ſaluberrima in Urbe mandata nuper edidit pro iis, qui alibi reſidere obſtricti, inibi commorantur, ita etiam jubet, ac præcipit univerſis Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac cæteris Locorum Ordinariis quibuſcumque Paſtoralem ſolicitudinem excitantes, prælaudata Sacrorum Canonum, & Sacri Concilii Tridentini decreta adverſus prædictarum Eccleſiarum Canonicos, omneſque, & ſingulos Beneficiatos de jure, vel conſuetudine reſidere obligatos, nec non adverſus Parochos, & quoſcumque alios animarum curam exercentes reſpectivè edita

edita ſeriò obſervent, ac obſervari faciant, eos opportunis remediis ad perſonalem reſidentiam compellendo, ut onera unicuique eorum pro divino cultu, & Eccleſiarum, animarumque ſervitio incumbentia ſuſtinere commodè poſſint. Porrò in hunc ipſum finem eoſdem Locorum Ordinarios hortatur, ac admonet, ut hujuſmodi Parochos, Canonicos, alioſque Beneficiatos, ut ſupra, reſidere detrectantes, pœnis à Sacris Canonibus, & Sacro Concilio Tridentino ſtatutis, ſubtractionis ſcilicet fructuum, & creſcente contumaciâ, privationis etiam Canonicatuum, ac Beneficiorum, quibus potiuntur, mulctare, & coercere non omittant, ac in eos ulteriùs procedant juxtà formam *Innocentii III.* relatam *in cap. Ex tua de Cleric. non reſiden.* implorato etiam ad id, ubi opus fuerit, auxilio, & ope Ordinariorum, in quorum Diœceſibus prædicti refractarii commorantur. Ut autem hæc omnia ſuum exactiùs ſortiantur effectum, Sanctitas Sua iiſdem Locorum Ordinariis injungit, ut quos ex Parochis, Dignitatibus, Canonicis, & Beneficiatis ejuſmodi in præſens, vel etiam in poſterum quandocumque à propriâ reſidentiâ abeſſe compererint ultrà tempus permiſſum, & abſque debitis Apoſtolicis Indultis, eorundem contumacium nomina, & Beneficia reſidentialia, quæ obtinent, ac inſuper Diœceſes, & Loca, in quibus ipſi moram trahunt, huic Sacræ Congregationi per ſuas literas incunctanter denuncient, & quoad contumaces in Urbe degentes idipſum tam eidem Sacræ Congregationi, quàm Eminentiſſimo ejuſdem Urbis Vicario ſignificent. Mandat denique Sanctitas Sua, ut præſentes Literæ, ne ullo unquam temporis decurſu obſoleſcant, aut in deſuetudinem abeant, in iſtius Cancellariæ regeſtis deſcribantur.

Cumque in his exequendis, provida in primis Sacrorum Antiſtitum ſolertia verſari debeat, confidit Sanctiſſimus Pater præmiſſa omnia ab Amplitudinis Tuæ pervigili zelo, enixoque ſtudio ita præſtanda fore, ut nedum Paſtoralis officii ſui debito cumulatè ſatisfaciat, verum etiam nihil deſuper Sanctitati Suæ deſiderandum relinquat; Et Amplitudini Tuæ à Summo bonorum omnium Largitore fauſta omnia precamur.

Dat. Romæ die 15. Martii 1710. *Uti Frater Studioſus*
Ampl. Tuæ B. Card. Panciaticus Præf.

XXVII.

Decreta circa validitatem Electionis Sepulturæ.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Dudum à Congregatione tunc exiſtentium S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum ad ſupplicationem tunc exiſtentis Commendatarii Abbatię, & Parochialis Eccleſiæ Sancti Joannis Majoris nuncupatæ Civitatis Neapolitanæ emanavit Decretum tenoris, qui ſequitur, v. Neapolitana electionis ſepulturæ: libellus infraſcripto verborum tenore conceptus Eminentiſſimi Commendatarii Abbatiæ, & Parochialis Eccleſiæ S. Joannis Majoris nomine huic Sacr. Congregationi Concilii porrectus fuit. *Eminentiſs. e Revendiſs. Sig. Per evitarſi le controverſie, che per cauſa dell'elenzione di ſepoltura, e di funerali ſogliono avvenire non ſenza ſcandalo de' Fedeli; ſono l' Eminenze Voſtre ſupplicate dal Commendatario dell' Abbazia, e Chieſa Parrocbiale di S. Giovanni Maggiore di Napoli per la riſoluzione de' ſeguenti dubj.*

Primo, ſe ſia valida l' elezione della ſepoltura, che ſi fà nella preſenza del Paroco da chi è ſano, o infermo.

Secondo, ſe al valor dell' elezzione della ſepoltura ſi richieda il Teſtamento nell' ultima volontà, overo baſti, che s'elegga innanzi per altro atto publico, che non ſia Teſtamento.

Terzo, ſe ſia nulla eſſa elezzione di ſepoltura, quando s' elegge eziandio per Teſtamento fatto in vita, e non in morte.

Quarto, ſe chi hà Cappella di ſua famiglia con ſepoltura propria, o ſi compraſſe Cappella con propria ſepoltura, morendo ſenza elezzione di ſepoltura, ſi debba ſepelire nella Catedrale.

Quinto, ſe ſia valida l' elezzione della ſepoltura fatta alla preſenza di due, o più teſtimonj.

Seſto, ſe l' elezzione della ſepoltura fatta per nutum, e per ſigna, in caſo, che tal' uno non poſſa parlare, ſia valida.

Setti-

Settimo, ſe li Fratelli delle Confraternita ſi poſſano ſepelire nella ſepoltura della loro Chieſa, non facendoſi elezzione d'altra.

Ottavo, ſe l'elezzioni della ſepoltura, le quali de jure præſumuntur, come quella della moglie, riſpetto al marito, de' figli riſpetto al Padre, e loro maggiori, de' ſchiavi e ſimili riſpetto a Padroni, e ſimili ſiano valide, ch'è quanto dall'Eminenze Voſtre benignamente ſi deſidera di dichiarare, & il tutto &c.

Quæritur, quid ad ſingulas prædictas dubitationes reſpondendum.

Die 13. Februarii 1666. Sacra Congregatio Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium Tridentini Interpretum.

Ad primam: cenſuit eſſe validam, dummodò Parochus non atteſtetur ad proprium commodum.

Ad ſecundam: cenſuit non requiri neceſſariò teſtamentum.

Ad tertiam: cenſuit non eſſe nullam.

Ad quartam: non eſſe ſepeliendum in Cathedrali.

Ad quintam: eſſe validam.

Ad ſextam: eſſe validam, dummodo ſufficienter conſtet de voluntate eligentis.

Ad ſeptimam: negative.

Ad octavam: cenſuit, quatenus electa non fuerit ſepultura, uxorem in ſepultura ultimi viri ſepeliendam, filios verò in ſepulchro majorum, ſervos autem in Parochia. Ita reperitur in Regeſto Decretorum lib. 25. fol. 29. ejuſdem Sacræ Congregationis. In quorum fidem, &c. Datum hac die 29. Junii 1682. Ita eſt A. Altovitus Sacræ Congregationis Secretarius. Loco ✠ Sigilli. Cum autem ſicut dilecti filii Electi dictæ Civitatis Neapolitanæ Nobis nuper exponi fecerunt, ipſi Decretum hujuſmodi, quo firmiùs ſubſiſtat, Apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio communiri ſummoperè deſiderent; Nos ſpecialem ipſis exponentibus gratiam facere volentes, & eorum ſingulares perſonas, à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt ad eſſe-

Digitized by Google

effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati; Decretum præinſertum, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adiicimus: ſalva tamen ſemper in præmiſſis auctoritate præfatæ Congregationis Cardinalium. Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari, ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die 12. Julii 1682. Pontificatûs noſtri anno ſexto.

J. G. Sluſius.

Aliud Decretum, ſive declaratio ejuſdem circa electionem ſepulturæ collective factam à Confratribus.

Neapolitana Juris funerandi.

SUmpta occaſione Decreti editi ab hac Sacra Congregatione in alia cauſa Neapolitana ſub die 13. Februarii 1666. quæ ad ſecundum ex pluribus dubiis propoſitis ſuper materia funerum reſpondit: Ad validam ſepulturæ electionem non requiri neceſſariò teſtamentum.

Confratres, & Conſorores paucis ab hinc annis conſueverunt collectivè, & collegialiter per publicum inſtrumentum eligere ſepulturæ ſuæ locum in aliis Eccleſiis, & ſignanter Regula-

gularium, in quibus eædem Sodalitates erectæ reperiuntur, abſque tamen voto, juramento, aut promiſſione de non revocando electionem, & nuper Confratres Artifices Congregationis Aſſumptæ erectæ in Eccleſia Presbyterorum Oratorii S. Philippi Nerii, per libellum à Sanctiſſimo Domino Noſtro remiſſum ſupplicarunt, hujuſmodi electionis ſepulturæ modum validum declarari.

Super his confecto proceſſu per Eminentiſſimum Archiepiſcopum, dataque relatione, quæ in ſeorſivo folio per manus Eminentiſſimorum Patrum tranſmittitur, hodie informante tantùm Capitulo Eccleſiæ Archiepiſcopalis Neap. quæritur,

An hujuſmodi electio ſepulturæ collectivæ, & collegialiter facta ſuſtineatur in caſu, de quo agitur?

Die 16. Maii 1682. Sacra Congregatio Eminentiſſimorum S.R.E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum reſpondit, ſuſtineri electionem ſepulturę collectivè factam per Confratres individualiter conſentientes, & die 19. Decembris ejuſdem anni 1682. repropoſitâ hujuſmodi cauſâ, utraque parte ore, & ſcriptis informante, ſtetit in deciſis, addita clauſula, revocabiliter tamen.

F. Card. Columna Præfectus.

A. Altovitus S. C. C. Secret.

XXVIII.

FORMA JURAMENTI

Præſtandi à Proviſo de aliquo Beneficio ſimplici, ſive Capellania vigore nominationis, ſive præſentationis.

EGo N. nominatus, & præſentatus ad ſimplex Beneficium, ſive Capellaniam ſub Titulo, & invocatione S. N. erecta, & fundata in Eccleſia S. N. juro,

 me

me futurum fidelem, & obedientem Sanctæ M. Eccleſiæ Catholicæ Romanæ, ac Illuſtriſſimo, & Re rendiſſimo D. SEBASTIANO POMPILIO Epiſc Montisfaliſci, & Corneti, ejuſque legitimis Succ ribus; Neque me ad effectum obtinendi eamdem no nationem, ſive præſentationem pacta aliqua illicita, ullo prorsùs, nec tacitè, nec expreſſe, nec per me ipſ nec per interpoſitam Perſonam, prorsùs iniviſſe, n Beneficium, ſive Capellaniam antedictam accepiſſe mo dimittendi, ſed per me eidem deſerviturum, & ra Miſſarum, ac alia, ſi quæ ſint, diligenter ad im turum, & ſatisfacturum. Juro inſuper omnium, ſingulorum Bonorum, ad eamdem Capellaniam, qu dolibet ſpectantium, Inventarium me facturum infra duos menſes in Archivio Epiſcopali exhibitu ac eadem Bona contra Juris diſpoſitionem non alie rum; Imò alienata pro poſſe recuperaturum, ſemp defenſurum. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sanct Evangelia.

FORMA JURAMENTI

Præſtandi à Proviſo de aliqua Eccleſia Parochi. ſive Canonicatu vigore nominationis, vel præſentationis.

E*Go N. nominatus, & præſentatus ad Ecc. Parochialem S.N. (vel ad Canonicatum in ſtu &c.) juro, me futurum fidelem, & obediente ctæ Matri Eccleſiæ Catholicæ Romanæ, ac Illuſtr*

& Reverendiſſimo Domino *SEBASTIANO POMPILIO Epiſcopo Montiſfaliſci, & Corneti, ejuſque legitimis Succeſſoribus. Neque me ad effectum obtinendi eamdem nominationem, ſive præſentationem, pacta aliqua illicita cum ullo prorsùs, nec tacitè, nec expreſsè, nec per me ipſum, nec per interpoſitam perſonam iniviſſe; Juro inſuper, me non accipere Eccleſiam prædictam (ſive Canonicatum) animo dimittendi, ſed per me eidem deſerviturum, & continuam reſidentiam facturum. Item omnium, & ſingulorum Bonorum, mobilium, ſtabilium, jurium, & pertinentiarum ad eamdem Eccleſiam Parochialem (ſive ad eumdem Canonicatum) quomodolibet ſpectantium, & pertinentium, juro, me Inventarium facturum, & infra duos menſes in Archivio Epiſcopali exhibiturum; omniaque Bona, res, & Poſſeſſiones ad eamdem Eccleſiam (ſive ad eumdem Canonicatum) pertinentes, & pertinentia, non venditurum, donaturum, pignoraturum, aut alio quovis modo contra Juris diſpoſitionem alienaturum; Imò alienata pro poſſe recuperaturum, ſemperque defenſurum. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.*

XXIX.

D*eelacratio Sacræ Congregationis Concilii Tridentini à Sanctiſſimo Domino Noſtro Clemente Papa IX. approbata Super acceſſu Regularium ad Monaſterium Monialium.*

DIe 11. Maii 1699. Sac. Congregatio Eminentiſſimorum S.R.E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum,

 habita

habita notitia, quod nonnulli Regulares abſque licentia crates Monaſteriorum Monialium adire, & frequentare non dubitent, prętendentes non eſſe interdictum per breve tempus, etiam uſque ad quadrantem horæ cum dimidio, quod horologio arenario aliquando metiuntur, Moniales, aliaſque perſonas intra Clauſuram exiſtentes alloqui; & hanc opinionem tanquam tutam affirment, diſſeminent, & etiam forſan in ſcriptis evulgent, proprias graviter illaqueantes conſcientias, & ſcandala confoventes, ad hujuſmodi pernicioſos errores eliminandos opinionem prædictam improbans, rejiciens, & damnans, declaravit, Regulares cujuſcunque Ordinis, Militiæ, Societatis, Congregationis, & Inſtituti, etiam de quibus ſpecialis mentio foret habenda, qui ad Monaſteria Monialium, quamvis ab Ordinarii Juriſdictione quomodolibet exempta, & etiam ipſis Regularibus ſubjecta, vel alias ſpeciali mentione digna abſque legitima facultate accedunt colloquendo, etiam per quodcunque modicum tempus, cum Monialibus, aut aliis intra Clauſuram degentibus, peccare mortaliter, eoſque ſub excommunicationis, & privationis vocis activæ, & paſſivæ, aliiſque contra Regulares accedentes ſine licentia ad Monaſteria Monialium ſtatutis pœnis poſſe ab Ordinario, tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegato carcerari.

Et die 7. Junii ejuſdem anni, facta relatione SS. D. N. Sanctitas Sua præſentem Declarationem approbavit, ac Typis dari, ſervarique juſſit.

A. Card. Celſus Præfectus.

Loco ✠ Sigilli.

S. Brancaccius Archiep. Adrianop. Secret.

Dubia ſuper collocutione Regularium cum Monialibus.

Edita lege ſtatim illam eludere malitia excogitat. Non ita pridem emanavit generale Decretum, arctiſſimè prohibens colloquia Regularium cum Monialibus, quando jam ſuper eo variæ interpretationes confingi cœperunt, aliæque nunc Bergomi

gomi ſuboriuntur; pro quarum reſolutione ſupplicant Confeſſarii Monialium quærendo,

I. An Regularibus miſſis ad Crates Monialium pro munere prædicationis obeundo, prohibitum ſit ſub peccato mortali, cenſuris, & pœnis &c. immediatè poſt cum ipſis Monialibus, abſque expreſſa licentia ad colloquendum, immiſcere ſermones cum quæſtionibus, vel dubiis ſpiritualibus, aut materiis ipſius Concionis.

II. An talis prohibitio intelligatur, tam de collocutione cum aliquibus Monialibus, quàm cum una tantùm (omnibus tamen aliis audientibus) immediatè poſt Concionem.

Decretum Sac. Congr. editum de mandato Urbani VIII.

UT, quatenus ſibi viſum fuerit in Domino expedire, licentiam concedere poſſit per quatuor vices ad ſummum quolibet anno cuique Regulari, ut Moniales ſibi in primo, & in ſecundo tantùm gradu conſanguinitatis conjunctas convenire, & alloqui poſſint, id verò non aliter, quam ſervata ad unguem forma infraſc.

I. Ut nullo modo liceat diebus feſtivis, aut in Adventu, Quadrageſima, feria ſexta, Sabbatho, & Vigiliis.

II. Prædictaque licentia obtenta ab Ordinariis, aut ab alio, ad quem ſpectat eam concedere, conſignetur Confeſſario ordinario Monaſterii, qui penes ſe retinere debeat, iſque aſſociet, & præſens ſit, & auſcultatrices de more, non autem alii aſſiſtant.

III. Prædictaque licentia pro die, & hora certa, & in ſcriptis concedatur, ac in libris Cancellariæ ejuſdem Ordinarii annotetur.

IV. Quod ſi prædicti Locorum Ordinarii per plures vices, vel in ulteriori gradu conjunctis, aut aliter quam ſervata forma ſupradicta licentias conceſſerint, vel permiſerint, ſciant ſe intentionis SS. D. N. & S. Cong. tranſgreſſores, judiciumque reformident: Regulares autem pœnis in ſupradicto Decreto contentis, ac ſi nullam licentiam obtinuiſſent, eo ipſo ſe noverint addictos, & arbitrio Sac. Congreg. ſeveriùs puniendos.

Dat. Romæ 12. Kal. Decemb. 1623. Let-

Lettera della Sacra Congregazione de' Veſcovi circa il modo, che ſi deve tenere nel ſentire le Confeſſioni delle Monache inferme.

Emo, e Rmo Signore mio Oſſmo.

LA Santità di N. S. moſſo dal ſuo paterno zelo mi commanda di ſignificare a V. E. eſſer preciſa mente di S. B. che tutti li Confeſſori de' Monaſterj di Monache, benche eſenti di qualſivoglia eſenzione, non debbano in alcuna maniera udire le Confeſſioni Sagramentali delle medeſime quando ſono inferme, ſe non a porte aperte della Cella, nella quale ſi trovano, con l'aſſiſtenza di alcune Monache, in modo però, che queſte poſſano vedere ſolamente; ma non udire nè l'Inferma, nè il Confeſſore; ſi compiacerà per tanto l'Eminenza Voſtra d'ingiunger ſtrettamente ſotto gravi pene, anche di privazione di voce attiva, e paſſiva alle Abbadeſſe, & altre Superiore de' Monaſterj di Monache, che in ciò diano piena eſecuzione alla Sa. Me. di Noſtro Sig. Lo ſignifico a V. E. e le bacio per fine humilmente le mani. Roma 21. Marzo 1682.

Di V. E.

Humiliſſimo, & Obligatiſſimo Servitore
G. Cardinal di Carpegna.

Dichiarazione *della Sagra Congregazione, data li* 6. *di Settembre* 1604. *Sopra i Luoghi vacanti per morte delle Monache numerarie.*

PRoibiſce ſtrettamente, che i Luoghi da vacare per morte delle numerarie non ſi concedano, nè promettano ad alcune Giovane da riceverſi all' abito, ſe realmente, e veramente non ſaranno vacanti, e di eſſi non prima ſi poſſa diſponer e, ne far promiſſione, o ricevere alcuna in Capitolo, o in qualſivoglia modo, ſe quella, che ſi hà da ricevere, non ha a quel tempo l'età ſufficiente, e gl' altri requiſiti, li quali dovranno avere anche le ſopranumerarie, alle quali ſi promettano, o danno luoghi di ſopranumerarie, e ſe ſi

farà

farà altrimente, ſia ogni coſa irrita, e nulla, e le Abbadeſſe, Prioreſſe, & altre Superiore del Monaſtero di qualſivoglia ſorte, che alla recezione, overo ammiſſione di alcuna Giovane, o alla promiſſione, overo conceſſione de' luoghi da vacare conſentiranno contro la diſpoſizione del preſente Decreto, dichiara ſoggette alla privazione di voce attiva, e paſſiva, & ad altre pene da imporſi ad arbitrio della Sagra Congregazione.

